JUS GEORGICUM

REGNI HUNGARIAE

ET

PARTIUM EIDEM ADNEXARUM

COMMENTATUS EST

CAROLUS PFAHLER

Doctor Juris Universi, in Regno Hungariae et eidem adnexis partibus Juratus Causarum Fori utriusque Advocatus, ante Professor Juris et Archon in Instituto Georgicon, nunc ad Directionem universorum Dominiorum Suae Illustritatis Domini Comitis Ladislai Festetics de Tolna S. C. et R. A. Majestatis Actualis Camerarii Juridico Oeconomicam Referens objectorum juridicorum una et Georgici Assessor.

Keszthely,

Typis Francisci Perger 1820.

MANIBUS DIVAE MARIAE THERESIAE.

QUAE RES INTER, QUAS GESSIT, MAGNAS ET SPLENDIDAS, FUMOSA QUOQUE VILLARUM TECTA RESPEXIT,

QUAE PROBISSIMORUM RURICOLARUM, QUI TELLUREM ARPADIS SANGUINE PARTAM CERERIS ARTE COLUNT, JURA INSTAURAVIT,

QUAE SENSUM JURIS HOMINIS DIGNISSIMUM PECTORIBUS ILLORUM INTULIT DENUO, ET VELUT MORTUOS IN CIVITATE SACRA HAC FLAMMA IN VITAM REVOCAVIT,

CUJUS HEU OCCASUS NUNQUAM AGRICOLIS FERTILIS PANNONIAE SATIS DOLENDUS ERAT, NISI PROGENIEM CORONA CINCTAM PAREM RELIQUISSET, JOSEPHUM, LEOPOLDUM, FRANCISCUM, FRANCISCUM, CUJUS TEMPORA LAUREA HUMANITATIS, DIGNISSIMA PRINCIPIS, JAM DIU ORNAT.

MANIBUS IGITUR MAGNAE FRANCISCI AVIAE.

CUI JURA AGRICOLARUM ILLORUM SACRA FUERE, HAS QUOQUE PAGINAS, QUIBUS JURA HAEC SCRIPTA SUNT, SACRAS ESSE VULT

auctor.

Durch den Umgang mit der Natur, und bey freyer Thätigkeit in derselben, auch entfernter von den Einwirkungen verfeinerten Sinnenreizes, ist er (der Landmann) kräftig, aber einfach in seinen Genüssen. Hierdurch geschützt gegen entnervende Sinnichkeit, bleibt er frey von knechtischer Feigheit, und aus seinem Stande gehen zu allen Zeiten die tapfersten Männer hervor. So lange Völker bestehen, wurden ihre Verderbnisse immer wieder durch ihn verbessert. (Betrachtungen über Staatsverfassungen. Frankfurt am Main, 1814.)

PRAEFATIO.

Jam tempore, septem sunt anni, quo Themidis aedes adolescentulus adhuc divinae quam homines docuit artis condiscendae ergo inviseram, magnam illius ministros inter adverti discordiam, quam video luce clarius meridiana, ex quo abstersis pulveribus scholasticis temporis partem magnam in foris interque graves lites tero. Alia nempe pars ministrorum illorum Theoriae, Praxi alia, ut dici amat, dediti, unius et ejusdem licet divinae scientiae professores, diversas tamen sibique oppositas profiteri videntur: hinc nec fraternum, ut iisdem decet initiatos sacris ejusdemque artis vinculo junctos, auxilium sibi impendunt; verum se oderunt, ut deabus inimicis sacra facientes, ut placita illarum quasi secum pugnantia sequentes; peculiaresque constituunt sectas, quarum quaelibet prudentiorem se altera, sibique soli sine alterius ope sufficere persvasum habet. Ideo (quod v. g. Pragmatici Theoreticis objiciunt) hinc videas illos, qui omnem ponunt operam consumuntque aetatem in juventute artis aequi bonique erudienda, satis sibi consuli existimare, si parietes inter bibliotheca exornatos ampla libros volvant, ex iisque succum extrahant, alendis adolescentulorum, quibus praecipiunt,

ingeniis, ut sibi videtur, aptum; strepitum vero iratis inter se animis de juribus suis certantium, judicumque tribunalia longe refugiunt, nec illum cum dulci otio suo convenire, nec quomodo inter ipsos terminentur res, curae sibi esse debere putant, quia simul non aliter has terminari posse, quam condam illos docuere, autumant: illinc vero conspicias turbam audacem (haec vero Pragmaticorum sunt vitia), quae se Practicorum encomio ipsa exornat, cujus asseclae vel non solliciti, quid docti illi masculi de cathedra loquuntur, vel tantum tumida illorum scientia (ut appellant) tincti in fora prorumpunt, statimque luctam de meo et tuo, gravi illo humani generis motivo, ad latus veterani cujusdam subeunt; sicque arma pro et contra tractare, judices etiam agere discunt; vilipendentes Theoreticorum, ut vocant contemptim alterius sectae socios, turgidam scientiam, ridentes illorum, dum in forum e scholis prodeunt, timidam agendi rationem, ineptam accurationem, et perplexitatem, voluntque de illis locum habere, quod T. Petronius A. (Satyric. C. I) dicit: „nunc, „et rerum tumore, et sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantum proficiunt, ut, „cum in forum venerint, putent se in alium „terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos „fieri; quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident.“ Contra Theoretici miscere gregem Practicorum quadrata rotundis superbe dictitant. Erat in ani-

mo jam pridem, jam dum nil ipse adhuc audebam statuere de jurisprudentia, sed omnis tantum in magistris ejus audiendis essem, erat jam tunc in animo, condam ad discordiam illam Theoriam inter et Praxim, interque Theoreticos et Practicos vigentem, si non conciliandam penitus, non enim nostrum inter vos tantas componere lites, minuendam saltim symbolam conferre meam; nonnisi enim hac conciliatione jurisprudentia efflorescere, et fini sanctissimo, cui Dea jura hominibus statuens destinavit, respondere potest. Erat itaque hoc propositum apud animum, ubi facultatibus ejus fidebam plus, quam illas noscebam; sed tantum aberat, ut ipsas expertus fuissem proposito satisfaciendi, ut potius per vastissimum literarum scientiarumque regnum dispergerem, et ut apes jam huic jam alii insiderem flori, quin tamen, ut illae, certo alicui fini colligerem, viresque impenderem; erat, fatendum enim verum, in quovis genere aliquid profecisse videri major vanitas, quam sana ratio ad certum referendi finem quidquid egerim, in unaque arte aut scientia hominibus utili excellendi. Jam antiquitatum studium animum nescio qua voluptate magnae aevi praeteriti umbrae imbuens, jam naturae illum nova quasi recreans vita, jam agriculturae tenuit, jam linguarum etiam, iterum iterumque reliquit: multa animo volvebam, alia aliam pressit ideam, nulla fixa menti stabilisque inhaerebat, multa coepi, sed coepta non continu avi, nihil denique profeci, sed videlicet „ju-

„venes adhuc confusa quaedam, et quasi tur-
„bata non indecent: senibus placida omnia,
„et ordinata conveniunt, quibus industria se-
„ra, turpis ambitio est.“ [1]) Tandem phantasmata juventutis animique inquieta inconstantia disparuerunt, hicque majorem induit et gravitatem et cogitationum quasi consistentiam. — Rediit nunc prius in mentem propositum, circumspexi campum, in quo serere, et si successus conatui responderet, metere quoque valerem; partemque mihi delegi ex vasto satis illam, quam nemo adhuc vel ita tentavit, ut me quoque tentasse mihi laudi simul et reipublicae utilitati cedere posset. Nexus enim ille, quem martiale hospitum condam gentium in Europa genuit systema, (adhuc integrum in patria nostra) inter Dominos, quibus illud terrarum tribuit dominium, et Colonos cultores illarum intercedens, tanti est certe momenti, (quod vel attentio comprobat, qua nunc et ab imperantibus, et ab scriptoribus politicis [2]) dignum reputatur) ut sine illo bene constituto salus reipublicae vix bene constituta esse possit. Quamvis vero regum nostrorum praesertim Divae Theresiae et Augustae hujus Sobolis, Francisci praeprimis, conatus insignes sint laudeque dignissimi, nexum illum cano majorum instituto sacrum in emolumentum reipublicae dirigendi; metui tamen sane potest, ne edicta regum salutaria praeceptaque legum sine omni inter se nexu dispersa in oblivionem partim abeant; partim vero prava interpretandi ratione detorta ruant, pri-

or incertitudo nexus illius redeat, arbitriumque in locum normae fixae succedat, et sic conatus regum praestantissimorum in irritum cadant. Igitur conabar partes disjectas in ordinem redigere et nectere, definitionibus notiones claras reddere, hasque enucleare, fontes diversos inter se comparare, et quid juris statui debeat, ex ipsis distincte et accurate deducere, antilogias conciliare aut tollere, diversas lacunas, quoad ejus fieri potuit, ex principiis juris generalibus supplere, spiritum legum accuratius pervestigare, philosophicaque interpretatione litteris mortuis vitam indere, verbo molem legum indigestam scientifice, ut dicunt, pertractare. — Improbus hic labor erat, et esse nemo credam inficiabitur, qui simile quid aliquando tentavit. Nihil ante me habebam nisi fragmenta, nisi farraginem diversorum praeceptorum, casus saepe tantum speciales definientium, neque illa uno loco; dura oportebat opera ex crasso, ut vocant, Juris Corpore leges, ex Plano Tabulari nuncupato Decisiones Curiales, quae correlationem juris inter Dominum et Subditum intercedentis respiciunt, excerpere et notare; non levior opera in colligendis Resolutionibus Regiis Intimatisque; et ex iis amplis saepe extrahendis paucis praeceptis, quae ad rem faciunt. Haec collectio saepe inamoene interrupit laborem, dum enim concinnarem simul collecta, simulque nova colligerem, si quid novi reperi, saepe priora mutanda, ordoque turbatus restituendus erat. Sexcentas fere, (non figura rhetorica)

collegi Resolutiones, quarum tamen non omnium cepi usum, quod non omnes normas generales, aut novas continebant. — Vestigia, quae sequerer, nulla inveni, Manuscripta et Libri, quae exstant, aut nullo sunt ordine scripta, aut nullo fere, videlicet alphabetico, nihilque exhibent praeter verbotenus descripta, et truncata praecepta, sine omni spiritu, verba igitur et praeterea nihil. [3]) Horum itaque usum nullum cepi. [4]) Ordo materiarum, quem secutus sum quamvis peculiaris, mihi tamen valde naturalis videtur, ad idque vel maxime comparatus, ut totam rei molem uno quasi obtutu animo lectoris sistat. [5]) Stylum quod attinet in juridica parte operis, hic, fateor, non leviter me afflixit, volebam illum simul exemplar boni curialis existere, id quod tamen est problema sane difficile; legeris enim Tacitum, Livium, et Horatium, aliosque classicos quot volueris, si tamen nostris in foris, interque jurgia verseris, horridulum illorum dicendi genus, ut Cicero quadam appellabat epistola, tantum auribus tuis obstrepet, ut tandem omnes classicos, omnemque latinitatis bonae sensum tibi expellant, aut utrumque turpiter misceas. Sed etiam si maxime laborares aurium judicium purum castumque servare, parum te juvabit; sunt voces, sunt phrases barbarae, ut illis vocantur, quas retinere debes, si intelligi vis. Igitur regula, si quaedam tenenda, hac in re non alia esse potest, quam ut exceptis barbarismis, quibus uti debes, utaris latinitate,

qualem in Institutionibus, aut Codice Juris Romani invenias. An ego hanc parte aliqua tenuerim regulam, judicent alii. — Operi Historiam Juris praemisi, potius fragmentum illius, non enim tempus erat aliud quid suppeditandi; sed etiam id haud levi venit labore, nec enim ideam historiae juris privati communis executam, eo minus hujus, quam scripsi vel lineamenta aliqua inveni. Kelemen meus condam magister magno quingentarum et quod excedit paginarum volumine de historia juris civilis communis [6]), ut ille nominavit, scripto, spem meam longe fefellit. [7]) Nihil enim mihi scripsisse videtur aliud, quam Historiam Regum. Mirum sane quantopere plerique (paucis omnino exceptis) historiarum, ut se vocant, scriptores, non aliam fere cogitare possint, quam Regum! — Cel. Pray et dum Statisticam scribere voluit, ut ipse fatetur, Historiam scripsit Regum. [8]) Ego, ita mihi persvadeo, errorem, quem commisit Kelemen, vitavi, et licet notionem, ut ille non praemiserim, tamen illam eo fidelius executus fui. Quamvis vero ortum vicissitudinesque Colonorum et Dominorum, quaeve illis fuerint jurium et obligationum pertractanda secundum propositum habuerim; non tamen id clare et accurate fieri posse censebam, nisi etiam reliquorum civium classes enuclearem, correlationemque inter illos intercedentem simul obtutui sisterem. In pingenda imagine statuum Germaniae, eorumque inter se et erga imperantem correlationis, citationes fontium, un-

de hauriebam, vitavi: mihi molestae fuissent, lectoribus nequidquam profuturae, nam qui versatus est in historia aevi medii, praecipue vero Germaniae, illis opus non est habiturus; cum ea solum adoptaverim, quae rerum illarum gnaro vix dubia esse possint; quibus vero fata aevi illius minus nota sunt, illis utique studium illarum commendandum est prius, quam comparationem instituant inter fontes, haustaque ex illis asserta mea. [9]) In classibus civium a S. Stephano creatis, illarum indole juridica, interque se correlatione, cum longe discederem in plerisque ab illis, qui hactenus hac de re scriptis suis inclaruerunt, Cel. Kollár, Pray [10]) etc. etc. ad firmanda asserta mea non neglexi probas adducere, quae vero cum illis mihi conveniunt, vel jam indubitata sunt, horum fontes citare neglexi, ne opus ultra modum sine utilitate aliqua augeretur. Quod attinet fata Dominorum Colonorumque Hungariae, juriumque et obligationum, quae illis fuere, suntque adhuc, haec utique a me primum narrata [11]) non intermisi suis fulcire documentis indubitatis, legibus ipsis plerumque; citavique non solum illa, sed etiam pro majore fide illis, lectoribus vero commoditate procuranda, in notis recitavi. Hactenus de Historia Juris. Quod opus serius multo quam promissum comparet nova ejusdem elaboratio, aegra valetudo eaque longior, occupationum muneris amplitudo, et alia quaedam fata inter quae supina negligentia chalcographi eiam, qui 9 fere mensibus opus

hoc vim preli sufferre coegit, caussae sunt adeoque justae veniamque merentes. [12])

Et haec sunt chare lector, quae te monita esse volui. Nunc nihil amplius restat, quam ut verba quaedam adhuc faciam ad Aristarchos illos severos, quorum est munus, quidquid ingenia hominum ferunt, litterisque commendare non ambigunt, ad rigorosam revocare censuram, vitiaque et virtutes notare, ad vos inquam Censores gravissimi verba facere volo, non ut vos precibus pulchrisque verbis mihi propitios reddam, gratiamque vestram quadamtenus saltim conciliem; non enim illis vestra flecti possunt ingenia, perbene scio, quid igitur desiderem? audite! ut si in solitudine musarum beata, quae vobis Deorum contigit favore, opus hoc censoriis oculis lustrabitis, me dum hoc scripserim illa penitus caruisse, persvasum habeatis; gesseram enim praeter munus docendi in literarum domicilio celebrato Georgikon, etiam grave musisque detestatum causidici juriumque Clientis potentis, (Principalis nostri dicunt) propugnatoris (Fiscalis Procuratoris); animo igitur plus ad certandum pro juribus illius semper parato quam quieto. Id igitur vos scire, ut (quod sperare mihi licet) ad bilancem judicii a vobis ferendi poneretis; id praeterea, quod cum pro scholis forisque nostratibus scripserim, illis me etiam accommodaverim, tandem si quid dixi, quod vobis arrogantius immodestiusque dictum videretur, non arrogantiae aut immodestiae, quae procul absunt ab animo meo,

abesseque illa; semper volo, sed congenito illi nisui candide quidquid sentiat proferendi, tribuere, itaque aequi bonique consulere velitis.

Dabam Keszthelyini mense Aprili 1820.

---

1) C. Plin. Caec. Sec. epist. ad Calvisium Lib. III. 1-a.

2) Vide inter caetera Deutche Staatsanzeigen, herausgegeben von Adam Müller. Jahrgang 1818, April, XIII „Über den Charakter des Befreyungs-Krieges, und seine Einwirkung auf die Verfassung des Bauernstandes," von Ritterschaftsdirector v. Schütz.

3) Huc non pertinet opus praestans praestantissimi Gregorii Berzeviczy „de conditione, et indole Rusticorum in Hungaria;" est enim alter illius, et operis hujus scopus. Debeo hic loci etiam honorificam mentionem injicere Dissertationis inauguralis pro obtinenda Doctoris J. U. laurea De Nexu inter Dominos et Colonos in Hungaria a Francisco Slachta de Zadjel AA. LL. et Phil. atque J. U. Doct. et F. U. Advocato, nunc Fiscali Regio Camerali 1803 scripta et Palatino Regni tunc temporis dedicatae.

4) Perpaucis exceptis, ut suo notabam loco, ex opere a D. Concipista aulico Pauly sub titulo: „ Constitutio Rei urbarialis Regni Hungariae edito depromtis. Potuissem et illis carere, si non mihi prohibitum fuisset a quibusdam, qui materias mihi suppeditarunt *) ita iis uti, ut simul loca, quibus regulas ponebant; nominare possem, uti v. g. de quantitate terrarum remanentialium, Pascui, etc.

*) Hic amicitiam commemorare debeo qua Dominus Paulus Benitzky de Eadem, complurium Comitatuum Assessor, et Secretarius Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Stephani Stratimirovits de Kulpin, Archiepiscopi et Metropolitae G. R. N. U., per D. Carolum Rumy charum condam Collegam meum provocatus, Urbarium, quod nunc viget in Slavonia, et illud a Carolo VI (III) editum mecum communicavit.

5) Ordinem, quem dum opus hoc primum concinnarem, secutus sum, cujusve lineamenta prima in nuncio illius designavi, etsi forte strictiorem, non tamen satis facilem, iu hunc ideo mutavi.

6) Historia Juris Hungarici Privati Documentis et Testimoniis illustrata. Budae, 1818.

7) Comes (Ant. Moys.) Cziráky de Dienes-Falva; in „Ordine suo Historiae Juris Civilis Hungarici (Pestini, 1794) adolescentulus adhuc plus praestitit, quam ab illo exspectari potuisset, Kelemen longe minus, quam praestare debuisset.

Ab auctore Biographiae Stephani Verbőczy (Verbőczy István élete) proxime sub prelo exiturae fervido aeque ac docto Patriota Stephano Horváth Bibliothecae Nationalis Szétsényianae Custode non levem accessionem Historiae Juris patrii praesertim privati sperare licet.

8) „Historiam Hungariae, quam Statisticam vocant, parabam scribere, cum mihi vel invito alia sub manu exiit.“ — Historia Regum Hungariae, Budae, 1801. Ad lectorem.

9) Multum me aliquot ante annos studium historiae aevi illius occupavit, multa legi, sed lecta non, ut solent docti, in animadversaria conjeci, fisus memoriae meae; loca igitur omnia, quorum usum cepi, citare, plus, quam suppeditavit, temporis a me exegisset. Igitur ut filo aliquo, dum historiam concinnarem, usus sum opere celeberrimi Runde de Jure Germaniae privato communi historiaque ejusdem egregie sane scripto, ita tamen, ut facta secundum sensum, ut ita dicam, historicum lectione illa mihi comparatum in peculiarem quasi formam redigerem, redactamque lectori propinarem.

10) Inter omnes, qui seu ex professo, seu in quantum operis alia de re scripti ratio poscebat, statum aevi medii generatim, Hungariae in specie evolverunt, nemo adhuc scripsit doctius, nemo accuratius patriota nostro Piringer, in quantum ratio operis de Banderiis Hungariae momentosa certe materia exegit. Id quod in laudem ipsius dictum sine adulatione accipi velim.

11) Quae de Scultetiis dixi, illorum plurima debeo Cel. Schwartner, non tamen omnia. (Vide opus illius: De Scultetiis per Hungariam quondam obviis. Budae 1815.

12) Ut vel nunc Opus hoc lucem publicam videre potuerit, multum debeo Josepho Hegedűs juveni praestanti, optimaeque spei, Pristaldo Curiali Dominii Keszthely, qui tunc mihi a secretis fuit. — Volumen secundum operis hujus fontes juris in se complectentis, in quae commentatus sum, exhibens, proxime prela fatigabit.

Conspectus Operis.

Sectio II.

De Rectificatione Urbariali, Regulatione Juris Montani, et Silvarum, ac Pascui.

HISTORIA JURIS GEORGICI REGNI HUNGARIAE, ET PARTIUM EIDEM ADNEXARUM.

PERIODUS I.

A PRIMORDIIS USQUE S. STEPHANUM REGEM (1000).

Hungari incunabula culturae suae in Sibiriae silvis, et desertis reliquerunt, huc una cum Fennis (fennicis nationibus) fatis historiae non notis compulsi, ex saevo dein aquilone, nec notum magis, quibus vicissitudinibus, in Asiam australem ad Caucasum usque detrusi. Tellus haec mitior multum ad majorem gentis culturam profuit et contulit; Cereris, et Bacchi hic dona noscere didicere: beatam quamvis ruricolarum vitam diu adhuc respuentes, diuque adhuc venatione, piscatione, reque pecuaria vitam alentes; quarum illam juvenes, has senes exercebant. – Vita eorum adhuc Nomadica solum erat; verum Chasarorum vicinia paulo post quietam Nomadum in bellicosam mutavit vitam. His nempe sociorum vinculo juncti plures susceperunt expeditiones, armaque tractare didicerunt. Sedibus subin per Chasaros mutatis (680) Hungari illos secuti in Lebedia (hodierno Lebedin) consederunt, et annum usque 883 per-

stiterunt. Genius hic martialis illorum majus adhuc cepit incrementum; sedibus his quasi objectis agminibus gentium ex Asia in Europam irruentium. Adhuc nullum inter se hominum noverunt discrimen, nisi liberorum et servorum (Leibeigene, Knechte). Hi bello capti, quibus victorum gladius pepercit, ad diversa adhibebantur servitia domestica; [1]) de gente vero ipsa omnes Liberi erant. Quisque suo vivebat arbitrio, non alia, quam securitatis communis ligatus lege; nec jus suum adversus tertium sua auctoritate, armisque vindicare vetitum. Suum habebant singulae quidem tribus superiorem, quem ex potentioribus, ditioribusque eligebant; non alia tamen hujus auctoritas, quam paucarum, quas communis sanxit voluntas, legum (negativarum plerumque) custodia ne violentur, violatarum vero vindicatio, litiumque diremtio. Sed nec constans illa erat, nec haeredibus relinquenda; iis enim conferebatur solum, qui aetate, experientia reliquos anteibat. Dum pericula minabantur externa, arctius firmiusque sibi jungebantur patresfamiliae. Erat vero patriam defendendi consilium penes omnes, votumque potentioris et ditioris par pauperioris minusque potentis erat; quamvis hic in sententiam aetate gravioris, quia et magis experti, prudentiorisque facile concedebat, satis libertate sua et aequalitate cum illis contentus. Belliducem communia aeque designabant vota, distinctum saepe ab illo, qui pace legum custos erat; nam in hoc aetatem, et experientiam, in illo vero junctam experientiae animi fortitudinem suspexerunt et desiderarunt. Quem sibi gens delegit imperatorem, morem ei gerebat, sed non ultra quam armorum strepitus duravit. Dum positis hic siluit armis, et suum deposuit belli dux

imperium, nihil retinens, nisi rei bene gestae gloriam suorumque existimationem; qui si exarsit iterum bellum, illum fiducia sui decorarunt denuo. Saepius decor hic dum iteraretur, axioma honoris quoddam eidem conciliavit, primum sed et levissimum liberos inter discrimen. Nonnisi serius, magnis praesertim imminentibus gentium migrationibus, potestas pacis et belli in unam coaluit, verumque generavit principatum (Regentschaft) temporaneum primum, tum haereditarium etiam. Chagani Chasarorum praeprimis svasu et auctoritate Hungaris ille placuit, qui Lebediam supremum hactenus belli ducem (temporaneum) Chasarae junctum uxori eodem exornatum voluit. Sed hic adversus Petschenegos (Patzinacitas) marte jam ante pugnans invito consternatus, neque satis sibi fidens senem Almum hujusve filium Arpadem, strenuum fortemque bello virum pro dignitate principis commendavit; quam posterior dein obtinuit jure ad haeredes (masculos) quoque transeunte.

1) Scythicae gentes partem servorum excaecabant, et iis ad mulgendas equas, butyrumque parandum utebantur.

Anno 889 Leo Sapiens orientis (byzantinus) imperator gravi cum Bulgaris bello implicitus, contra illos ab Hungaris donis oblatis auxilium mercatus est suo quidem cum emolumento. Imperator hic (Tacticorum Cap. 18, vide Kollár Amoen. Vol. 1 pag. 20-a seq.) imaginem de Hungaris, ut erant aevi sui, memorabilem nobis reliquit; hujus aliqua lineamenta, mores et constitutionem gentis exprimentia hic repetere juvabit. Ita vero ille: „Haec igitur gens virorum copia florens – et libera. – – ut pote

quae unius imperio regatur, graves acerbasque praefectis suis, si quid deliquerit, dat poenas, et timore magis quam amore in obsequio continetur; cumque incertis vivere sedibus sit solita, labores omnes atque aerumnas strenue perfert, nulli aestui, aut frigori cedit, caeterosque rerum, ad vitam necessariarum, defectus aequo animo perpetitur. – Comitatur eos animalium magna multitudo, equorum equarumque, item boum ac vaccarum armenta, tum escae, tum lactis potus causa, simul etiam, ut frequentiae amplitudinisque Castrorum speciem praebeant. – – ad pugnae diem usque per cognationes et tribus disperguntur. Equos tum aestate tum etiam hyeme assidue pascunt. – Aegerrime quoque ferunt, si qui ex ipsis ad Romanos transfugiant; noverunt enim, inconstantis gentem suam esse animi, lucri cupidam, et ex multis tribubus conflatam; atque idcirco neque cognationum ullam, neque mutuae consensionis habere rationem. – Nam postquam fortasse pauci transfugere coeperint, et hi a nobis benigne humaniterque fuerint suscepti; plurimi illos subsequuntur: quam etiam ob rem permoleste ferunt, si qui ipsorum ab ipsis deficiant." – Haec lineamenta adhuc Nomades adumbrant, qui incertis pecorum cum grege vagabantur sedibus, laetiora semper quaerendo pascua, quibus nulla terrae inter singulos divisio erat, nullum singulare illius dominium, quivecaeterum nobili Martis ludo nihil minus, quam venatione delectabantur. Tribuum adhuc inter illos secretio, corporis totius vigori viribusque multum officiens. Disciplina militaris severa,

magisque severa, quam erat condam, dum gens suo et arma cepit, posuitque arbitrio; sed videlicet hoc non amplius penes ipsam erat. [1])

1) Suapte hic memoriam subit expeditio Ludovici, Francorum Regis contra Romanorum Imperatorem Syagrium (486). Dum nempe victoria relata praedam rex et milites sortirentur ejus ad urbem Soissons; ille ab his ut raptus ex ecclesia quadam calix non in praedam conjiceretur dividendam, verum sibi suam supra sortem cederetur, petiit. Milites cuncti responderunt: Magne rex, tua est tota praeda, nos ipsi tui sumus; nemo voluntati tuae resistere ausit (Robertson, et Hüllmann).

Haec fere Hungariae videtur facies fuisse S. Stephanum Regem usque (1000). Erat enim adhuc sub Constantino Porphyrogenito (940) secundum tribus divisa, et hae per fluvios aliosque limites naturales (arcifinios) invicem secretae. Regino Abbas Claustri Prümensis auctor est, Hungaros suo aevo adhuc (915) cruda contentos carne, venatione ac piscatione vixisse, principalem vero operam bellis navasse gerendis, tractandisque armis, equisque. – Quod autem peculiare (mirum certe) avos nostros capita sua tondisse idem affirmat, ubi tamen capillos alere signum erat libertatis barbaras apud gentes cunctas, ita ut non nisi libertate privati capillis simul privarentur; apud nostrates vero servi medio tantum capite tonsi fuisse videntur. Abbas Claustri Lotharingiae Laubensis Fulkuin, dum Hungari Lotharingiam (954) populantes reditum pararent, a praefectis (Officiere) milites justo diutius morantes scuticis ad obsequium compulsos asserit; rigor inde disciplinae militaris elucet.

PERIODUS II.

A S. STEPHANO REGE, USQUE DATAM COLONIS LIBERTATEM, SEU AB ANNO 1000 USQUE 1298.

Quamdiu rerum hic status duraturus erat, quamve subiturus metamorphosim, si S. Stephanus numine propitio genti datus non fuisset, occulta novit fatorum potestas. Mutata sunt omnia, aliamque induerunt formam, dum Rex ille gubernaculum Reipublicae suscepit; mutata sunt subito, quasi tacta virga prodigiosa. Asiatae Nomades bellicosi Europaeis locum fecisse videbantur. Fuit vero virga illa prodigiosa sancta Christi religio. Hujus semina aliqua primum ex oriente accepta sunt, sed nondum mollescebat satis Pannoniae solum ad plantarum, quas tulerunt tenerarum adhuc, majus incrementum; felicius allata ex occidente germinarunt, cura et sollicitudine materna Saroltae, paterna Geyzae (Geche). Sed ut germina haec paulo post in magnam evolverent se, increscerentque arborem, cujus umbra salutaris aestuantes fera belli cupidine animos refrigeravit mitioresque reddidit; hujus rei gloria, maxima certe Principis, S. Stephano contigit. – Mutato vero modo Deum colendi, mutata vita gentis religiosa, etiam politica, privata et publica nova Hungaros vegetavit; undeque illius desumta imago, norma hujus et inde accepta est. Itaque noscendus prototypus, ut lineamenta ejus clarius in imagine distinguamus imitata.

In Germania tunc temporis praeter clerum status liberorum, quondam ut apud Hungaros unus et idem, absolvebatur praeter supremum imperantem a) subordinatis imperantibus, nobilitate generatim superiori (summae sortis, supremae conditionis; militibus superioribus, majoribus) b) nobilitate inferiori (mediae sortis, conditionis; inferioribus, minoribus militibus) c) civibus; d) colonis – Status non liberorum complectebatur Servos (Leibeigene). Cum ex his Civium classibus subordinati imperantes in Hungaria locum non obtinuerint, forma enim regiminis per S. Regem inducta stricte (pure) monarchica fuit; de Dynastis acque nobilitatis superioris ordine contentis dicendi initium faciam.

Dynastae, Barones [1]) (Dynasten, Freyherrn, Baronen, Reichsbaronen) seu Domini nullo initio peculiari nexu seu feudali seu ministeriali aulae Regis ejusque personae erant adstricti; verum magnarum romini possessionum non alia quam subditi erga supremum principem obligatione tenebantur. Imo saeculo X et XI systemate feudali invalescente alios sibi largitione particularum ex latifundiis suis vasallos crearunt. Competebat ipsis jurisdictio non patrimonialis modo, verum et feudalis in vasallos (a castro, ubi exercebatur Burgbann vocata). Sed jam praeterlapsis saeculi VIII decenniis primis 5 ambitio Anstrustiones inter principis numerari, in bello magno stipari comitatu, gloriamque martialem facinoribus consequi audacibus, avara tandem beneficiorum cupido a principe obtinendorum non tanti illam aestimavit libertatem, ut non plerique, successu temporis omnes cum Arimannia sua cliente-

lae nexu (feudali) principi se obstringerent, Dynastiasque suas imperanti (aliis etiam Dominis ecclesiasticis) in feudum offerrent.

z) Baro antiquissimis temporibus virum, serius opibus insignem Liberum, postea Dynastam designabat; hodie vero titulus est solum altioris gradus Nobilium inferioris ordinis.

Ortis Civitatibus (Staedte) magna Liberorum (freye) pars novam subiit secretionem in Cives nempe, Nobilesque Inferiores. Civitates (sensu juridico) Germania ante Henricum I (Saxonem) non vidit; [1]) hic et limites imperii castris munivit et plura intra illos loca muris cinxit, aedificavitque alia, et muris aeque circumdedit, quae murorum cinctura clausa loca Civitates (Staedte) postea adpellabantur; erantque destinata asylo reliquis Civibus dispersim in provinciis degentibus. Huc fructum aeque industriae et laboris recondiderunt, periculo ab hostibus imminente Ut vero fini, cui erant destinatae, responderent quoque Civitates, nonus vir quilibet (liber utique) ruri degens in Civitatem concedere decreto Henrici jubebatur. Hac ratione praesidium Civitates nanciscebantur; fueruntque Cives continui reliquorum ruri degentium liberorum defensores. Hinc major prae his illorum aliquamdiu existimatio civilis, quae postea tamen decrevit; erepta enim erat occasio Civibus uno affixis loco in expeditionibus virtute excellendi militari, erantque a persona imperantis, qui rarius in bello, nunquam in Civitatibus conspiciebatur, verum libero campo delectabatur, longe semoti, ut adeo reliqui socii, qui antiquae vivendi rationi inhaeserunt, illos libertate quamvis sibi aequales, dignitate tamen inferiores reputarent. Sed ipsa libertatis

aequalitas dein detrimentum accepit. Servi opificiis dediti (Leibeigene), quibus Cives hi utebantur, aucto sensim rerum vitae inservientium numero, invalescente adeo luxu occasionem nanciscebantur patrimonium quoddam comparandi, quo dein charam a Dominis libertatem mercabantur; nihilque hac adepta amplius jam industriam morabatur illorum, lucri opumque matrem. Excitavit hoc Cives Liberos, quibus res domi angusta erat, ut artes quoque serviles tractarent, vicitque in illis praejudicium: Liberum arma nonnisi honeste tractare. Haec artium servilium tractatio Liberos Cives et manumissos majori junxit negotiorum vinculo, post paulo sangvinis quoque initis matrimoniis. Mixtio vero sangvinis liberos inter et manumissos magnam effecit scissionem, qua illi, qui sangvinem miscebant, Cives sunt nominati, qui vero illum more avorum purum conservabant, seu in Civitatibus degerent, seu extra illas, Nobilitatis inferioris (milites, etiam militares, mediocres, mediocriter nobiles, Ritterbűrtige, Schildbűrtige, zum Schildgeborne, Niedere, von Adel, Edelleute aevo medio compellati) nomine insigniebantur.

Sed postea ex his etiam ditiores in novum distinctumque a pauperioribus ordinem abiverunt. Apud antiquos nempe Germanos peditibus maxime constabat exercitus, nec iis armatis satis bene (etiam sub Carolo M.). Invaluerunt serius arma, sed gravitate sua, impenetrabilitas enim crassitie conciliabatur, equorum necessitatem facesserunt; cum vero arma (Panzer) equosque ditiores nonnisi et potentiores (qui equis jam mature delectabantur) comparare intertenereque possent; hi jam sub Carolo M.

quendam peculiarem ordinem constituere coeperunt, qui magnum adeo ab saeculo undecimo nactus erat splendorem auctoritatemque, ut illi adscribi Imperantes, Duces, reliquique superioris nobilitatis summo sibi honori ducerent, nobilemque ejus artem primum qua Juniores (Junge), dein qua Armigeri (Servientes, Famuli, Knechte, Knappen, Vapener) qui non ante quartum et decimum aetatis annum [2]) facti sunt, discerent discereque deberent; nec annum ante primum et vigesimum in regula Milites inaugurati. Omnes vero, qui hunc ingrediebantur ordinem militari genere ortos esse oportuit. Et hic postea ordo unus Militum nomine insigniebatur, juribus et praerogativis nobilitatis inferioris ordinis, quae hodie illi competunt, condecoratus; egentioribus sociis, qui in Civitatibus, extraque illas pedites militabant, bello vero terminato opificiis et agriculturae operam navabant, sensim ad Civium Colonorumque classem retrusis. Haec Ordinis Equestris, Civiumque origo. – Ex ordine equestri dignitas Dominorum banderiatorum (Bannerherr, Zászlós Úr) originem traxit. Fuit quidem moris jam ante, ut ditiores Liberi (Obere) armatam intertenerent manum Arimanniam (Heermannschaft) vocatam; verum quam alebant armatorum catervam, Banderium, domini banderiati, distincta ab illa fuit. Si quis ex ordine Militum tantum opibus, et auctoritate valuit, ut decem Milites (Ritter) adeoque cum horum singuli saltem duos armigeros habebant, triginta armatos, omnes utique militari genere ortos in hostem ducere potuerit; jus ei fuit petendi a principe ut dignitate Domini Banderiati condecoretur. Haec dignitas ipsi jus tribuit sub proprio vexillo (Banderio, Bannier), quod gestare sum-

mus militis erat honor, in acie comparendi; et quemadmodum nostri nunc vexilliferi, ita aevo illo Domini Banderiati vexilla tulerunt. Quia vero intertentio hujusmodi catervae magnis venit sumtibus, dignitate illa fere tantum viri ex superiori nobilitate, Dynastae praeprimis exornabantur; quamvis ejus inferioris etiam ordinis nobiles capaces erant, raro tamen defectu nervi rerum gerendarum potiti. Factum hinc, ut Barones, (Dynastae) et Domini Banderiati iidem subin haberentur.

1) Vide contra Cel. Hugo Lehrbuch eines civilistischen Cursus. Erster Band. pag. 93-a et 94-a.
2) Hinc forte repetenda origo legis, (tituli 111 1-ae) vi cujus mares antiquitus non ante 14-um annum aetatem legitimam attingebant.

Tam Superior quam Inferior Nobilitas vel libera erat, nullo nexu, praeterquam subditi erga imperantem adstricta, vel serviebat, et quidem aut jure beneficiali (nach Lehenrecht) aut jure Curiae (nach Hofrecht, Ambachtsrecht) Priores Vasalli; posteriores Ministeriales (Ambachtsleute, Ministerialen, Dienstmaenner) vocabantur. Hi, praesertim nexu ad haeredes transeunte, arctius a Dominis suis (Dienstherrn) dependebant illis, quorum libertas personalis per nexum feudalem parum aut nihil restricta erat. Quamvis enim pacto peculiari ad servitia militaria se obstringerent, tamen a Domino (Lehensherr) arbitrarie illa exigi non poterant. Defendere quidem illum adversus omnem injuriam, aggressionemque tenebantur; sed bellum alteri inferre nonnisi justa ejus causa cognita et perspecta obligabantur. Dum igitur Dominus illos extra limites Patriae ducere voluit, magnas saepe expertus est difficultates, debebatque praeterea illos intertenere,

arma suppeditare, damnum etiam expeditione durante acceptum refundere; magnisque saepe promissis, datisque privilegiis auxilium et adjutorium Vasallorum Dominos mercari oportuit. [1])
Ministerialitas sensu lato est ille nexus, quo quis ad servitia cujuscunque generis alteri praestanda obligatur; sensu stricto vero est correlatio servitii, qua nobilis inferioris ordinis adversus superiorem, et utrique erga Imperantem supremum, Praelatos etiam Maiores (Hohe Geistlichkeit) constituitur. Hic tantum de posteriori agitur – Quae vero fuerit generatim Ministerialium horum sors, et conditio, accurate determinari non potest. Quisque fere Dominus peculiaria jura obligationesque ministerialibus suis scripsit, cumque illis pactus est. Quae ex natura, et indole hujus instituti memorabilis fluunt determinationes, huc recidunt: 1-o) Nonnisi Liber hoc nexu dignus reputabatur. 2-o) Servitia Ministerialium diversi generis erant. Jam in aula Domini serviebant, jam hunc in bellum comitabantur, defendebant, et qua milites serviebant. 3-o) Pro his servitiis ususfructus fundorum quorundam ipsis concedebatur, qui semper ut pertinentiae Dominii (Herrschaft) Comitatusque (Grafschaft) vel Castri habebantur. Quo factum, ut fundorum possessores cum familiis suis quasi ad Dominia vel Comitatus spectantes, cum illis quovis titulo legitimo in alios transferrentur persistente nexu priori; quamvis id sine Ministerialium consensu fieri non potuisse vero non sit absimile. 4-o) Ipsa vero servitia una cum beneficiis jam mature in haeredes transierunt, sicque nexus arctior, hocque gravior evasit; quo nonnisi manumissio, aut refutatio (Refutation) seu abdicatio beneficii solvebant. 5-o) Ministerialis

tantum cum consensu Domini, nec aliam in regula, quam ministerialem (nam foeminae quoque ministeriales erant, in diplomatibus foeminae, quae dominae die noctuque servire debeant fideliter, vocatae) ducere potuit. 6.o) Dominus Ministerialem profugum jure vindicare (processum assertorium adversus illum instituere) potuit. Perperam tamen ex his illos quis servis stricte talibus (Sclave, Leibeigen) accenseret, quod doctissimis viris quibusdam significatione vocabuli Servi, Familiae etc. in errorem inductis contigit, ab his enim sollicite distinguuntur; et si homines, homines proprii, servi appellantur, additur praedicatum majores melioresque natu; imo erat conditio illorum admodum honorifica, et quosdam ex illis magni nominis historia memorat non parvam in administratione publica (Status) partem tenentes; erant quasi Consiliarii intimi Dominorum suorum, saepeque principes in Edictis suis ad consensum (consilium) illorum provocant: „de consensu seu consilio amicorum nostrorum et hominum." Reliquiae ipsorum adhuc hodie in Officionariis (Hofbeamten) Marscalco (Marschall) Dapifero (Discophoro) Pincerna, et Kammerario supersunt. Et hucusque de Nexu Ministerialitatis. Jam de Colonis.

1) Systema militare Germanorum, quocum politicum intime nexum semper erat, varias subiit cum tempore metamorphoses. Primis temporibus Comitatus (Kriegsgefolge) tam reges quam primores regni intertenebant. Saeculi octavi primis 5 decenniis lapsis successit Heerebannus seu communis evocatio (Heerbann, allgemeines Landaufgeboth, Landsturm). Primum Caroli M. belli cupido omnes subditos etiam sacerdotes pro ho-

minibus suis juramentum ad servitia militaria (Kriegsfolge) dicere jussit, sine cujus nuncupatione nemo quid proprii (Eigenthum) tenere potuit. — Duravit haec periodus usque medium alterum saeculi noni, quo multis abusibus et oppressionibus inferiorum terrae possessorum intercidit, novaeque militandi rationi viam sternit, nempe Systemati Feudali recentiori; nam species quaedam hujus erant jam ipsi Comitatus. Illud saeculo decimo et undecimo pulcherrimos flores egit (vide K. D. Hüllmann historische und staatswissenschaftliche Untersuchungen über die Natural Dienste der Gutsunterthanen; confer M. I. Schmidts Geschichte der Deutschen, 1 Theil, 1 Buch.)

Agricultura veteres apud Germanos res erat servorum stricte talium. Initia igitur Colonorum quemadmodum Civium ex servitute repetenda ut enim manumissi Civiles (Staedtische) sensim in Civium ita manumissi rurales Dominorum terrae in novam C o l o n o r u m classem abiverunt. Agriculturae enim jam a primis dediti unguiculis ut vitam in libertate quoque tueantur, cum aliam non norint artem, ultra quoque operam agris colendis navare cogebantur. A prioribus igitur Dominis aliisque terrae partem erga certa servitia et censum Domino in memoriam (recognitionem) Dominii ut vocant directi vel simul etiam compensationem ususfructus aut dominii utilis praestanda impetrabant; quibus dein Liberi (ingenui) quoque se adjunxerunt, magno illorum incremento. Pauperiores nempe terrarum Dominos compulit necessitas, ut avitae patrum vivendi rationi renunciarent, et ensem sterilem cum stiva commutarent, hujus diligenti tractatione sibi suisque alimenta procuraentes. Sed hac vitae ratione contemtum incurrerunt conditione sibi similium, sed opibus ditiorum Liberorum, qui consortium

nexumque sangvinis cum illis fugiebant; quo factum, ut ingenui hi egentiores cum manumissis ejusdem professionis arctius se jungerent et aliis quam plurimis vinculis et illo quoque matrimonii, in distinctamque Colonorum classem coalescerent; a cultura fundorum (germanice Bauern ab Anbauen) ita nominatorum. Et haec Colonorum origo. Nunc de Servis.

Libera Germanorum erat gens, ut quaevis, quae in antris subque tentoriis habitat. Servi (Leibeigene) initio non de gente erant, sed ex hostico adducti belloque capti; dein commercium quoque eos suppeditavit praeter illos, qui ex servis nascebantur, sive in matrimonio, seu extra illud, sive parentibus ambobus servis, sive alterutro eorum (contra ac in Jure Romano), nam liber quoque hoc nexu libertatem amisit secundum paroemiam Juris Germanici: Die unfreye Hand zieht die freye nach sich, item: Tritst du mein Huhn, so wirst du mein Hahn; gallus et gallina nempe symbolum erant servitutis. Sed et pacto partim paupertate et persecutione potentiorum extorto, partim pietatis specie Deoque placendi studio libere inito servitutem multi amplectebantur. Tandem et quaedam delicta jactura libertatis puniebantur. Dum Germani vitam vixerunt Nomadum, captivi morte mulctabantur, aut in escam victoribus inserviebant, paucis solum servituti in re domestica addictis. Serius dum agriculturam cum re pecuaria commutare necessitas jussit, gens ipsa otio Nomadum assveta, stivamque tractare haud docilis, servos ad illam damnavit. Hi agrum Domini colebant illius instrumentis pecoribusque, in singulos tamen annos mutato quoque domicilio alium; nam ager priori anno cultus altero vervactum pascendis

domini servique pecoribus, quia et haec domini, destinatus erat. Orta hinc consvetudo, ut et Dominus pecora sua in agris (Felder) subditorum pascat, et hi sua cum Domini pecoribus compascendi jure gaudeant. Nec alia servo circa agrum facultas erat, quam praecepto Domini arare, seminare, metere; messis vero partem bonam illi tradere, reliqua sibi relicta. Jus ipsius aratrum determinavit, quod ultra quam vomer terram scidit se non extendit; quid quid inferius, Domini erat. Hinc rusticus nec limum, nec lapides eruere, nec arbores secare, neque truncos exstirpare poterat. Post mortem Coloni jus liberis nullum in terram per parentes cultam, sed Domini arbitrium cui illam tribuendi. Venatio nunquam, silvarum usus raro, semperque exceptis arboribus fructiferis (pinu, quercu, et tilia), quas Domini sibi reservabant, rustico concedebatur. Uxor ejus liberique domesticas Domini necessitates explebant, praeprimis panem et cerevisiam coquebant, nebantque, et texebant. Netio (Netura) igitur origine sua muliebris erat occupatio in curia (aula) Domini, quae dum foeminae a servitute in aula liberatae sunt, ultra in recompensationem ejus permansit. Illi ex servis, qui agrum non tenuerunt, G a s i n d i dicti, reliqua negotia domestica Domini curabant. Caeterum servi tantum cum Domino, nullatenus vero cum Civitate in nexu erant; ab illo defendebantur, sub tutela (Mundburd) ejus constituti. Serius nonnisi Legislatores illorum recordantes, correlationem cum Civitate quadamtenus determinabant. Sed agricultura reque pecuaria magis dein perfecta, dominioque singulari per divisionem telluris inducto, conditio servorum aliam induit formam. Qui prius tantum bello et adumbratione illius

venatione delectabatur, neque alia laboravit ambitione Dominus, nunc illum cupido quoque incessit et avaritia terrarum hominumque; sed tanta erat tum illarum copia, ut non omnibus colendis hi sufficerent, tum etiam Domini nolebant omnes inter servos distribuere, integraque latifundia sibi retinebant, terra salica, indominicata, Dominia (Tafelgüter, Saalgüter, Herrnland) vocata, quae servorum opera gratuita fere excolebantur. Servilium operarum (Robotarum, Servitutum, Frohnen) haec origo. Sed mutatio haec ruricolis infausta; nunc enim veram serviebant servitutem, nunc ut merx emebantur, vendebantur, furto quoque sufferebantur. [1]) Nempe potestas, qua ante regebantur, herilis, in dominicam transiit, servique Domino tantum ante obnoxii, nunc glebae adscribebantur, et ab hac dependebant, non vero gleba ab illis. Factum id est praecipue, dum vita durante possessionem terrae nanciscebantur. Abhinc genus agricolarum in duas abivisse videtur classes: servorum, ancillarum nempe (eigene Leute), hominumque liberorum (Freye); hi adhuc antiquo patrum instituto Taciti aevo vigente regebantur, quod vel maxime sub umbra monasteriorum floruit (Unter dem Krumstabe ist gut wohnen). Non erat multum dissimilis conditio eorum illi manumissorum (Freygelassene), ut enim hi, juribus Civitatis destituti sub tutela (Mundburd, Aufsicht) Domini et familiae ejus erant, ab ipsisque defendebantur. Praestationes Liberorum accurate determinatae [2]) censu praecipue absolvebantur, unde et mansi illorum tributales (Zinsgüter) mansis vestitis (bestiftete Dienstgüter) oppositae, nominabantur. Servi stricte tales vel

casati erant (Kosaten, a latino casa, vel anglo saxonico kot) peculiaribus domibus et fundis (manso vestito) praediti, vel non casati, Familia, Gasindi communiter appellati, qui in domibus dominalibus habitabant. [3]) Illi vel propriis instrumentis jumentisque mansum colebant, Dominoque tribus per hebdomadam diebus ratione quacunque ab illo desiderata servire debebant, reliqua parte hebdomadae pro sustentatione vitae ipsis cedente, quod supra hanc erat, aeque Domino cedebat: vel vero Dominus jumenta suppeditavit et instrumenta, tum vero illos indiscriminatim ad labores quosvis cogere, non tamen opprimere potuit; sed et sustentationis cura ipsum manebat, quae grassante tum temporis omni fere quinquennio peste, gravis ipsi omnino accidit; unde factum, ut jam mature servitia determinata (gemessene Dienste) servis imponerentur monasteriis exemplo et hic praeeuntibus. Haec facies fuit sortis rusticorum usque tempus, quo Carolingorum stirps regnare coepit, parum etiam sub illis mutata. Adhuc civitati nulla illorum cura, nulla illis in hac persona, nec vox inter cives; adhuc a Dominis suis tantum dependebant. Mulcta (Wehrgeld), si ab alio laedebantur, ipsis, si alium laedebant (Busse), ab ipsis solvenda determinata erat; sed nec accipiebant, nec solvebant, verum Dominus defensor illorum naturalis (Mundmann). Ipsi nec actores nec rei coram jure comparere poterant. Hinc etiam leges medii aevi saeculorum tantum ubi de Dominis agitur, illorum meminerunt; juraque et obligationes Registra, unde serius Urbaria orta, traditio, usus, et consvetudo privata determinarunt. Dominum coram judicio accusare non poterant, quis enim illos defendisset, et perso-

nam illorum egisset? Antiqua quidem servorum divisio in Casatos, et non Casatos in aliam Mancipiorum (vox composita a mansus et capio) ac Familiae transiit, sed conditio mansit fere prior. Colonorum tamen sors ab illa mancipiorum distincta erat longeque favorabilior; in specie tamen varietate sua non facile describenda. Etiam liberi Colonias tenere poterant, hincque Coloni in antiquis Legibus et Diplomatibus jam liberorum jam servorum (Eigene Leute) nomine notantur. – Decedente stirpe Carolingica haec omnia longiori adhuc tempore ita manebant, sed serius (exeunte saeculo undecimo; sequentibusque) expaditiones cruciatae sortem multum mitigarunt servorum; multi enim illorum secus jure belli (militandi) non gaudentes gladio succincti agmina sacra sequebantur, terrasque sine cultoribus reliquerunt, quas Domini vel liberis concedere personis, vel servos libertate et mitioribus legibus donare coacti erant, ut hos a sequenda sacra cruce retinerent. Exemplum quoque exterorum (Belgarum praeprimis), qui non sufficientibus culturae agrorum patriis servis, pulchris homineque libero dignis conditionibus alliciebantur per terrarum dominos, et hos coegit, et servos incitavit ad similes conditiones concedendas lucrandasque. Civitatum quoque moenia multis profugis servis asylo erant, et praesidio. Jus porro Canonicum et Civile Romanum etiam conditioni illorum meliori favebant; illud enim auctoritati propriae Dominorum inimicum in decidendis cunctis litibus formam juris observari voluit; hoc placita sua mitiora de Colonis ad servos applicuit. Demum sensus quoque humanitatis Dominorum quorundam ser-

vos ut homines considerans sortem horum mitigavit.

1) Secundum sanctionem Lothari regis (Cap. 338, 339) equa gravida, et ancilla (serva, Magd) idem habebant Verigeldum (Wehrgeld, homagium).

2) Lex Bavarica (Tit. I, Cap. 14, § 1, 5) inter caetera agrarium (Ackerzins) a triginta modiis (Muten) in 3 defigit adeoque decimam, etiam decimam fascem de lino et alvearibus apum statuit; praeterea Coloni singuli 4 pullos et 15 ova, arationem porro, sationem, messem, cincturas, et convectionem etc. secundum mensuram agrorum praestare debebant.

3) Hi Magistris (Meister), et qui his suberant, discipulis (Gesellen) absolvebantur; opificia ac artificia illorum tantum manibus tunc temporis tractabantur, primum solum in Domini, dein etiam aliorum usus.

Hae fuerant classes civium in Germania, haec facies illarum et inter se correlatio, dum S. Stephanus Hungaris novas scripsit leges tam publicas quam privatas; dum formam regiminis novam, novamque Reipublicae administrandae normam statuit prototypum in occidentis imperio imitando (S. Stephani Decr. L. II, praefat.; Col. Decr. L. 1, praefat.; Andreae II-i Decr. de a. 1222, praefat.) Has igitur Civium classes et in Hungaria creavit, ut id legum aliaque monumenta loquuntur. Igitur illas in patria nostra salutemus.

Homines, quibus Respublica nova gaudebat, in duas magnas abiverunt classes: Liberorum, et non Liberorum seu Servorum (Leibeigene). Liberi praeter Praelatos, qui ut alibi (a tempore Caroli M.), ita in Hungaria quoque primum statum constituerunt, distinguuntur in Legibus [1]) S Stephani in Comites, [2]) Milites (alicujus virtutis), et Vulgares

(L. II, C. 14, 33); alibi generatim magis (L. II, C. 18) in Majores, Minores, et Vulgares. Inter Majores censentur Episcopi, Abbates, Comites, (S. Ladislai L. III, C. 2, principio). Comites et Milites communi nomine Valentes etiam (L. II, C. 15), Vulgares vero Pauperes in antithesi videlicet cum Valentibus vocantur. Nobilium quoque et Ignobilium divisio occurrit, quorum illi in majores, et minores abeunt (S. Ladislai L. III, C. 2, princ.; L. II, C. 25); hi vero duas relate ad vitae conditionem diversas complectebantur classes, Civium nempe et Colonorum, uti inferius videbimus.

1) Caput 4, L. I. Decretorum S. Stephani citare nolui; quia hic Liber plerisque apogryphus videtur.
2) Comites medio aevo duplicis erant ordinis. Nempe ita vocabantur Judices omnis generis a Comite Palatino, Palatii (Hofrichter, Pfalzgraf, Nádor Ispány) Comitem usque Opilionum *) etc. et ita quoque appellabantur Dynastae, qui opum divites potentiaque insignes jure perpetuo et haereditario latifundia sua (Baronias, Dominia) possidebant, ut persona illorum a jurisdictione Comitis Castri exemta; ipsi jurisdictione pollentes tam superiori (alta, sangvinis, jure gladii) quam etiam inferiori (bassa) in Populos suos (seu ut hodie appellare solemus subditos) vasallosque (hodie Nobiles praediales, Banderia), adeoque tam patrimoniali, quam feudali. **) Systemate feudali saeculo X-o, adeoque novae Reipublicae auspiciis jam multum gentibus arridente; Comites hi praeter nexum subditi vinculo quoque feudali imperanti stringebantur. Vocabantur aliter Comites perpetui liberi et majores et naturales distinctione a Comitibus judicis auctoritate fungentibus. Baronum etiam nomine (nonnunquam cum Praelatis Mathiae (D. I. a. 4, 43) Magnatumque veniunt. Barones tamen Regni (Reichs-Baronen) apud nos Ministeriales supremi sunt archiofficia tenentes, adeoque cum Baronibus illis non

confundendi; a quibus etiam Comites (Grafen) et Liberi Barones (saec. XV) originem trahunt.

*) „Paulus Opilio Vice-Comes in villa Apa impetiit, Dominium Tengurd — —" (Registr. Varad. § 165).

**) Cel. Piringer Sedem Dominalem imitationem Judicii Feudalis (Burgbann, Burgding) credit.

Ordo Militaris, nobilitas adeoque tam superior quam inferior nexu vel feudali vel ministeriali praeter illum subditi Imperanti in regno novello jungebantur. Qui nexu feudali adstricti erant S e r v i e n t e s vocabantur; illi vero nexu ministeriali ligati communiter J o b a g i o n e s, voce ab Jabad, quod antiqua orientali hebraica lingva Ministrum significat (Révay Gram. I.) derivata, passim vero etiam C o n d i t i o n a r i i, M i n i s t r i (S. Ladislai L. III, C. 21), M i n i s t e r i a l e s q u e compellabantur. Nexus feudalis et ministerialis tam Regem inter et subditos, quam invicem inter hos intercedebat. In nexu cum Rege constituti vocabantur peculiariter S e r v i e n t e s, Jobagiones (Ministeriales, Ministri, Conditionarii) R e g i s (regii, regales, et reginales; nam et Reginae habebant, juniores etiam Reges) illi praeterea m i l i t e s d e d o m o R e g i a, e q u i t e s a u l i c i, f a m i l i a r e s R e g i s, r e g i a d o m u s R e g i s H u n g a r i a e, etiam B a n d e r i u m R e g i u m, v e r i, p r i m i, e t n a t u r a l e s N o b i l e s in chartis antiquis passim nominantur. Erant posteri eorum, quos Leo Sapiens Tacticorum Capite XVIII N o b i l i o r e s appellat; (vide Kollár Amoen. pag. 28-a) quibus primores Cumanorum, et etiam devictorum Slavorum ac Equites germani accesserunt.

Institutum Servientium est imitatio Ordinis Equestris (Ritterschaft) Germanorum, (et alia-

rum etiam gentium, Gallorum, Hispanorum, Anglorum etc. etc.) [1]) Honor sub proprio Banderio procedendi summus, quem animus ambitione martiali plenus apud gentes illas appetiit, ut obligatio potentioribus nostratibus ideam honoris illius cum instituto exotico conjuncti non habentibus imponi debuit. S. Stephanus ita jubet (L. II, C. 21) „Volumus, ut unus quisque Senior (seu dominus) suum habeat militem (id est) S e r v i e n t e m: Nec aliquis alter illi svadeat antiquum deserere Seniorem, et ad se venire. Inde enim litigium habet initium." Hinc patet, quod milites hi ab uno ad Dominum alium transire non potuerint; transeuntes vero reduci non minus ut servi potuerint. „Si cujus miles, vel servus, ad alium fugerit, et is cujus miles, vel servus fuga est elapsus, suum miserit legatum ad reducendum eum etc. etc." (S. Steph. L. II, C. 23). Rex Colomanus (L. I, C. 40) praecipit ut „Comites, si proprios in viliis suis liberos habuerint, de quibus equos accipere, et 100 pensas possint colligere; loricatum unum Regi de sumtu illo procurent: Si vero 40 pensas; militem absque lorica educant: si minus; suis hoc propriis usibus reservent." Hoc de Servientibus privatorum. Servientes Regis quoad obligationem militandi pares erant Vasallis Germanorum; ita enim Andreas II. de illis: „Si autem Rex extra Regnum exercitum ducere voluerit; Servientes, cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius. Et post reversionem, judicium exercitus, super eos non recipiat. – Si vero ex adversa parte exercitus venerit super Regnum, omnes universaliter ire teneantur" (1222 7 princ., et § 1). Illud vero singulare plane, quod Servientis Regis in expeditione, (in exercitu) occum-

bentis filius ab Rege collatione juris possessionarii solandus fuerat de morte patris (1222 a. 10, § 1) „Et, si Serviens eodem modo fuerit mortuus; ejus filius, sicut Regi videbitur, donetur.“ Praedia illorum exceptis causis monetarum, et decimarum a jurisdictione Comitis Parochialis eximebantur (1222 5 princ.) Ad dignitatem vero Domini Banderiati 50 equites requiruntur, (Ladislai II-i, 1526, 27).

1) Civiles castri Borsod, scilicet: Mauritius, Petur, Chyul, de villa Oym, et Martinus Hodnog, Sanctus Centurio, Petrus urbis praefectus, et omnes alii impetiere Cykiok, et fratres suos, scilicet Nemelt etc. quod essent eorum contribules, sed illi negarunt, sed dixerunt se esse de genere equestri, scilicet militum regis, et dixerunt quosdam de genere suo, scilicet: Peth etc. quibus idem constanter asserentibus — — Cum Varadinum venissent praedicti civiles et jobagiones castri.

Jobagiones duplicis erant generis, alii militaribus, alii non militaribus servitiis adstricti. Illi vocabantur Jobagiones equites, (vide notam sub 4 ad hunc §) equestres, (Belius ad § VII Reg. Var.) belligerantes, bellatores, [1]) communiter vero castrenses, aut Castri, etiam Milites castrenses, aut Castri; erat enim Hungaria secundum morem in omnibus fere regnis Europae reliquis vigentem ad facilitandam administrationem in Comitatus (Gaue, Pagos) per S. Regem divisa, nominatos ita a Comitibus, qui eis praeerant munere supremi judicis, simul et belliducis. In Hungaria vocabantur Comitatus etiam Parochiae, et voce hungaro barbara Megae (a Megye, meta, districtu), unde Comites vicissim Comites

Parochiani (Parochiales) appellabantur. In Comitatu quovis Castrum (Castellum) Regium erat, unde Comitatus plerumque ipse nomen sortiebatur, praeter Castra plura Regia et Reginalia privata aliorumque potentiorum Magnatum; ad utraque plures paucioresve spectabant villae (pertinentiae). Castra destinationem quam Civitates Germanorum habebant, unde initio inter Civitates (Staedte) et Castra (Burgen) nullum discrimen. Milites [2]) ad tuendum Castrum, ejus praesidium (Besatzung, Garnison) constituentes (milites praesidiarii) Castrenses, Milites Castri castrensesque sensu stricto vocabantur, etiam Cives, Civiles, Burgenses, (Bürger) Urbani et improprie Servientes Castri. Erant infimae sortis Jobagiones Castri, quos tamen nomine hoc generico insignitos nullibi deprehenderim. Illis dignatione (Rang) superiores erant Jobagiones Castri; per antonomasiam quasi ita compellati, quod sub vexillo (Banderio) Comitis Castri militarent. Hi rursus in duos abiverunt ordines; alii nempe erant Jobagiones, aliter Liberi S. Regis, vel Naturales, Filii etiam proceres S. Regis [3]) compellati, ex christianis Servis maximam saltim partem, beneficio Regis libertati assertis constitisse videntur, unde et Liberi S. Regis vocabantur; alii vero Jobagiones de Castrensibus exemti, qui per successores S. Regis in numerum legionis illius e Castrensibus seu Servientibus Castri bene meritis praemii loco cooptabantur. Illi cum hos antiquitate praecederent, digniores habebantur. Tam Castrenses (stricte tales) quam et Jobagiones Castri in villis ad Castrum pertinentibus agris dotati erant, et quidem jure dominii utilis ad haeredes quoque transeunte; [4]) sed simul cum il-

lis et jure haereditario alienari quoque poterant, et alienabantur, utinam non tam frequenter a regibus partim Servientibus (Regis) partem etiam Ecclesiis (monasteriis, claustris). Qua alienatione factum, ut plerique in sortem inferiorem Colonorum vel Civium detruderentur tempore; cum privati Dynastae obligationis illorum militandi nullam, aut parum utilitatis caperent [5]). Obligatio enim Castrensium et Jobagionum Castri pro beneficio praedii sibi dati sola militia definiebatur, ita ut hi praesertim Regem etiam extra Regnum comitari et generatim propriis expensis militare (exercituare) tenerentur. [6]) -- Magistratus, qui generatim populo Castri (provincialibus) praeerant, hi fuerant, C o m e s C a s t r i, (Comes parochianus) et ejus vices gerens C o m e s C u r i a l i s [7]) (id est aulicus, a gallico la cour, aula); — C a s t r i C a p i t a n e u s, Hungaris Hadnagy (antiquitus Hodnog, Hodunog, latina terminatione Hodnogio, Hodunogio), hic non Centurio erat, sed Centurionibus praefectus, unde etiam p r i n c e p s, d u x, e x e r c i t u s (quod hungaricum Hadnagy denotat), etiam M a g i s t e r e x e r c i t u s appellatus fuit; — C a s t e l l a n u s, Hungaris V á r n a g y, antiquis V á r n o g, et latina terminatione V a r n o g i o, idest Castri major, seu praefectus, qui arcem fidei suae commissam, rerum Castro necessariarum et terrarum ejusdem curam habuit, et in Castrenses Jobagionesque Castri eius causa jurisdictionem exercuit (Amoen. Vol. II, pag. 52-a seq.). In Germania Comites Castri et Castellani iidem erant (vide etiam Piringer pag. 134). — C e n t u r i o n e s (Centenarii, Centgrafen) qui Centuriatibus (Centurionatibus, Centenis) hodie d i s t r i c t u s, in quos Comitatus et populus ejusdem divisus erat,

praeerant, [8]) in locum horum Judices Nobilium successisse postea putat Piringer pag. 117-a); – Archipraeco, qui praeconibus Castri praefuit, unde et Major Praeconio aliter nominatus, horum vero obligationis erat, mandata Regis et Comitis per Comitatum in locis nundinarum promulgare, et tributum (vectigal) Regium exigere, pro qua obligatione terris Castri ut Jobagiones ejusdem fruebantur. His accedebant Decurio, cujus tamen antiquis in chartis rarior memoria, et Pristaldus (Praestaldus), cujus munus fere idem erat cum Testimonio Legali aevi nostri; consistebat enim in perhibendo de re coram se acta testimonio. Unde etiam Colomannus Rex praecipit de illis (L. I, c. 29) „Pristaldos tales esse praecipimus, quales idoneos testes fieri supra (Cap. 26, 27) jusseramus.“ Tandem Bilotus (Bilochus), cujus officium ita exprimitur a. 5, § 2, 1222 „Fures, et Latrones, Bilochi Regales discutiant, ad pedes [9]) tamen ipsius Comitis.“ Comes tamen et vicarius ejus etiam sine Biloto causas furum latronumque cognoverunt. Ex his Magistratibus Capitaneus Castri (Tribunus militum) et Decurio militari; Pristaldi, Biloti, et Archipraeco civili politico officio, reliqui vero: Comes, ejus Vicarius, Castellanus, Centurio, utroque functi fuisse videntur. Appellabantur Castellanus, Capitaneus, Archipraeco, et Centurio, aeque Jobagiones Castri per eminentiam, aliter praefecti Castro et Militi Castrensi. – Ordo Servientium superior erat dignatione ordine Jobagionum militarium, ex hoc enim praesertim Castri Jobagionum ad illum translationes meritorum causa longiori tempore locum habebant; donec Ludovicus I Servientium, Jobagionumque militarium classem, quae aevo illo jam fere so-

lum communi Nobilium nomine insigniebatur, in unam coegit, juribus utrique iisdem tributis. Ita enim ille articulo 11-o 1351: „Ad eorundem etiam Nobilium petitionem annuimus, ut universi viri nobiles, intra terminos Regni nostri constituti, etiam in tenutis Ducalibus, sub inclusione terminorum ipsius Regni nostri existentes, sub una et eadem libertate gratulentur.“

1) Aegidius Abbas, et Curialis Comes ejus — impetierunt, Dezmert — quod essent Selliferi agasones Ecclesiae de Páztuh, qui responderunt se esse Jobagiones bellatores praedictae Ecclesiae (Reg. Var. § 80, 93).
2) „Petrus Joubagio castri Borsod impetiit castrenses ejusdem castri, scilicet de villa Beleta etc. dicens, quod officium eorum esset, carceres custodire. Illi e contra dixerunt, quod milites quidem castri essent ad belligerandum, non ad carcerem custodiendum.“
3) Pray notitiarum praeviarum, Parte II-a, pag. 81 dicit: „Simili cum his praerogativa gaudebant Proceres S. Emerici Ducis“ et in nota sub e) adfert Diploma Stephani III-ii de anno 1165, quod ita inter caetera habet: „Ego Stephanus etc. etc. istos homines inter suburbanos Posoniensis Castri existentes — a castrensi servitio subtraxi, eo tamen tenore, ut inter ejusdem castri proceres filii S. Stephani Regis existant.“ Sed male legit Pray filii in Genitivo; est enim Nominativus pluralis.
4) „Castrenses Zathmar, de villa Voda impetierunt uxorem et filios Andreae Comitis filii Josae scilicet: etc. dicentes, quod Andreas Comes occupasset terram de portione ipsorum, ad 7 aratra, et adjunxisset terrae suae, quam Rex Andreas dedit illi ad 15 aratra. Praefata autem domina, et filii ejus responderunt, quod illa portio jure emtionis attineret ad eos.“ (Reg. Var. § 102, vide etiam § 110 et 111).
5) Non possum non ad probandam sententiam hanc locum in litteris Laurentii de Hedervár Palatini de anno 1267 in Pray praeviarum notitia-

rum (Parte II-a, pagina 87 sequen.) occurrentem huc facientem exscribere; hic est: „Quod cum dominus Rex, percepta, et considerata magna, et inutili multitudine Jobagionum equitum, monasterii sui de Tyhon, de quorum numerositate idem monasterium parvam, seu nullam utilitatem reportabat, advocatis ad praesentiam suam tam Abbate, et conventu, quam universis Jobagionibus praedictis, nobis sub vivae vocis oraculo praecepisset, ut redactis omnibus eisdem Jobagionibus, in conditionarios populos. quosdam paucos ex ipsis exceptos, numero scilicet 12 in Jobagionatu, et officio equestri, secundum morem antiquum, relinquere deberemus etc. etc. Cum igitur hoc regium praeceptum, coram Abbate, et quibusdam monachis — eisdem Jobagionibus exposuissemus, ipsi iidem Jobagiones a nobis, et per nos a Domino Rege, suppliciter petierunt, ut ne ad popularia, et conditionaria servitia ignominiose redigerentur, aliquam potius summam pecuniae pro servitio debito, domino suo Abbati solverent annuatim. Ad quorum petitiones, mediantibus nobis, dominus rex inclinatus, ordinavit, et statuit, ut exceptis — 12 personis, super sua libertate, seu exceptione, domini regis, et nostras habeant litteras, omnes reliqui tam nunc existentes, quam qui ab eorum successoribus descenderint, in perpetuum per singulas mansiones, singulis annis Dimidium Fertonem, Domino suo Abbati solvant in duobus terminis. — Hoc etiam adjicimus, quod dominus rex hanc cum eisdem Jobagionibus fecerit gratiam ampliorem, quod ratione hujusmodi solutionis, libertati ipsorum, nequaquam generetur, — qui Jobagionum numero censeantur, et exercituales ipsius domini regis sint, sicut hactenus exstiterunt.“

6) Articulus quidem 2-us 1222-i „Item, si extra regnum exercitum ducere voluerimus, et cum exercitu iverimus; omnes, qui Comitatus habent, pro pecunia nostra nobiscum ire teneantur,“ est contra sententiam meam; sed si conferatur cum principio hujus Articuli „Si autem Rex extra Regnum exercitum ducere voluerit; Servientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pe-

cunia ipsius" facile patet, quod verba pro pecunia nostra interpolata esse debeant, vel ut glossa in textum negligentia Librarii irrepserint; haec enim verba sensum totius Articuli destruunt. Et utique obligatio militandi propriis impensis fluit ex natura Ministerialitatis. Hanc meam sententiam confirmat etiam Articulus 15-us 1231 (vide Sylloge Decr. Com.), qui ita habet: § 1 „Nobis, facientibus exercitum extra Regnum, nobiles nobiscum ire non teneantur." § 2 „Nisi Comites, et Stipendiarii, et Jobbagiones Castri, et qui ex officio debito tenentur, et quibus amplas concessimus possessiones." Ecce hic nulla mentio pro pecunia nostra! Adjiciam nexus gratia etiam Articulum sequentem 16-um. Hic ita habet: „Si vero exercitus super regnum venerit, universi et singuli ad defensionem patriae contra inimicos se opponere teneantur." — „Regresso superveniente hostium exercitu pro vindicta teneantur ipsos persequi."

7) In Diplomate fundationali Abbatiae S. Montis Pannoniae vocatur Vice Comes.

8) Kollar Centuriones 100 militibus praeficit; omnes enim Castri Jobagiones (etiam Castrenses) in Centurias divisas asserit (Vol. II, pag. 71, 72).

9) Unde nomenclatio Judicis Pedanei. Kollár vehementer suspicatur Bilotos a Bela III esse constitutos.

Jobagiones, qui in domo (aula, curia, (am Hofe) et agro (Feldmark) principis, etiam privatorum diversi generis servitia obibant, ab his nomina quoque sua sortiebantur. In domo proprie serviebant, (Hausofficianten) Camerarius, Cubicularius, Janitor, Culinae Magister, Cocus, Dapifer vel Discophorus, Pincerna (Mundschenk), Cellarius, (Kellermeister) Praescissor (Vorschneider). Qui in aula stricte serviebant (Hofdienerschaft) erant: Pelliparii, Tornatores, Tavernici, Praecones, Pistores, Sutores, mulsi coctores, (qui parant marcium) Fabri, Carpentarii, Stratores, Agazones, Curriferi, Buckari, Vinitores, Pulsatores (vide Belium ad Registr. Varad. § VII). In agro ser-

viebant: Pastores ovium, Piscatores, Subulci, Venatores, aliique (Belius ad loc. cit.). Homines erant liberi. „Udvornici gaudeant privilegiato nomine hospitum liberorum.“ (1267 a. 2-o, vide etiam S. Steph. L. II, C. 55; Kollár oppositae est sententiae p. 131). Imo sors illorum melior sorte Jobagionum, aut certe Civium Castri. [1]) Terras sibi pro ministerio concessas jure haereditario possederunt. [2]) In lege S. Stephani (L. II, C. 55) Udvornici (Sambucus, rectius Sambóki in sua editione Udvornyek habet) dicuntur a voce hungarica Udvar, aula, quae a slavica dwor derivata est, ac si diceres Aulici. Qui his praefecti erant, vocabantur Comites vel Magistri, v. g. Comes Palatinus, qui in specie judex erat omnium Jobagionum aulicorum (S. Ladislai L. III, C. 3); Comes Bakonyensis, qui silvae Bakony ad Reges condam spectantis, venatoribus, [3]) silvae custodibus, et pastoribus, cocis quoque Regiis praeerat, in vicinia silvae illius habitantibus; Magister Dapiferorum, Cubiculariorum etc. etc. Etiam majores Ministri Regis (Colomanni Regis L. I, C. 9, et 11), serius Barones Regni appellabantur. Hi simul Concilium Regale; Senatum Regium S. Stephani, et Regum quorundam subsequentium constituebant. [4]) Andreas II, iis, exceptis Palatino, Bano, Comitibus Curialibus Regis et Reginae, duas gerere dignitates prohibuit; diserte una imponens, ne si Regem comitarentur, aut soli proficiscerentur, plebem (pauperes) opprimant aut spolient. [5]) Peculiaris est etiam constitutio ejusdem Andreae. „Si quis Jobagio habens honorem, in exercitu fuerit mortuus; ejus filius, vel frater congruo honore sit donandus“ (10 1222 § 1).

1) „Jobagiones castri Sumtey scilicet: — impetierunt joubagiones Tavernicos reginae, qui sunt in villa Monunga scilicet: — dicentes ipsos Cives Castri Sumtey. Illi autem, et praeterea Joubagiones Tavernicorum, scilicet: — Dixerunt eosdem esse joubagiones Tavernicos Reginae, quos Gyula Curialis Comes Reginae discutiens etc." (Reg. Var. § 363).
2) — „cives ferrei castri impetiisse quosdam ministros Regis — pro injusta occupatione terrae Castri. — Ipsos autem ministros Regis respondisse, eandem terram esse haereditariam etc." (§ 364, Reg. Var.)
3) Nobiles de Szent Gaal in Comitatu Veszprimiensi adhuc hodie praedicato Venatorum Regis gaudent.
4) „Secundum decretum Regalis Senatus" (S. Steph. L. II, C. 14) — „Secundum Regalis decretum Concilii" (S. Steph. L. II, C. 19) — „Quia in hoc Regali Concilio decretum est" (S. Steph. L. II, C. 27) — „Consensimus igitur petitioni totius Senatus" (S. Steph. L. II, C. 35) — Senatores hi vocabantur etiam Principes „Quicunque ergo Regis et Principum Decreta fregerit" (S. Lad. L. III, C. 15).
5) „Item, praeter hos quatvor Jobagiones, scilicet Palatinum, Banum, Comites Curiales Regis et Reginae, duas dignitates nullus teneat." (1222). „Jobagiones ita sequantur Curiam, vel quocunque proficiscuntur; ut pauperes per eos non opprimantur, spolientur." (13 1222).

Privati quoque potentiores, Magnates, Praelati, et Ecclesiae, Abbatiae etc. (Reg. Var. § 313) similes Jobagiones habuerunt; horum enim Curiae seu aulae aevo medio ad paradigma Regiae compositae erant. Sors illorum melior videtur fuisse sorte Castrensium [1]) ipsique alios servitute sibi obnoxios habuerunt; [2]) Hinc etiam ad alium Dominum praestitis praestandis libere migrare poterant. [3]) Defensorem etiam libertatis aliorum, si impugnabatur, agebant, [4]) unde in judicio coramque jure (figura Judicii)

comparere omnino poterant; sine Domino suo tamen, qui illos defendere obligabatur, [5]) comparere debuisse non videntur, [6]) si sine illo etiam venire non jubebantur; [7]) tunc tamen ipsi vel Dominus illorum judici causam non comparitionis suo modo denunciare debebant, quod ut per se intelligitur, ita exemplis quoque confirmari potest (vide exempla sub 5 et 6 citata). Terras quod attinet pro Ministerio per illos possessas, non quidem mihi constat ex antiquis monumentis, quo jure tenuerint? haereditarium tamen fuisse mihi dubium non est; quia et Jobagiones Regis, quorum imitatio privati erant, eodem jure terras suas possederunt.

1) „Castrenses de Clus centurionatu Agad, scilicet: — impetierunt quosdam joubagiones, Nicus, filii Nidus, scilicet: Vedam — dicentes eos suos esse concives. Illi autem dixerunt se esse liberos omnino, et adduxerunt defensorem libertatis eorum videlicet: Stephanum de Villa Natztha. Christophorus itaque, Comes de Clus, misit eos — Varadinum, quo Nicus, et joubagiones ejus, cum defensore libertatis, eorum — venerunt stare judicio.“ (Reg. Var. § 254) — „Biborienses impetierunt quosdam inseparabiles joubagiones ecclesiae, Tedam, — dicentes, quod cives essent Bichorienses. Abbas autem de supra dicta ecclesia etc. etc.“ (Reg. Var. § 366)
2) „Perman, de Villa Ip, impetiit Stephanum, et Aegidium jobagiones Buncu de villa Cornis, dicens, quod servus suus nomine Rugas clanculo accepisset pecuniam suam, — et hoc ipsum dicebat servus ille arbitris, etc.“ (Reg. Var. § 156)
3) „Andreas, de villa Vitan, impetiit Georgium joubagionem Ypoliti, — dicens; quod cum Georgius prius joubagio ipsius fuerat, 12 marcas pro causa ejus, scilicet: Georgius expenderit, quos Paul, Curialis Comes de Bichor, ad judicium ferri candentis per Pristaldum nomine Gyugea misit Varadinum: ubi taliter convenerunt; quod Ypolitus daret Andreae pro joubagione suo 3 fertones, et

Capitulo 4 pondera, et dimidium, et idem Ypolitus pro eodem Georgio judici satisfaceret, Pristaldo autem Andreas teneretur.“ (Reg. Var. § 269)

4) „Castrenses de Carasna, de villa Ban, scilicet: — impetierunt quemdam scilicet: Jecur, filium Redea, — dicentes, quod Concives essent eorum. Illi autem dixerunt, se esse liberos, et genere Ruthenos, et adduxerunt defensorem libertatis suae, nomine Chedur, genere Ruthenum joubagionem Barnabae, qui dicens illos cognatos suos esse; tenuit libertatem eorum, — Chedur itaque portato ferro justificatus est, probavit illos liberos esse.“ (Reg. Var. § 300)

5) „Bodum Comes, quemdam nomine Chebam, traxit in causam, coram arbitris parochitanis, — dicens, quod unum joubagionem suum occidisset, et alium crudeliter flagellasset.“ (Reg. Var. § 339)

6) „Somzou, — impetierunt quosdam de villa Orobag, scilicet: Cogy, Sceman, Ballum, Vros, Votam, et de Villa Tuca Usam, — non venerunt; sed dominus eorum (Cogy, Sceman) misit excusatorem, pro eis dicens, et quod ipse in praedicto termino debuit esse apud Palatinum, et ideo joubagiones sui praenominati sine ipso venire Varadinum non potuissent.“ (Reg. Varad. § 288)

7) „Martinus, filius Grege, impetiit joubagiones Ethae, — pro 100 porcis violenter ablatis. Judice Mica Comite de Bichor, — praenominati autem joubagiones non fuerunt. Sed quidam Sacerdos veniens, dixit: quod dominus illorum esset in curia (am Hofe) et sine domino eorum ipsi non essent jussi venire Martinus itaque, et Pristaldus ejus, ut ipsi dixerunt, ad judicem praefatum redierunt, et a judice ad nos reversi dixerunt, quod judex condemnaverit illos, et etiam a Capitulo pro condemnatis haberi jussit.“ (Reg. Var. § 334) In hoc exemplo vel excusatio debuisset coram judice quoque interponi, vel non erat verum, Jobagiones sine Domino venire jussos non fuisse. Primum, videlicet Judici quoque debuisse causam non comparitionis insinuari, patet ex alio ejusdem Regestri loco, § 282: „Joubagiones Petri, filii Pou, scilicet: — cum missi essent pro latrocinio, Abeym Judice eorum, Varadinum ad judicium ferri candentis, — venerunt; sed Petrus, dominus illorum, tulit litteras ex parte

Abeym judicis eorum, in quibus jubebatur Pristaldo, quod differet causam illam ad festum S. Regis ad Regem."

Sed qui erant, quaeve sors illorum hominum, quibus agricultura exercebatur? Qui nobilem bellandi tractarunt artem, his quid minus in mentem venire poterat, quam ensem cum vomere commutare, et duro exagitare terram labore? Stiva et reliquae, quas homines docuit industria artes contemtae illis erant, ut omnibus populis, dum idem percurrerunt, percurruntque culturae suae stadium. Idem de Hungaris Pater Verbőczius affirmat: „Nullis quaestuariis aut vulgaribus artibus dediti sola militia nobilitatem definiverunt" (vide praefationem ejus). Igitur, quemadmodum in Germania, Servi, qui initio non de gente, partimque antiqui terrae victoria partae incolae, qui arma adversus occupatores tulerunt, ideoque in servitutem redacti, partim ex hostico magno numero adducti erant, [1]) ad stivam adigebantur.

1) „Christiani autem; quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt Captivi, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtive Domino consecrare, modo certatim, nullo obstante timore offerunt eos baptisare. Ac gratulantur omnes tamquam ex peregrinatione in Patriam reducti, quod Christiano more Oratoria audent construere." Ita S. Piligrinus in Epistola sub Geyza Duce ad Benedictum VII pontificem data.

Erat vero dura ut ubique ita in Hungaria quoque Servorum conditio, certe admodum dura. Non homines, eo minus cives, rerum habebantur loco, in commercioque erant; quibus igitur Domini ut utensilibus utebantur. Servus a libero vita privatus simili, vel pretio ejus compen-

sandus erat. [1]) Servus, qui servum alterius e medio sustulit, ut et jus domini in servum, rem suam salvum servetur, et Dominus alter servi occisi, ut rei suae destructae indemnitatem consequatur; venumibat, et pretium utrumque inter dominum dividebatur ex aequo, nisi dominus laedentis servi maluisset compositionis ejus medietatem persolvere, [2]) quae erat 27 ½ pensarum. Caeterum poena praeter poenitentiam spiritualem, jejunium secundum decretum Canonum nulla locum habuit. Si servus liberum necasset, dominus ejus vel pretium liberi 110 pensas aut totidem juvencos, aut servum noxae dare debuit. [3]) Quod tamen de homicidio doloso et culposo non casu commisso (casuali) intelligendum videtur. [4]) Commercium cum servis una restrictum conditione, ne Hungari natique in Hungaria peregre vendantur. [5]) Caeterum Imperantis aut Civitatis nulla illorum cura, nullae leges, quae arbitrium Dominorum moderarentur, aut saevitiem reprimerent. Sors igitur tota illorum talis, qualis ut sit, Domino lubebat; lubitus erat, nam nemini rationem reddere debuit; servi enim Dominos suos nec coram jure accusare, nec contra eosdem testimonium perhibere poterant; [6]) communis fere sors, ut pro improbo labore vitam mercedis et praemii loco tulerint.

1) „Si vero liber alicujus occiderit servum; reddat alium servum, vel pretio componat: et secundum Canones jejunet. (S. Stephani L. II, C. 13, § 1)— „Si quis — fornicaretur cum ancilla alterius; — ancilla autem conceperit de eo, et parere non poterit, sed in partu morietur; componat eandem cum alia ancilla.“ (S. Stephani L. II, C 26, § 1, et 2)

2) „Si alicujus servus, servum alterius occidit; Senior homicidae medietatem servi componat Seniori interfecti, si potest: si autem non; peracta

una Quadragesima, venundetur servus, et pretium dividatur." (S. Stephani L. II, C. 36) — „Servus quoque alicujus, si cum ancilla alterius fornicatur; decalvetur, et depiletur: Et si ancilla de eo conceperit, et in partu moriatur; servus venundetur, ac dimidia pars pretii Seniori ancillae detur: altera pars vero Seniori servi semper remaneat." (S. Stephani L. II, C 26, § 3)

3) „Si quis accensus ira, ac superbia elatus, spontaneum commiserit homicidium; sciat se secundum Senatus nostri decretum 110 daturum auri pensas." — „Servum, liberi homicidam, si seniori placuerit; 110 juvencis redimat, aut tradat." (S. Stephani L. II, C 16, 37)

4) „Si quis autem casu occiderit aliquem; 12 pensas auri persolvat: et sicut Canones mandant, jejunet." (S. Stephani L. II, C 13)

5) „Nemo servum in genere Ungarorum, aut quemlibet in Hungaria natum etiam alienigenam, nec ancillam (exceptis linguae alterius servis, qui ab aliis ducti sunt regionibus) vendat." (Col. L. I, C 77)

6) „Ut gens Monarchiae hujus ab omni incursu et accusatione servorum et ancillarum remota, et quieta maneat; secundum regalis decretum concilii penitus interdictum est: ut nullius causa culpae aliquam servilem personam contra dominos vel dominas in accusationem vel testimonium recipiant." (S. Stephani L. II, C. 19)

Erat autem magnus servorum numerus; praeter captivitatem bellicam lex quoque subin delictis pluribus jacturam libertatis dictavit:

a) Jam sub ducibus ille, qui praeconis voci ad arma proclamantis non obtemperavit, primis temporibus media scissus per viscera serius in servitutem redigebatur, quae consvetudo, ut asserit Verbőczius „multos Hunnorum, (Hungarorum) perpetuam redegit in rusticitatem:" (vide I-ae 2-um, § 2, 3, 4, et 5-um).

b) Qui cum ancilla (serva) eadem, vice fornicabatur tertia servus erat Domini ancillae;

unde patet adagio Juris Germanici: **Tritst du meine Henne, so wirst du mein Hahn**, in Jure quoque nostro locum datum fuisse. Poterat tamen se redimere [1]).

c) Qui sciente et consentiente Domino (a consensu illius enim res pendebat) ancillam matrimonio sibi junxit, hoc vinculo dulci grave simul servitutis ei nectebatur; servus erat Domini ancillae. [2]) Hinc aliud quoque brocardicon (ut hoc etiam verbo utar) Juris Germanici „**Die unfreye Hand zieht die freye nach sich**" in Jure nostro applicationem habuit. Sed nec Dominus ipse ancillam, quae sibi arrisit, uxoris loco habere potuisse videtur salva libertate; huc enim dominium in illam non se extendit. [3])

d) Qui furtum prima commisit vice, in servitutem incidit, adeoque venundabatur, si se redimere non potuit. [4]) Erat vero furtum hominum [5]) rerumque delictum viris et foeminis aeque [6]) adeo frequens, quod vel ex legum de eo latarum, et frequentia [7]) et severitate colligas; ut credibile sit multos omnino Liberos furandi cupiditate jugum subivisse servitutis. Illa tanta certe tamque communis fuit, ut ei nec Clerici [8]) omnino resistere valuerint, et etiam proximi Principum, (Optimatum) ea foedarentur. [9]) (S. Ladislai L. III, C. 1, § 3). Sub S. Ladislao cum libertatis jactura, et nasi auriumque incisio [10]) non satis furum ingenia terreret, concupiscentiamque alieni in illis cohiberet; jam liberi jam servi, [11]) jam solum illi [12]) patibulandi jubebantur, si furtum majus admiserunt; minus oculo luebant. [13]) Quamvis vero asylum contra legum severitatem fures in Ecclesia, Curiaque Regis, et ad pedes Episcoporum invenerunt; – dum nempe fur in furto per

dominum rei deprehensus, captus, ligatusve ad judicem ductus evasit, et ad asyla illa confugit; ille rem ablatam vel ejus pretium non amplius [14]) secus vero (si fur nec captus vel ligatus asyla quaesivit) vindicare potuit. [15]) – Nihilominus Liber incidit in servitutem perpetuam Curiae vel Ecclesiae, ita ut nec Presbyter hujus illum manumittere seu libertati asserere posset, quod si tentavit, ipse in locum ejus servituti Ecclesiae addicebatur, quin servo manumisso quidpiam profuisset; hic enim peregre venumibat, reversus oculis privabatur. [16]) Servus vero ad Ecclesiam fugiens domino suo restituebatur; erat enim res illius, qua invitus privari non potuit, debuit tamen eundem pensa ab Ecclesia redimere, damnum praeterea furto datum resarcire; ille, qui consilium dedit servo ad Ecclesiam fugiendi, duas huic pensas solvere obligabatur. Si Dominus Servum non repetiit, hic damnum passo persoluta Ecclesiae pensa cessit. [17]) Si Hospes manus Fidejussoris evadens ad asyla confugit, patibulo quidem liber erat; sed tamen una cum Fidejussore suo extra regnum venumibat. Hoc paradoxum videri debet illis, qui mores temporum illorum penitius non inspexerunt, non est tamen. Fidejussor enim uti videbimus infra debebat cavere de cliente suo, ut ita dicam, et damnum per eundem datum resarcire: ut hoc se liberet onere, si ille furtum commisit, ligatum duxit ipse ad judicem consilium simul ei suggerens, ut fugam arripiat, dum duceretur, ad asylumque confugiat; hac enim ratione damnum amplius furto illatum compensare non obligabatur. Hanc fraudem Fidejussorum lex antevertere voluit. [18]) Dein furtum majus patibulo dignum in 10 defigebatur denariis, minus vero liber decuplo

(et pensa), servus duplo rei furto ablatae nasoque praeterea expiavit; [19] profugus vero oculos amisit, seu uti stylo curiali illius aevi dicebatur, aboculabatur. [20] Adhuc serius fures generatim aboculabantur, et quidem liber 10, servus 6 denarios valentem furatus rem luminibus ambobus simulque hic rebus quoque suis (refuso prius damno ex illis) Fisco cedentibus, privabantur: unaque cum uxore conscia filiis filiabusque annos 10 (secundum legem S. Ladislai) vel 15 natis (juxta legem Colomanni) in servitutem redigebantur; furtum minus altero tantum lumine (juxta stylum curialem aevi illius semioculo) luebatur. [21] Furtum demum majus lege Colomanni 20 denariorum aestimatum. [22] Neque sub illo asylum amplius multum profuit. [23].

e) Judex non fidus legum in fures latarum exequens libertatis rerumque jacturam fecit, et extra regnum venumibat. [24].

f) Qui quem ut furem ceperunt, adversus eum furtum comprobare non poterant, poenam talionis subibant. [25].

g) Custodes confiniorum Ewrii (id est Örii a voce hungarica Ör, quod antiqui scribebant Ewr, et custodem, denotat) dicti, qui absque facultate Comitis equos vel boves extra regnum vendebant, libertatem; illis vero praefecti (Centuriones et Decuriones, S. Ladislai L. III, C. 1) ob simile delictum libertatem cum fortunis amittebant. [26]

h) Servorum et pecorum fugitivorum Collectores tam Comitis quam Regis mala fide agentes, etiam illi, qui servos vel pecora collecta ab illis quacunque ratione data acceperunt, libertate aeque carere debebant. [27] Generatim videtur principium fuisse illud juris aevi, cu-

jus fata narro, quod qui mulctam (compositionem, byrsagium) delictis, quorum reus erat, dictatis solvendo, damnoque dato compensando non erat, libertatem vendere cogebatur, ut e pretio illius judici litigantibusque satisfaceret. [28]) Vere igitur, ut proverbium habet, pelle luebat. Omnes demum, qui ex parentibus utrisque vel alterutro eorum servitutem servientibus nascebantur, (quas vernas dixerunt Romani sed matre solum serva enixas juxta principium: p a r t u s s e q u i t u r v e n t r e m) servitutis jugum subire debebant.

1) ,, Si quis — fornicaretur cum ancilla alterius; sciat se reum esse criminis, et pro eodem crimine imprimis decalvari, ét depilari. Si vero secundo cum eadem fornicatus fuerit; iterum decalvetur, et depiletur. Si autem tertio; sit servus pariter cum ancilla, aut redimat se." (S. Stephani L. II, C. 26, § 1).

2) ,, Quia in hoc Regali Concilio decretum est: ut si quis liber connubium ancillae alterius, sciente domino ancillae elegerit, perdita suae libertatis industria, perpetuus efficiatur servus." (S. Steph. L. II, C. 27, § 1).

3) ,, Si quis autem Presbyter, ancillam suam, uxoris in locum sibi associaverit; vendat, et si noluerit, venundetur, et pretium ejus ad Episcopum transferatur." (S. Ladislai L. I, C. 2).

4) ,, Si quis liberorum furtum commiserit, hanc decrevimus Legem componere; ut semel redimat se, si potest: sin autem non, venundetur." § 1. ,,Si idem venundatus furtum commiserit; legibus servorum subjaceat." § 2. ,,Si secundo; simili legi subjaceat. Si vero tertio; dispendio vitae dijudicetur." (S. Stephani L. II, C. 41).

5) ,, Si quis militum impudicitia foedatus, puellam aliquam sine concessione parentum sibi in uxorem rapuerit; decernimus puellam parentibus reddi, etiam si ab illo aliqua vis sibi illata sit: Et raptor 10 solvat juvencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puellae." § 1. ,, Si vero pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur

agere; componatur raptus 5 bobus (S. Stephani L. II, C. 25) „Raptus mulierum, Episcopus, seu Archidiaconus, dijudicet." (Colomanni L. I, C. 59).

6) „Cum igitur cunctis horrendum, et omnibus abominabile sit, virilem sexum repertum fecisse furtum, et magis, magisque sexum foemineum; Secundum Regalem Senatum decretum ést, ut si aliqua mulier maritata furtum commiserit, a marito redimatur." § 1. „Et si secundo in eandem culpam inciderit, similiter redimatur. Si vero tertio; venumdetur." (S. Stephani L. II, C. 29) „Si quae mulier, habens maritum, furtum fecerit; nasum perdat, et venumdetur, et cum tota substantia sua, cum qua post viri sui mortem maritari alii posset; pereat." § 1. „Et, si vidua idem fecerit, alterum perdat oculum: Et exceptis partibus filiorum suorum, cum parte sua annihiletur." (S. Ladislai L. III, C. 6) „Si quae innupta puella furtum fecerit; venundetur, et nunquam ad libertatem redeat." § 1. „Et si quis emancipaverit; pretio careat, et illa in Curiam Regis ducatur." (S. Ladislai L. III, C. 7). — Hinc patet etiam, quod avorum nostrorum uxores servarum instar non tantum in domo, sed etiam civitate habitae fuerint; servorum enim legibus subjacebant.

7) S. Ladislai Decretorum Liber II fere ex integro, III vero magnam partem de furtis tantum agit.

8) „Ordo Clericalis, si anserem, vel gallinam, aut poma, vel his similia furatus fuerit, scopis tantum a Magistro corrigatur, sed quod furatus est, restituat: Majus his, si furatus fuerit, ab Episcopo suo degradetur, et judicio vulgari damnetur." (S. Ladislai L. II, C. 13).

9) „Temporibus piissimi Ladislai Regis, omnes nos Regni Pannoniae Optimates, in Monte Sancto conventum fecimus, et quaesivimus, qualiter malorum hominum impedirentur studia, et gentis nostrae expedirentur negotia." § 1. „Primum omnium jurejurando constituimus; ut qualiscunque proximus Principum reperiretur in furti culpa, ultra pretium gallinarum, nullatenus possit abscondi, vel defendi a quolibet eorum." (S. Ladislai L. II, C. 1).

10) „Si quis servorum semel furtum commiserit; reddat furtum, et redimat nasum 5 juvencis, si

potest: Sin autem, non; abscindatur." Si furtum, abscissus naso commiserit; redimat aures 5 juvencis, si potest: si autem non; abscindantur." § 1. „Si tertio commiserit furtum; careat vita." (S. Stephani L. II, C. 39, et 40).

11) „Si quis liber, vel servus, in furto captus fuerit; suspendatur." § 2. „Servus in furto captus, si ad Ecclesiam non fugerit, sicut liber suspendatur, et domino servi illius detrimentum sit in servo suspenso: domino rero verum perditarum, sit detrimentum in rebus perditis." (S. Ladislai L. II, C. 12).

12) „Placuit quoque, ut ipse fur, nisi ceciderit in Ecclesiam; suspendatur, —" (S. Ladislai L. II, C. 1, § 2). — „Si Servus, fur inventus fuerit, et non possit pretio commutari, nasus ejus (nisi ceciderit in Ecclesiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Episcopi) abscindatur: Et, si ceciderit, careat custos ejus vindicatione furti." (S. Lad. L. II, C. 2, princ.).

13) „Servus autem, vel liber, si anserem, vel gallinam furatus fuerit; monoculus efficiatur, et quod furatus est, reddat." (S. Ladislai L. II, C. 12, § 4).

14) „Placuit quoque, ut ipse fur, nisi ceciderit in Ecclesiam; suspendatur, et omnis facultas ejus depereat. Et, si impudentia ejus, qui ceperat eum, evaserit in Ecclesiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Episcoporum; careat, qui non cavit vendicatione furti." (S. Lad. L. II, C. 1, § 2).

15) „Et, si liber furtum fecerit, sed neque captus, neque ligatus ad Ecclesiam fugerit; ipse similiter sit servus Ecclesiae, et cujus erat fur, parte sua non careat." (S. Lad. L. III, C. 5, § 1).

16) „Si quis Liber furatus fuerit, et ad Ecclesiam fugerit; cujus Ecclesiae refugium quaesivit, illius servus sit." § 1. „Ille autem, cujus svasione evasit; parte sua careat." § 2. „Si Presbyter dein eum emancipavit; et ipse vice ejusdem servus sit Ecclesiae. Ille vero, qui furatus fuerat, venundetur in aliam patriam, et si postmodum huc reversus fuerit, tollantur ei oculi." (S. Ladislai L. III, C. 4).

17) „Servus, qui furatus fuerit, et ad Ecclesiam fugerit; Domino suo reddatur, et cujus consilio fugit, det Ecclesiae duas pensas." — „Eo modo,

si servus ad Ecclesiam fugerit, una pensa Dominus ejus eum redimat. cujusque res furatus fuerat, illi totum restauret." — „Item, si servus magnum quid, et tantum furatus fuerit, quantum Dominus ejus restaurare non poterit; cujus erat, unam pensam Ecclesiae det, et servus sit ejus." (S. Lad. L. III, C. 5; princ. § 2, 3).

18) „Si autem de manu fidejussoris evaserit; de patibulo quidem liberetur: verumtamen cum eodem fidejussore in aliam regionem venumdetur, et bona ipsius Regali Fisco vendicentur." (S. Lad. L. II, C. 1, § 3.

19) „Si quis Liber 10 denariorum pretium furatus fuerit; suspendatur: Minus denariis 10 si furatus fuerit; furtum duodecies reddat, et bovem unum persolvat." § 1. „Servus autem, si tale furtum fecerit; reddat duplum, et nasum amittat." (S. Ladislai L. II, C. 14).

20) „Servus profugus, si alicubi in furto deprehensus fuerit; obcoecetur: Et ideo ne suspendatur, nec lingua ei abscindatur, decrevimus; ut si postea Dominus suus eum invenerit, requirat per eum, si quid perdidit" (S. Ladislai L. II. C. 14, § 2)

21) „Si Liber, quod 10 denarios valet, furatus fuerit; cum omni substantia sua pereat: Sin minus autem; alter oculus eruatur, et secundum S. Stephani Decreta dijudicetur." § 1 „Item, si Servus 6 denariorum pretium furatus fuerit; careat oculis: Si minus; semioculo, et quod furatus fuerit, Dominus ejus dupliciter persolvat, ac restituat." (S. Ladislai L. III, C. 8) „Liber in furto captus, si ad Ecclesiam fugerit, et inde eductus fuerit; filii sui, et filiae suae, si 10 annorum, aut minoris aetatis fuerint, in libertate permaneant: Si vero majoris aetatis, quam 10 annorum fuerint, in servitutem redigantur, et omnis substantia eorum auferatur." (S. Ladislai L. II, C. 12 § 3) „Fur inventus in judicio culpabilis, aboculetur: Et uxor furis, quae particeps est sceleris mariti; merito servituti mancipetur: Filii quoque eorum, 15 annorum, et ultra; matris poenam sortiantur: Qui vero infra 15 annos fuerint; impune dimittantur." (Colomanni L. I, C. 56).

22) „Si quis furatus fuerit quadrupes animal, vel pretium ejus; aut vestimentum pretii 20 denariorum furetur; ut fur judicetur. (Colomanni L. I, C. 54)

23) „Si quis Liber, vel Servus, in furto captus fuerit; suspendatur.“ § 1 „Si vero pro evadendo patibulo, ad Ecclesiam fugerit; abductus ab Ecclesia obcoecetur.“ (S. Ladislai L. II, C. 12).

24) „Si Judex, nasum servi non inciderit, vel Liberum non suspenderit; pereant omnia sua, praeter filios, filiasve, et ipse Judex venundetur.“ (S. Ladislai L. II, C. 6 princ.) — Non possum hic praeterire Legem S. Ladislai Regis (L. III, C. 24, quae sic habet: „Si quis Judicum distulerit litigia ultra 30 dies; vapuletur.“ Brevis certe terminus Litium finiendarum, et argumentum pro judicibus illum observandi satis persvadens.

25) „Si quis sola suspicione furem coeperit; ut fur culpabilis in judicio judicetur.“ (Colomanni L. I, C. 55). „Si fur ductus, in judicio salvus apparuerit; captor ejus judicetur sententia; sed non aboculetur.“ (Colomanni L. I, C. 52) „Si furi capto, furtum proponi non possit; detur judicium: In quo, si salvus appareat; captor ejus privetur substantia, quantum ipse fur dictus habere dignoscitur, non autem aboculetur.“ (Colomanni L. I, C. 53)

26) „Comites Confiniorum, si equos, vel boves ultra fines hujus Patriae, sine licentia Regis, vendere permiserint; Comitatus honore priventur.“ § 1 „Custodes ergo Confiniorum, qui vulgo E w r i i vocantur, si absque licentia Comitum tale quid commiserint, libertatem amittant, si pauperes fuerint.“ § 2 „Illis vero custodibus, qui praesunt, si in culpa eadem rei inventi fuerint; cum omnibus, quae habuerint, pereant: Soli filii, et filiae in libertate permaneant.“ (S. Ladislai L. II, C. 17)

27) Vide Notam 31-am hujus paragraphi.

28) „Si quis extracto gladio jugulaverit hominem; Regali judicio tradatur in carcerem, et omnia bona sua dividantur in tria, scilicet: vineae, terrae lixae, servi.“ § 1 „Unde duae partes, dentur cognatis jugulati, tertia vero filiis, et uxori jugulatoris.“ § 2 „Si vero minoris facultatis sit, quam 110 pensis; amittat etiam libertatem.“ (S. Ladislai L. II, C. 8)

Erat vero gravi cautum poena servos contra voluntatem Dominorum libertati asserere,

qui hoc ausit, dominiumque in servum laedere nitebatur, totidem servis, quot ille Domini potestati subducere volebat, seu pretio illorum sinistram expiavit philantropiam [1]) Pretium inter Regem, Comitem, et Dominum laesum aequis dividebatur partibus. Cautum porro non mulcta leviori servos alterius profugos recipere; reddi debebant per Comitem praeterea cum 55, per Ministrum (Ministerialem) Regis cum 25, per Plebeum tandem cum 5 pensis; sique servus furti causa apud Dominum facti profugit; illi, quod conscii ejus non sint, fidem juratam facere (juramento se purgare) debuerunt. [2]) Ut vero servi profugi tranquillitati et securitati internae Reipublicae periculum non creent, constituti fuere rerum fugitivarum Collectores J o k e r g e c h dicti (Sámbóky habet J o c c e r d e c h in Codice; in Catalogo autem vocum insolentium J o c c e r d e g h a voce hungarica Jótkergető Disquisitore Bonorum forte derivatum). Habebat Rex Comitesque hujus generis collectores, homines, quibus curae esse debebat, servos (Uzbeg a slavico U b e c h profugo nominatos) simulque pecora fugitiva et vaga omnis generis rescire, intercipere, ac certum usque tempus custodire. Vocabantur autem servi pecoraque profuga nomine communi, peculiarique u s u c a p i o n e s forte illa ex ratione naturali, quod nisi intra certum tempus dominus illorum se insinuasset proprietatemque comprobasset, Rex illa praescripserit; praescriptio enim aliter etiam usucapio vocatur. Terminus quem usque dominus rem suam (servum, vel pecora) vindicare debuit, lege S. Ladislai (L. III, C. 13, et 14) festum erat S. Michaelis. Quidquid servorum, et pecorum usque illud in singulis provinciis (comitatibus) collectum, in Civitate

seu Castro Regio asservari debuit; cura pecorum Agasoni Regis Comitisque Castri incumbente. Usum illorum capere poterant, ut intertentionis pretium ipsis rediret; sed singulis nundinarum diebus eadem exponere debebant, ut domini copiam nanciscerentur, servos et pecora sua recognoscendi, et revindicandi. Qui pecus vel servum suum probavit, illud et quidem equum 12, bovem 5, hunc vero 90 denariis pro cura intertentioneque solvendis redimere potuit. Si festum S. Michaelis usque dominus non comparuit, quidquid collectum erat, aut titulo redemtionis solutum, inter Episcopum, Comitemque, et Regem dividebatur. Episcopus decimam, Comes dein unam, Rex duas partes tertias sortiebantur. Collector vel Comes ex rebus fugitivis quid alienantes vel celantes ante divisionem, ille vice prima triplum alienati vel celati reddere debuit, praeterea 10 pensis; hic 55 pensis mulctabatur. Si Collector sive Regis sive Comitis malam iteravit fidem, libertate caruit. [3]) Si vero Rex ut solebat vagum cui donabat servum, medium caput illius tondendum erat, secus cum uxore, si Dominus ei dedisset, 10 preterea pensis amisit. [4]) Si quis vagum bona apprehendit fide, ut Domino vel Collectori tradat, pro fatigio ab illo pensam tulit; si vero alteri vendidit vel donavit, et emtor et venditor 10 pensis malam fidem luebant. [5])

1) „Si quis alienis servis libertatem acquirere niteretur; quot servierunt, totidem mancipia solvat.“ § 1 „Ex quibus duae partes Regi; tertia Seniori servorum detur. Rex autem ex sua parte tertiam tribuat Comiti.“ (S. Stephani L. II, C 38)

2) „Interdicimus etiam, ut nullus recipiat servum alterius, vel lixas.“ § 1 „Si autem quispiam receperit; si Comes fuerit, sciat se dupliciter cum 55 pensis redditurum. Si minister; dupliciter cum

25 pensis. Si Plebeus dupliciter cum 5 pensis.“ § 2 „Quod si receptus, vel pro furto, vel aliquo crimine latuerit, et receptor conscius reatus illius fuerit, et negaverit se fuisse conscium: Si Comes est; juramento se purget, et insuper 55 pensas solvat; si vero Plebeus; simili juramento purgetur, et 3 pensis componat, et si quid contra eum latro proclamaverit, exaudiatur.“ (S. Ladislai L. III, C. 21)

3) „Rerum fugitivarum collector, quem vulgariter Jokergech dicunt, quicquid colligit, ad Civitatem ejusdem Provinciae congreget, et Regis Agaso, et Comitis ejusdem Civitatis in suburbio stabulum faciant, ubi usque ad festivitatem S. Michaëlis Archangeli, quicquid pecorum collectum erit, servetur, duae partes fugitivorum hominum donentur Regis Pristaldo, tertia pars Comiti, et usque ad pronunciatam festivitatem detineantur, et reserventur, de quibus post festivitatem S. Michaëlis, quando dividuntur, nuncius Episcopi decimam partem accipiat.“ § 1. „A festivitate S. Martini, usque ad festivitatem S. Georgii, congregentur oves, et boves, et simili modo dividantur.“ — § 2. „Et, si iterum rerum fugitivarum collector, quem dixi, hoc transgressus fuerit; exceptis filiis, et uxore ejus, cum omni substantia perdatur.“ § 3. „Si Comitis collector fugitivorum, liber fuerit; simili modo disperdatur: Si servus; Comiti auferatur.“ — § 4. „Si Regis, fugitivorum Collector, de his quae collegit, aliquid denegaverit, aut alicui dederit; tam qui recipit, tam qui dederit ambo perdantur: Et si quis ei quicquam de talibus negaverit; quantum negavit, duodecies tantum reddat.“ (S. Ladislai L. III, C. 13). „Usucapiones, capiantur a festo S. Georgii, usque ad festum S. Joannis Baptistae, et ducantur in Civitatem, teneanturque usque ad festum S. Michaëlis, ac presententur assidue in mercatu, ut si quispiam suam repererit personam; redimat nonaginta denariis, equum duodecim, bovem quinque.“ — § 1. „Ex quibus duae partes Regi, tres Comiti tribuantur.“ — § 2. „Si vero usque ad festum S. Michaëlis inventi non fuerint; dividantur praedicto modo: Tamen nullo pacto vendantur, vel celentur, sed tantum labore eorum utantur.“ — § 3.

„Quod si collector vendiderit, vel celaverit; triplum reddat, ipseque decem pensas persolvat." — § 4. „Comes vero, si itidem fecisse probatur; quinquaginta quinque pensas persolvat." — § 5. „Simili modo jubemus, ut qui usucapiones tenuerint, a tempore Regis Belae; usque ad festum S. Stephani dimittant." (S. Ladislai L. III, C. 20). — E combinatione duorum horum Capitum patet manifeste, quod § 2, 3, et 4-us Capitis 13-ii post § 4-um Capitis 20-i sequi debeant, illique cum his in nexu optimo, nullo vero cum § 1-o et 2-o Capitis 13-ii constituantur. Oscitantia librariorum factum fuerit, seu primi collectoris Legum harum, ut ordine nullo in unum conjicerentur!

4) „Si Rex aliquem vagum servum alicui donaverit; hic medium Caput ejus tondet: Quod si non fecerit; decem pensas amittat: Cui si uxorem dederit; etiam illam cum eo perdat." (Colomanni L. I, C. 41)

5) „Cum quis vagum apprehensum tenuerit; a Domino ejus una pensa redimatur." (Colomanni L. I, C. 43) — „Si quis vagum, quem tenet, aut alicui donarit, vendiderit; decem pensas persolvat, et totidem emtor illius." (Colomanni L. I, C. 44, princ.)

Servos, quorum nunc fata narravimus, habuerunt primis Monarchiae temporibus et Reges et privati quoque, uti ex hactenus dictis, vel me non monente, nullus non advertit, ut adeo rem ex monumentis aevi illius confirmare uberius operae pretium vix ullum sit. Sed hoc monere debeo, fuisse aevo, de quo narro, Regi privatisque civibus generis duplicis servos, Mancipia, et Lixas. Genus Mancipiorum, quod communiter tantum servorum insignitur nomine [1]) erat proprie culturae agrorum destinatum; [2]) Lixae vero erant servi domesticis iisque vilioribus servitiis sub inspectione Jobagionum seu Ministerialium liberorum, de quibus meminimus supra adstricti, uti et nomen ipsorum sufficienter demonstrat; erant igitur genus

quoddam Ministerialium infimorum non liberorum, qui ideo peculiari Lixarum, id est Calonum nomine appellabantur, quales in Germania quoque frequentes numerabantur. Modi acquirendi dominii in servos, caeterasque in res, quae in commercio sunt, iidem plane erant. — Inter illos et orthodoxa pietas majorum nostrorum numerabatur, quae monasteriorum ecclesiarumque ditavit patrimonium, ut aliis rebus, ita servis quoque in obsequium illarum oblatis. Habebat vero pietas haec duas quasi species, vel enim in meliorem Ecclesiae et ministrorum ejus dotem (dotationem) vel, ut loquebantur religiosi avi nostri, pro refrigerio animae, praesertim dum haec anxia vitae futurae exuvias mortales jam jam deserere minabatur, servi dabantur. Priores fundationales; posteriores exequiales, seu duschenici, (dusinici) dicebantur (animam enim vox slavica Duscha significat), et testamento plerumque constituebantur. 3) Caeterum devotionem servorum Ecclesiae non commutationem tantum Dominorum, manente servitute priori, sed libertatem religio avita reputavit; Deo enim, cum Ecclesiae ministrisque ejus, servierunt, adeoque non servitutem. Unde servi Ecclesiae devoti manumitti dicebantur aevo illo. Et erat devotio haec species quaedam manumissionis; melius enim sub umbra Ecclesiarum et Monasteriorum habebantur; unde proverbium: Unter dem Krummstabe ist's gut vohnen. Praestationes, quibus Ecclesiae ministrisque ejus tenebantur, accurate erant in tabulis de manumissionis fide datis perscriptae, ut exempla plura et pulchra, quorum memoriam Registrum Varadinense conservavit, testantur. Erant vero servi per Dominos in perpetuum Ecclesiae dati ita huic ad-

stricti, ut etiam filii illorum ita volente Domino priori militiae clericali, uti dici amabat, seu ministerio sacro initiati ad aliam transire non potuerint. (Vide Kollár. Amoen. Vol. II-o, pag. 129, et 130).

1) „Servum alterius recipiens, vel lixas, si Comes fuerit." — (S. Ladislai L. III, C. 21) — „Interdicimus etiam, ut nullus recipiat servum alterius, vel lixas." (S. Ladislai Decretorum L. III, C. 21; vide etiam notam 28-am § praecedentis)
2) „Agriculturam autem si quis eorum habuerit; paganis hanc mancipiis exornet." (Colomanni Regis L. I, C. 75)
3) Adferam exempla quatvor pulchra e Registro Varadinensi ad firmandam hanc propositionem, alioque etiam fine.

a) „Tecus, filius Dionysii artificis, qui aperuit in elevatione sepulchrum Sancti Ladislai Regis, et a gloriosissimo Rege Bela, dato pro eo artifice, perpetua libertate donatus est, cum omni generatione ab eo successura, sentiens dissolutionem sui corporis imminere, quemdam servum suum nomine Vrug constituit Dusinicum exequialem, quam ipsum, tam omnem ejus haereditatem virilem, ita, ut singulis annis apud ecclesiam de Beseneu celebrarent exequias cum duabus missis, una ove, triginta panibus, uno ansere, et una gallina, et duabus Chybrionibus cerevisiae, et decimas juxta conditionem servilem, det Sacerdoti, scilicet: duos cubulos frugum suarum, et unam gallinam." (Registri Varadinensis § 341)

b) „Cum Scemer, filius Scemera, in ultimo testamento dedisset Ecclesiae S. Georgii, Dusinicum quendam de praedio Fousae, nomine Dera, ut in festo S. Michaelis celebraret exequias, cum una ove conpetenti, triginta panibus, et quatvor idriis cerevisiae; Ipso Scemer mortuo, quidam cognatus ejus, nomine Cosma, detinebat eum apud se invitum, nec permittebat eum explere servitium suum. Filiae itaque praedicti Scemar, scilicet: Benedicta, et Rosa, ad quae omnia requisiverunt coram Joanne,

praeposito Varadinensi, nominatum Dusenicum dicentes, quod memoratus earum cognatus, dimissum a patre suo Dusenicum, apud se invitum detineret, et non sineret officium suum adimplere. Quod cum jam dicto Praeposito constitisset, dato Pristaldo, scilicet: Sacerdote jam dictae Ecclesiae, nomine Paulo nominatum Dusinicum restituit in officium, in quo ipsum Dominus suus stabiliverat, mandans eidem Dusinico, ut a praedicto Cosma recedens, mansionem sibi secundum arbitrium Magistri Capellae S. Georgii eligeret, memoratus autem Cosma daret ei juvencum unum, quatvor oves, et octo capetias frumenti ut habeat ex his seminaria rerum, ex quibus possit exequias celebrare." (Reg. Var. § 132)

c) „Sol, filius Salomonis, litigavit cum Abbate de Monasterio Gabrielis Fohem, de quinque Capitibus hominum, tribus viris, et duabus mulieribus, coram Simone Varadiensi Episcopo, et quibusdam Canonicis ejus, Martino, et Vidone, et coram Nuncha Comite Bichoriensi, dicens illos, quod sui juris essent, e contra praefatus Abbas asseruit eosdem, quod soror ipsius, Sol nomine Sebe, sub tali titulo Ecclesiae Gabrielis dimisisset, ut unus illorum nomine Choloz serviret Ecclesiae S. Michaelis, annuatim cum sexaginta panibus, uno bove trienni, tribus anseribus, quinque gallinis, et sex cubulis Cerevisiae atque denariis ad tres missas, et duae mulieres, scilicet: Scepa, et Vederey, essent lotrices ejusdem Ecclesiae; duoque viri, scilicet: Sekur, et Lotomás, liberi quidem essent, sed legatarii. etc. etc." (Reg. Var. § 209)

d) „Ego, Benedicta uxor Herczeg, de genere Borsa, duabus filiabus meis juxta natalium suarum dignitatem maritatis, et rebus meis eisdem legitime traditis, emi a cognato meo, Valeriano cantore, cum conscientia, et consensu cognatorum ejus, scilicet: Vstaur, fratris ejus, et Magistri Aniani avunculi ejus, et aliorum, ancillam, nomine Agnam, cum duobus filiolis ejus, Hetam scilicet: et Furtun, et proponens dies viduitatis meae, et filiorum, pro Ecclesia de Vgra consumare, appropinquante jam termino vitae meae, praenominatam ancillam, dedi eidem Ecclesiae, ut singulis mensibus, det ad altare Beatae Virgi-

nis, candelam unius cubiti, et hoc usque consummationem vitae suae. Alterum autem filiorum suorum, scilicet: Hetam constitui Dusinicum exequialem, ut singulis annis, ad eandem Ecclesiam, in festo S. Michaelis, celebret exequias bienni bove, et panibus, quinque idriis cerevisiae; alterum vero scilicet, Furtun, dedi eidem Ecclesiae, in Campanarium, et ambos in constitutis officiis, de generatione in generationem permanere." (Reg. Var. § 142)

Quod attinet Praestationes servorum, quamvis secundum principium juris dominii in servum, hic nihil habere poterat, nec igenio aut corpore suo producere, quod non Domini esset; tamen praestationes nec operarum, nec rerum indeterminatas a servis suis Dominos illius aevi exegisse mihi dubium non est. Non equidem tribuo id aequitati et humanitati Dominorum, saltim non illi soli, sed etiam et praeprimis utilitati ac commoditati illorum. Si enim Domini omnia, quaeque industria servorum produxit, sibi vindicabant, utique etiam intertentio horum ad curam illorum pertinere debuit; haec autem omnino gravis ipsis accidebat, qui parum rei familiari dediti omnem potius curam illius servis suis reliquerunt, et quos armorum strepitus saepe ab illa avocabat, nec dediti esse poterant; sed indignum quoque superbis videri debuit Dominis de victu et amictu servorum sollicitari. Hinc igitur partem operarum quam curia et ager rerumque quam penus illorum desideravit, sibi tribui, reliquam servo, ut vitam inde alat, cedere voluerunt. Fuit vero pars operarum, rerum praesertim, quas Dominus sibi dari poscebat, satis moderata, quia ultra mensae necessitatem se non extendebat; quaestus enim omnis indecorus visus est patribus nostris, et si quis exerceba-

tur is nonnisi cum pecoribus, bobus, et equis, quorum numerus magnus opes divitiaeque erant aevi illius. Juvat ad assertum nostrum de moderatione illa Dominorum confirmandum documenta de donatione servorum Ecclesiis supra ex Registro Varadinensi exscripta recolere, in quibus praestationes servorum et servarum accurate notantur. In primo exemplo duschenicus 30 panes, 1 anserem, 1 gallinam, 2 chybriones cerevisiae, stolamque duarum missarum titulo celebrationis exequiarum, titulo vero decimae 2 cubulos frugum, et 1 gallinam adhuc; Duschenicus secundi exempli aeque 30 panes, 4 idrias cerevisiae, et unam ovem competentem; Duschenicus tertii exempli 60 panes, 1 bovem triennem, 3 anseres, 5 gallinas, 6 cubulos cerevisiae, stolam pro tribus missis; Duschenicus tandem in 4-o exemplo occurrens panes (incerto numero, adeoque pro lubitu) 1 bovem biennem, et 5 idrias cerevisiae; Duschenica vero in eodem exemplo candelam unius cubiti titulo celebrationis exequiarum Ecclesiis, quibus addicti in servitutem erant, pro modo agrorum, quo gaudebant, majori certe communiter, quam hodie obtinet, praestare obligabantur. His Exemplis spatio intra annum 1214 et 1235 intercedente occurrentibus adhuc vetustiora sunt illa, quae Litteris Fundationalibus Praepositurae Demesiensis a Bela II (Caeco) 1138 editis, quibus donationem patris Almi Ducis confirmaverat, notantur. (vide Kollár Amoen. Vol. II, pag. 170 seq.) Donatio haec villas seu vicos 59 in se complectitur a 761 partim servis partim s e r v i e n t i b u s c a s t r i habitatos; posteriores cum amplius servitia militaria nexu cum castro per donationem divulsi non praestarent, in locum illorum Prae-

positurae una cum servis certam ex productis terrarum quantitatem pendere obligabantur, et quidem: decimas omnium frugum, oves 1522, farinae cubulos seu metretas 1522, cerevisiae cubulos seu urnas 1522, salis petras vulgo Zvanos dictas 761. Hinc ergo quilibet servorum et servientium praestitit praeter decimas, duas oves, duas metretas farinae, totidem urnas cerevisiae, et unam salis petram. In communi praeterea aliquae ex illis villis marcii sive mulsi cubulos (urnas) 175, domos exstructas duas vel asseres 1000, porcos 50; omnes vero festo S. Margarethae boves saginatos 4, oves pingvissimas 30, anseres 30, gallinas 40, salis petras sive Zvanos 20, et festo Nativitatis Domini anseres 20, gallinas 40, et salis petras 10; eademque haec festo Paschatis repetere debebant. Operae ipsorum in perietum et tegminum (coopertoriorum) Ecclesiae, officinarum claustri reparatione, vel si reparari amplius non poterant, novarum, et ovilis constructione, vivarii (piscinae) clausura et effossione, foeni sectione secundum praeceptum Praepositi vel Decani consistebant. Et hae erant praestationes quinquaginta novem villarum! Leniores multo adhuc erant praestationes nunc statim memorandae. In villa Udvornik mansiones 20 singulis annis martures 30, in villa Vten mansiones 38, et villa Gran mansiones 6 simul martures 75, in villa Mathala mansiones 20 martures 30, in villa Setkelu mansiones 14 martures 20 festo S. Georgii dare debebant Praeposituræ, praeterea decimas de porcis et vasis per tornatores in medio ipsorum degentibus confectis, ac venari, dum Praepositus jussit. Quinque hae villae (praeter illas 59) eidem Praeposituræ Demesiensi ab

Rege Bela II, et ejus conjuge Helena donatae sunt. Ex his Exemplis discimus simul: quod Domini omnes fere agros servos inter distribuerint, prataque solum, in quibus ministeriales infimi generis, Lixae, pecora illorum pascebant, paucis cum agris per mancipia immediate pro necessitate domestica cultis reservaverint, adeoque etiam terrarum indominicatarum seu salicarum, quas Allodiales [1]) (Allodiaturas) vocamus, a terris colonicalibus (dominicatis) secretio serius agricultura magis efflorescente acciderit, hincque praestationes operarum vel nullae habuerint locum, vel non in colendo agro Domini, sed aliis rebus perficiendis constiterint; quod de quota Domino ex agris competente nullum adhuc vestigium adsit, omnibus praestationibus ita comparatis, ut in penu et cella, quam horreo Domini locum idoneum invenerint, paulo post mensae ejusdem apponendae; quod tandem decimae ipsae rarius ex animalibus quoque, sed frugibus tantum omnis generis praestitae fuerint. Jus in agrum utique servis nullum fuit, quin potius pro arbitrio Domini de anno in annum, ut in Germania, alium coluisse videntur, prioris anni agro pro vervacto et pascuo communi relicto.

1) Allodium vel Alodium opponitur Feudo seu Feodo, et significat stricte terram, quam aliquis non jure Feudali sed pleni Dominii possidet. Derivatur ex articulo germanico, an, en, id est ein, et substantivo Lot, id est Loos, significatque terram, quam quis sorte in divisione terrarum armis et viribus communibus occupatarum obtinuit (vide Robertson Historiam Caroli V Vol. 1, in notis). Contrarium tamen, ne quid reticeam, tenet Cel. Hüllmann (vide Historische, und Staatswissenschaftliche Untersuchungen über die Natural-Dienste der Gutsunterthanen, 1803, pag. 95, seq.)

Sed praeter Servos erant etiam Liberi, veteres nempe C o l o n i, qui agriculturae operam navabant; enim vero simillimum vero si non certum et evictum est, ab Hungaris veteres Pannoniae incolas armorum expertes, quales vel maxime ruricolae fuerint quieti, libertate et agro avito in saevo praesertim aquilone non spoliatos fuisse. S. Stephani legibus certe praeter milites seu nobiles alii quoque Liberi memorantur, v u l g a r e s p a u p e r e s q u e dicti, qui vitam Cereris arti unice debebant. Veterum horum Colonorum meminit etiam Colomannus. Factum enim fuerit, ut solet communiter, ut miseri hi Coloni avarae terrarum cupidini potentiorum sicque haerediolo suo cedere debuerint; Rex hic eos in idem restituit, nisi amissus ager Monasteriis aut Ecclesiis datus et ipsi alibi terra interim jam potiti fuissent, aut jam ante plures tenuissent agros. [1]) Numerus vero Colonorum liberorum sub S. Stephano praeprimis magnopere auctus fuit per nationum confluxum diversissimarum in Hungariam; [2]) erat enim Rex ille Sanctus erga hospites admodum benignus, peculiaribus favoribus eos distinguens (1222 19, 1231 27). Secundum Decretum Colomanni quilibet hospes regnum intrans debebat de fidejussore sollicitus esse, [3]) qui de honesta ejus conditione vadem ageret, deque omnibus actionibus ejus responderet; secus hospes considerabatur ut vagus vel profugus, qui peculiari nomine Wzbeg (Ubech) vocabantur, et Regi in servitutem addicebantur. [4]) Ne hospites per regnum vagentur, jam S. Stephanus praecavere voluisse videtur lege, [5]) qua vetuit, ne hospes donec benevole et honeste ab illo, apud quem primum hospitatur, habetur, eundem deserat, et ad alterum se con-

ferat. Unde simul patet, conditione quacunque se obligaverint, hospitibus tamen, si Dominus ipsos honeste non tractasset, illum deserendi jus fuisse. Aliam accessionem libertas nacta est emancipatione seu manumissione, de qua supra. Quod jus in fundum Liberorum horum attinet: Coloni veteres, de quibus supra meminimus, agros suos jure haereditario possederunt, ut ex lege Colomanni citata colligi potest; quo jure enim secus Rex hic jubere potuisset, ut terrae ipsis ereptae iterum restituantur, si jus Colonorum in illas temporaneum tantum precariumque fuisset. – Sed et alii Coloni partim hospites partim ante servi nunc libertate donati eodem jure terras saltim comparare aere parato vel operarum rerumque permutatione potuisse, certum est et evictum. Si enim facultas haec [6]) a Rege Colomanno data est Judaeis, quibus caetera leges non favent, [7]) quis in animum inducat, eandem Colonis liberis, qui plerique omnes Christiani erant, denegatam fuisse. Caeterum possunt etiam exempla serioris licet aevi adferri. [8]) S. Steph. Rex optimus et justissimus cuique civium absque discrimine potestatem fecit de suis tam vivos inter quam mortis gratia disponendi absolutam et plenam. [9]) Principium illud juris privati communis, quod non nisi Nobilis extra moenia civitatum et quarundem aliarum communitatum privilegiatarum ambitum jure haereditario seu perennali, ut dici solet, terras (jura possessionaria seu bona nunc vocata) possidere possit, serius longe radices agere coepit. [10]) Colomannus lege diserta nullo discrimine interjecto sanxit principium: q u i d q u i d e m t u m e s t, h a e r e d i t a r i u m s i m u l e s s e. [11]) Quod attinet praestationes horum Colonorum, qui proprias colebant terras, Regi de-

bitas, (nam illis utique tantum Coloni hi tenebantur); Liberi non milites generatim sub S. Stephano et sequentibus aliquot Regibus Denarios praestabant, et quidem duplicis generis, titulo libertatis et operarum, seu pro libertate et opere, uti leges dicunt. Sub Denariis pro Libertate non tributum intelligendum est, quod pro libertate personae (personali) pendendum fuisset, verum pro immunitate ab obligatione militandi, quod videlicet Coloni ab ea liberi fuerint [12]) agriculturae causa. Sub operis vero seu opere, uti leges loquuntur, intelligi debent (aliud enim non potest) operae illae publicae, quae ad erectionem et conservationem castrorum regiorum, aedificiorumque, structuram et conservationem viarum et pontium publicorum, aliasque Reipublicae seu necessitates publicas, ad quas etiam Regis referebantur, requisitae erant, et quibus illi, qui Denarios non solvebant, obligabantur. Vocabantur ideo Denarii hi etiam Liberi, [13]) et corrupto detortoque sensim vocabulo Librae Denariorum. Caeterum relate ad tributum hoc Hospites favore illo fruebantur, quod illi tantum pro Libertate non item pro Opere Denarios solvere tenebantur. [14]) Reliqui peculiari Castellanorum nomine insigniti tam pro Libertate quam et Opere Denarios praestare debebant. [15]) Per Castellanos autem intelligi debent Castrenses seu Civiles privatorum. qui in villis (pertinentiis) ad Castra privatorum spectantibus degebant; nam Civiles Castrorum regiorum ut milites regii a solutione Denariorum exemti erant, quod ex lege [16]) Colomanni Regis aliisque monumentis demonstrari potest. Numerus Denariorum per singulos Liberos pendendorum lege Colomanni (L. I, C. 35, et 45) in

octo defigitur. Liberi tamen Communitatum, (Villarum), qui Regi et aulae ejus peregrinanti (Hofstaat), dum per territorium illarum transiret, currus et equos ad certam stationem suppeditarunt, aut servitia stipendiaria praestiterunt; dimidium seu quatvor Denarios solvere tenebantur; sive autem Liberi domibus gauderent seu non, eadem ratione tributum hoc pendere debebant. [17]) Ejus colligendi cura penes Comitem erat cujuslibet Comitatus, qui alteri cuicunque suorum eandem exequendam imponere poterat; singulorum Centuriatuum (Centurionatuum) Denarii peculiariter colligi, et festum usque S. Michaëlis Strigonium mitti debebant; secus Comes morosus summam collectam vel colligendam ex proprio marsupio duplicare in poenam morositatis suae obligabatur. Tributum dein Strigonii dividebatur inter Episcopum, qui primum decimam illius tulit partem, Comitem concernentis Comitatus, et Regem, quorum hic partes tertias duas, unam ille sortiebatur, ex qua Centurioni iterum cuilibet Comitatus sui aliquam partem cedere debuit. [18]) Si Comes Regem defraudavit ratione tributi hujus, duplum illius, quod Regi subtrahere intendit, reddere debuit. [19]) Andreas II Colonos liberos a praestatione operarum in utilitatem aulae sublevavit, si non omnes, illos saltim, qui in Servientium (Regis) et Ecclesiarum terris degebant; [20]) adeoque etiam denarii in vicem illarum praestandi cessasse videntur. Praeter tributum hoc Coloni, ut alii quoque cujuscunque dignitatis, adhuc decimam [21]) rerum omnium, quas ager aut vinea protulit, partem Episcopo, cujus dioecesi adscripti erant, dare obligabantur. [22]) Filius tamen in domo paterna (simul cum patre) degens, ab illa immunis

erat; peculiarem vero domum incolens praestare debebat. [23])

1) „Veteres coloni ejecti, terram non habentes alibi, ad suam revertantur.“ § 1 „Si tamen terra eorum data est Monasteriis, vel Ecclesiis, et ipsi aliam habent; hoc inviolabiliter ita permaneat.“ (L. I, C. 19)

2) „Praeterea intraverunt, Hungariam tam tempore Geychae, et S. Regis Stephani, quam diebus Regum aliorum; Bohemi, Poloni, Graeci, Hispani, Hismaelitae seu Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Turingi, Misnenses, et Rhenenses, Cumani et Latini; diutius in regno commorando, quamvis illorum generatio nesciatur, per matrimoniorum diversorum contractus Hungaris immixti, nobilitatem pariter et descensum sunt adepti.“ (Ita Magister Joannes Thuróczi in Chronico Hungarorum Partis II, Cap. 22)

3) „Item nullus advena, sine fidejussore, recipiatur.“ (L. I, C. 4)

4) Exercebant igitur Reges Hungariae jus quoddam in Germania Jus Kolbekerlii (Das Wildfangsrecht) vocatum, quod Palatino Rheni (Pfalzgraf am Rhein) competiit. (Vide S. Ladislai L. III, C. 2, 13)

5) „Si quis hospitem cum benevolentia accipit, et nutrimentum sibi honeste impendit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, et nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.“ (L. II, C. 22) — Allotrium est, quod hic adjiciam, adjiciam tamen, pertinet saltim ad lineamenta aevi illius: „Si quis Ismaelitarum hospites habuerit, vel aliquem in convivium vocaverit; tam ipse, quam convivae ejus, de porcina tantum carne vescantur.“ (Colomanni L. I, C 49)

6) „Agriculturam autem si quis eorum (Judaeorum) habet; paganis hanc mancipiis exornet.“ (exerceat) § 1 „Possessiones quidem Judaei, qui possunt emere, habeant: sed ipsi nusquam, nisi ubi sedes Episcopalis, remanere sinantur.“ (Col. L. I, C. 75)

7) Praeter sub 6) citatam, qua in libertate ubilibet habitandi nimium certe restringuntur, idque ideo ad Sedem tantum Episcopi ut sub vigili oculo ejus constituantur, jam S. Ladislaus (L. I, C. 10) legem tulit.“ Si Judaei uxores Christianas sibi associaverint, aut aliquam personam Christianam in

servitio apud se detinuerint; ablata ab eis, libertati reddatur, venditoribus ejus pretium tollatur, et in sumtum Episcoporum veniat." Similis huic est lex Colomanni L. I, C. 74, et L. II, C. 1; (vide etiam Colomanni L. II, C. 2, et 3; ac Andreae II 1222, 24)

8) „Cives castri de Nougrad, de villa Sembur, scilicet: — — coadjuvantibus ejusdem castri joubagionibus, scilicet: — — requisiverunt terram cujusdam liberi hominis, — quae est ad 4 aratra, dicentes, terram esse Castri, et ab ipso violenter occupatam in eadem villa, —. Qui Peth, cum terram suam jure emtionis se possedisse respondisset." — (Registri Varadinensis § 133)

9) „Decrevimus Regali nostra potentia; ut unusquisque habeat facultatem, sua dividendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque, atque parentibus, sive Ecclesiae." § 1 „Nec post ejus obitum quis hoc destruere audeat." (L. II, C. 5) Item „Volumus quidem, ut sicut caeteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum; ita etiam res, milites, servi, et quidquid ad nostram Regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile." § 1 „Et a nomine quid inde rapiatur, aut subtrahatur: Nec quispiam in his praedictis sibi favorem acquirere audeat." (L. II, C. 6) Item „Consensimus igitur petitioni totius Senatus; ut unusquisque dominetur propriorum, similiter et donorum Regis, dum vivit: Excepto, quod ad Episcopatum pertinent, et Comitatum." § 1 „Ac post ejus vitam filii simili dominio succedant." (S. Stephani L. II, C. 35)

10) „Dicuntur praeterea esse nonnulli, plebeae conditionis homines; qui praedia Nobilitaria pecuniis emta possideant, usumfructum percipiant; non tamen in eo loco resident, nec onera aliqua instar eorum, qui Nobilitari titulo, et exemtione terras possident, ferre volunt." § 1 „Idcirco, cum in oneribus maxime publicis, commodis istiusmodi carere Status nequeat, statutum est; ut tales plebeae conditionis homines, Praedia Nobilitaria possidentes, instar Nobilium unius Sessionis onera ferant; et in ea parte, Comitibus Parochialibus obedire teneantur." § 2 „Contumaces autem, et constitutioni praesenti satisfacere nolentes; bonis, seu praediis

ejusmodi per Majestatem Regiam (non privatum adeoque) priventur." (1543, a 36)

11) „Haereditas emptitia nulli haeredi auferatur. Sed tamen eadem testimonio confirmetur." (Col. L. I, C. 21)

12) „Bulsuh, dux exercitus, de Castro Zounuc, et ut ipse dixit, alii jobagiones ejusdem castri, item Bucicud, et ut ipse dixit, alii Castrenses impetierunt Felicianum, etc. etc. dicentes, quod essent castrenses de Zounuc; — — — esse omnino liberos, ut illi de se asserebant. (Reg. Var. § 147) Bichorienses de Centurionatu Sceculzaz, — impetierunt quendam liberum hominem, nomine Deum, dicentes, quod eorum esset concivis. Deus autem dixit se liberum esse omnino. —" (Reg. Var. § 208) Quale nomen, vel potius cognomen?! pertinet et hoc ad lineamenta aevi illius.

13) „Telceu — impetiere quosdam de villa Echek, — dicentes, quod essent eorum coofficiales, et similiter Centurionatui subjecti, illi autem dixerunt non esse subjectos centurionatui, sed debitores liberorum denariorum. Et hoc idem dixerunt joubagiones castri, scilicet: Forcos — — ubi praenominati castrenses Heves non comparuerunt praeter unum, qui dixit se vocari Forcos, et unum de adversariis, et missum esse ex parte sociorum suorum, — ."(Reg. Var. § 206)

14) „Liber quoque hospes, sicut Slavi, vel caeteri extranei, qui in terris laborant aliorum; pro libertate tantum denarios dent; non alios etiam denarios insuper pro opere aliquo dare cogantur." (Col. L. I, C. 80)

15) „De Castellanis autem tam pro opere, quam pro libertate denarii accipiantur." (Colom. L. I, C. 81)

16) „Si quis hospitum, accola, terram Civium cohabitat; aut juxta medietatem substantiae civilium expeditionem faciat, aut 8 denarios solvat." (Colomanni L. I; C. 35; vide etiam C. 43 — Hic notandum, quod relate ad numerum denariorum duplex lectio locum habeat; alii 7, alii 8 legunt. Ego octo, quia id svadet Caput ejusdem Libri I 45-um, quod octo denarios habet.

17) „Denarii 8, qui de liberis singulis colligebantur; amodo non accipiantur." § 1 „De civilibus exdomariis 8 denarios praecipimus colligi, inter quos scilicet, si quis Liber non a Rege, sed ab

ipsis Civibus." § 2 „Si autem Liberi, qui Regi per fines eorum transmigranti, equos, currus subductorios, et servitia stipendiaria suppeditabant; 4 denarios persolvant: Similiter et Liberi, qui cum eis cohabitare consenserint, aut exeant." (Colomanni L. I, C. 45) — Liberi exemti a solvendo hoc tributo Liberi S. Regis videntur fuisse, a quibus inique hactenus illud exactum fuit.

18) „Singuli Comites, per quemcunque suorum voluerint, denarios, qui per universas Ungariae partes colliguntur, quantum super uno quoque Centuriatu fuerit collectum, nominatim sub certo scribentes numero, Strigonium, usque festum S. Michaëlis mittant: Neque prius Regii Comites; vel Centuriones partem accipiant, sed in eodem loco, videlicet Strigonii, fiat omnium partium divisio." § 1. „Si quis autem usque ad tempus praesignatum numos illos cum pleno illuc numero non adtulerit; duppliciter reddat." (Colomanni L. I, C. 79) Quisque Comitum in Comitatu suo tertiam ubique partem habeat de tributo: Rex vero ad plenum de tributo omnium similiter duas partes habeat." (Colomanni L. I, C. 78; vide etiam 1222, 29) — „De tributis autem et vectigalibus, sicut Comitibus tertiam partem dari decrevimus; ita decimam quoque Episcopis censemus, quibus tam novi, quam veteris testamenti pagina decimas dandas esse proclamat." § 1 „Incautum igitur, et inconsultum est, si instituta Sanctorum praesumamus infringere, quae summa potius devotione debemus adimplere." (Colomanni L. I, C. 25)

19) „Si quis Comitum partem Regis defraudaverit; reddat fraudem, et duplo componat." (S. Stephani L. II, C. 42)

20) „Ad secandas indagines, et fossata facienda, ad hortos, et quaecunque Regia aedificia, vel officinas servientium, vel Ecclesiarum populos non cogemus." (1231, 28)

21) „Episcopi de Liberis accipiant decimas." (S Ladislai L. I, C. 30) „Abbates de Liberis suis dent decimationem Episcopis." (S. Ladislai L. I, C. 27) — Decretum est in Sancta Synodo ab omnibus; ut Episcopis populus Sanctae Ecclesiae decimas omnium quae, possident: Servi vero; Ecclesiae paro-

chiano presbytero, 3 denarios impendant." (Colomanni L. II, C. 5, princ.)

22) „Si cui Deus decem dederit in anno; decimam Deo det." (S. Stephani L. II, C. 52) — „Presbyteri, et Abbates, seu cujuslibet personae dignitatis, Ecclesiae decimationem persolvant, in cujus territorio agriculturam exercent, aut vindemiant." (Colomanni L. I, C. 66)

23) „Filius autem, qui in domo patris est, vel servus non separetur, sed simul dent decimationem cum patre." — „Filiis vero et servis, qui per se habent domos; accipiant decimationem de omnibus, quae habent." (S. Ladislai L. I, C. 40, § 4 et 5.)

Quod attinet conditiones, quibus Coloni liberi, qui non proprias sed aliorum terras colebant, Dominis obstricti erant, harum complexus juris Hospitum, Hospitum Liberorum, Saxonum, Liberorum Populorum de Scepus, Scepusiensisque, et Teutonici veniebat nomine, in specie a municipiis Hungariae, Solnense, Carponense, Cibiniense (in Germania Hollandicum)[1]) vocatum. Jus hoc quamvis, ut etiam nomen indicat, peregrinum codicique nostro ignotum, tamen uberius persequi operae pretium est. — Jam a tempore Geizae ducis, uti vidimus, tellus hospita Hungariae multos allexit peregrinos; sed saeculo praeprimis XII, et quod hoc sequebantur duobus, eodemque adeo tempore, quo in Germania Slavi hospitibus germanis imprimis Belgis locum facere cogebantur, hos in Poloniam quoque et Silesiam, quae pars illius erat aliquando, advenisse, ex hac vero in Hungariam quoque majori numero Coloniarumque in formam sub certo ductore redactos transiisse, [2]) verosimile est; hicque Slavis Marahanis, per Hungaros Nomades bellicosos plagas Hungariae inferioris pascendis aptas pecoribus sibi retinentes ad aquilonem intraque juga montium re-

trusis, Valachisque pastoribus probabiliter mixti fuerunt. Erat enim, ut in Germania, in Hungaria quoque res Hospitum illorum inimicas Cereri plagas silvis horridas, lapidibus nudas, palidibusque stagnantes ac insanas exstirpare, exsiccare, et tandem aratro subigere, sicque sinum terrae recipiendis frugibus aptum reddere, villasque et vicos exstruere. Mira illorum in duro hoc labore diligentia et industria in Germania [3]) Hungariaque; illorum opera nunc agros et prata conspicimus ridentia, quae condam strigosis horrescebant sylvis; unde in montosis Hungariae Comitatibus: Nitra, Trencsén, Arva, Liptó, Thúrócz, Zólyom, Szepes, Sáros, Zemplin, Ungvár, Beregh, Szatmár, Marmaros vestigia illorum antiquis in chartis, posteros etiam passim reperire licet. Teutones hi hospites non singillatim sed ut memini plures sub certo sociati ductore novas quaerebant sedes, ad illasque vocabantur in praediis Regum praeprimis et Dynastarum. Ductor vocabatur lingua illorum S c h u l t h e i s, [4]) barbaro latino vocabulo communiter S c u l t e t u s, etiam S c h u l t h e t u s S c h u l t h e t a, et S c u l d a s s i o; ex re ipsa loquentibus etiam passim A d v o c a t u s, a germanico V o g t (Vogd), quod eandem significationem habet cum S c h a l t, et derivatis illius; tandem etiam V i l l i c u s ex eadem ratione. Colonia vero, quam ducebat, communiter S c u l t e t i a (Scholtisey in Silesia), A d v o c a t i a, V i l l i c a t u s q u e appellabantur. Sub Sculteti ductu Coloni manum operi admovebant, cujus causa vocati fuere, huic tamquam rectori et judici parebant, qui secundum consvetudines illorum jus ipsis dixit, [5]) eosdemque in opere perficiendo regebat, et denique secundum pactum cum Domino terrae initum censum ab illis ex-

egit Dominoque exhibuit. His Sculteti obligationibus respondebant beneficia insignia. Dabatur ipsi ager certa quantitate, unus plerumque, duo interdum Mansi, sive Lanei [6]) (Lanei), a quo nulla Domino praestatione tenebatur, quemve jure tam inter vivos quam mortis causa disponendi, adeoque dominii utilis possidebat, jure eodem ad haeredes quoque transituro, Domino jure directo relicto. Exercebat praeterea jurisdictionem tam civilem quam politicam in Colonos (non Nobiles, 20 1291) pacto utique Domini non suffragiis Colonorum; (aliud tamen de Saxonibus Scepusii privilegium Stephani V statuit). Erat autem aevo illo exercitium illius lucrosum omnino, cum delicta fere omnia pecude, aut unde dicta est pecunia in Hungaria quoque, ut supra meminimus, luerentur. Jurisdictionem quidem sangvineam, seu criminalem quam dicimus (superiorem, altamque vocarunt antiqui Jurisperiti, oppositam quasi priori, ideoque bassae compellatae) Dominus exercebat B a n n o S a n g v i n i s gaudens, communiter ter intra annum sub nomine P a r e t a e; aderant tamen et Sculteti, Juratique, (Scabini aevo illo appellati) et tertiam ex mulctis (byrsagiis) tulerunt partem. Porro Scultetus de Censu agrario (seu Terragio) per Colonos praestando, et per ipsum colligendo sextam tenuit partem. Tandem aliquando inter beneficia Sculteti numerabatur jus educilli, macelli, et molae, jus item venationis, aucupii, et piscationis, jus porro certis opificibus maxime necessariis, uti lanioni (carnifici etiam tunc appellato) fabro, pistori, sutori, aliisque facultatem exercendi opificii concedere, qui pro hac certam taxam ipsi solvere debebant. Aliquando tamen haec jura Commu-

nitati Hospitum fuere collata. Omnia haec beneficia Scultetus eodem dominii utilis, adeoque disponendi tam inter vivos quam mortis causa jure tenuit, eodemque haeredibus quoque reliquit. – Coloni novi aeque dominii utilis jure casas, agros, et prata exstirpata subactaque tenuerunt, libere adeoque de illis, ut Scultetus ipse disponebant, sed tamen ad hujus et vicinorum, quibus jus praeemtionis (protimiseos) competebat, consensum erant restricti, dum migrantes illa vendere volebant. Imo quod peculiare, domibus quoque illorum jus asyli ad certum litteris definitum tempus tribuebatur, quo criminum reos illuc confugientes turbare nefas erat. – In communi vero gaudebant Hospites praeter jura, quae superius commemoravimus, lignationis item, etiam jure parochum, cui decimas ab agris suis novalibus permittente Domino (non Episcopo) dabant, communi eligendi voto, Episcopo tamen pro confirmatione praesentandum. Praestationes, quibus novi Coloni singulatim Dominis tenebantur, Censu absolvebantur et Muneribus; quae tamen non primo statim anno, quo in plaga quadam consederunt, sed serius nonnisi agro videlicet ferendis frugibus adapto, et serius adhuc etiam, quemadmodum nempe tabulae pactorum dictarunt, communiter post 15 – 16 annos deberi coeperunt. Titulo Census, seu Terragii (Collectae virgalis etiam adpellatae) de singulis sessionibus (mansis, laneis) singulisque annis festo plerumque S. Martini ferto vulgo, isque simplex ac communis, certo nempe grossorum denariorumque numero, qui pro ratione diversa marcae argenteae, [7]) cujus quartam partem constituit, diversus erat, constans, pendebatur, nonnisi ob beneficia vulgaribus ampliora, aliasque

singulares causas major census, vel ferto argento ad stateram penso [8]) (probo, fino) solvebatur, uti a Saxonibus in Scepusio cum pondere Budensi (in königlicher Wag) virtute privilegiorum de annis 1271 et 1328. Erat vero ferto ejusdem cum floreno aetatis illius pretii et valoris. In Scepusio plures erant Hospites, qui titulo Census Regibus Fertonem auri, unde auridatores dicti, praestabant. Munera, (Muneralia, Victualia, Naturalia) generatim nec specie, nec numero, aut mensura eadem, nec tempore eodem praestabantur; sed pro diversa regionum indole pactorumque ratione diversa erant, diversoque tempore pendebantur, jam etiam pecunia reluebantur. His adhuc mulctarum majorum duae tertiae partes et subsidium bellicum rarius tamen pactum accedebant. Operas vero serviles Hospites praestare non obligabantur; de his tabulae pactorum aut tacent, aut etiam diserte in illis Coloni eximuntur. Erant autem hae praestationes litteris in perpetuum, et ut immutabiles simul stipulatae. Munera Communitates etiam Colonorum, quae, uti vidimus, insignibus a Dominis beneficiis exornatae erant, praestabant. Omnes tamen hae praestationes salvo tributo Regi pendendo intelligi debent. — — Caeterum quamvis jus, quod nunc explicuimus, fuerit peregrinum, ab hospitibus in Hungariam allatum, non tamen censeri debet, illo tantum Colonos advenas fuisse gavisos, est enim humanae convenientissimum naturae, adeoque dubio nulli obnoxium, Colonos liberos domesticos certe non conditionibus minus faventibus, quam jus illud praescripsit, terrarum ad dominium alterius spectantium culturam suscepisse, et dominos etiam illis acquievisse, ubi tanta terrarum copia, tantaque cultorum penuria erat, quae

necessitatem novarum ex oris exteris advocandarum Coloniarum facessivit. Sed juvat hoc assertum etiam aliquo vetustatis documento confirmare. Bela II in litteris suis de anno 1240 (vide Pray Not. praev. pag. 97) ita ait: „Quod accedentes ad nostram praesentiam hospites nostri tam Hungari quam Teutonici; in suburbio Castri de Bors commorantes, nobis humiliter supplicarunt.“ etc. etc. Unde patet Hospitum nomine etiam Hungaros insignitos fuisse, non aliam certe ob causam, quam quod et jure eorundem gavisi fuerint.

1) Vide notam sub 3)
2) Schwartner „exemplum pure domesticum Scultetiae in praedio Dynastae privati, atque ad normam Saxonum in Scepusio conditae, antiquius anno 1279 non reperit.“ (vide opus ejus de Sculteiis pag. 14 a notam d).
3) „— Quo incultam, et paludosam terram tradidit Hollandis, et ipsorum haeredibus, ea lege, ut praeter decimam de singulis mansis singulos denarios annuatim solverent.“ (Litterae de anno 1106, Lindenbrog Script. vet. germ. p. 176).
4) Ex voce antiqua germanica Schalten, quod idem significat, ac alicui praeesse, imperare (die Aufsicht und Herrschaft führen), unde nempe substantivum Schalt, Scholt, Scholtz, Schultz, Schultes. (vide Hüllmann Historische, und Staatswissenschaftliche Untersuchungen über die Natural-Dienste, pag. 28 et 29).
5) Appellabant vero Coloni deciso Sculteti minus contenti ad tribunal illius Municipii (Civitatis), cujus jure utebantur. Sic Cibinienses in Comitatu Sárosiensi ad Cassoviensem Magistratum, hujus enim Civitatis privilegio a Sigismundo Rege anno 1405 donati sunt, Prividienses ad Magistratum Carponensem ita dictante privelegio Mariae I. de anno 1383. Quam consvetudinem etiam Sigismundus Rex publica confirmavit lege, hac nempe: „Porro omnibus, et singulis Civibus, Hospitibus, et Populis quarumcunque Civitatum nostrarum, et Liberarum Villarum, alicui ex prin-

cipalioribus Civitatibus annexarum; a quacunque sententia, per eorum Judices, et Cives lata, ad Magistrum Tavernicorum nostrorum; vel ad judicium illius Civitatis, cujus libertate talis Civitas, vel Villa, fungitur; liceat appellare." § 1. „Nec ab illorum, ad quos appellatum fuerit, judicatu, vel sententia; sit ulterius in aliorum Judicum praesentiam procedendum, sed ipsa causa debeat coram eisdem finaliter terminari." (Sigismundi Decr. II, seu minoris de anno 1405, art. 4).

6) „Mansus originem redolens latinam curiam denotat, ut plurimum cum certa portione agri curiae adnexa." (Du Fresne Glossar. med. et inf. Lat., art. Mansus). „Laneus autem sive Lancus e vetere germanico Lan, seu Lank (Land) interdum aream, locumque clausum designat, cum mansoque convenit." Quantitas Mansi, et Lanei determinari amplius non potest; erat certa pars fundorum intravillanorum et extravillanorum more Germanorum emensa, ut apud nos Sessio.

7) Marca argentea numeri Budensis 56 grossis, Scepusiensis numeri 48 grossis absolvebatur.

8) Hinc Marcae diversi ponderis: Budensis, Scepusiensis, Cibiniensis.

Patet ex hac deductione fuisse in Hungaria quoque, prout in Germania, Colonos liberos, partim indigenas, partimque hospites agrum suum ut patrimonium jure pleni dominii tenentes; alios contra ditiorum potentiorumque agros conditionibus homine libero dignis, libertas namque semper salva esse debebat, colendos sumsisse; quae quanto major erat terrarum copia, minor vero agricolarum numerus, tanto etiam sorti illorum faventiores fuerunt.

PERIODUS III.

A CONCESSA RUSTICIS LIBERTATE (1298) USQUE NOVAM ILLORUM SERVITUTEM (1514).

Quemadmodum vero Reges, quorum citavimus leges, dominium in servos moribus populorum omnium sanctum inviolabileque habitum sua quoque tuebantur auctoritate; quemadmodum porro durum, ut tunc erat, hominum genus, si aliter vitia illorum vetitamque audaciam frangere non potuerant, libertate, damno certe maximo, quod homines, quibus vita relinquitur, pati possunt, privatos diris servitutis legibus parere jusserunt: ita non parvum illorum, primi praesertim Regis, erat studium humanitatis et sollicita certe cura, ut vitium saeculi emendarent, et libertas jus hominibus congenitum, quod illis sors sustulit vel negavit iniqua, redderetur. Emancipationem seu Manumissionem et ipse S. Rex exemplo suo promovit, ut Liberi S. Regis dicti testantur, et faciliorem data lege reddidit. [1]) Illis quoque, qui in servitutem injuria sua se detrusos existimabant, potestatem fecit libertatem jure vindicandi. Contra avaritiam potentiorum libertati debilium inhiantem diramque cupiditatem repressit, poena sancita compositionis [2]) (Homagii, Verigeldi, Wehrgeld) in servitutem detrusorum, qui praeterea libertati restituebantur. [3]) S. Ladislaus Rex vero diserte facultatem Liberis ademit, cum Dominis renunciatio-

nem libertatis paciscendi, adeo ut haec, quibuscunque caetera conditionibus Domino se obstringerent, salva semper intelligi, renunciatio pacta ut non pacta haberi debuerit. [4]) Servos porro et servas christianos emtos a Judaeis (ipsis emere prohibitum fuit) libertati asseri jussit. [5]) Quod etiam S. Stephanum fuisse sancitum de servis servabusque christianis, qui domino avitam Asiae religionem nondum exuenti servierunt, credibile est omnino; solvitur enim periculo animae vinculum arctum matrimonii Canonum sacrorum decreto, et horum magna tunc auctoritas, igitur et nexum inter Dominum gentilem, et servum servamque christianum periculo eodem fuisse sublatum nullum esse dubium potest. Erat vero manumisio duplex: perfecta et imperfecta. Servi libertate perfecta donati suum jam sequebantur arbitrium rebus in agendis, neque amplius ullatenus ab eo Domini pendebant; contra libertate imperfecta dati liberabantur quidem parte servitutis, non tamen omni, adeoque semper adhuc obligatione quadam Domino obstricti manebant, unde neque ubi vellent commorari poterant, sed Domini domicilium sequi debebant. Priores igitur munumissorum liberi erant homines liberique vocabantur; non posteriores, hi Libertini audiebant, erantque adhuc in commercio ratione obligationis servilis, qua Domino tenebantur, eatenusque ut res tractabantur; imo nonnunquam in servitutem perfectam iterum retrudebantur, et ut servi perfecti dein manumittebantur. (Vide Kollár Amoen. Vol. II, pag. 132-a)

1) „Si quis misericordia ductus, proprios servos, et ancillas, libertate donaverit cum testimonio; decrevimus, ut post obitum ejus, nemo invidia

tactus in servitutem eos audeat inducere." § 1. „Si autem libertatem promiserit, et morte impediente testatus non fuerit; habeat mulier ipsius vidua, et filii, potestatem, eandem libertatem testari, et agape (opus charitatis) facere pro animae redemtione sui mariti, qualitercunque velit." (L. II, C. 17)

2) Aevo medio nullum tam atrox erat crimen, quod uti in Hungaria, ita in reliqua etiam Europa non redimi pecunia posset, quae redemtio compositio vocabatur. „Si quis nasum alteri excusserit, MDCCC Denar., qui faciunt Sol. XLV culpabilis judicetur." (L. L. S. Tit. 33, § 13). In Hungaria juvenci seu boves (S. Stephani L. II, C. 25) aut totidem auri pensae, communiter enim bos pensa aestimabatur, *) erant aequivalens poenae, quod adhuc vitae nomadicae sub primis Regibus continuatae, majorisque curae rei pecuariae, quam agriculturae argumentum est.

*) „Si quis Servum fugitivum, vel quodcunque perditum quaerere voluerit; a nemine prohibeatur. " § 1. „Si quis autem prohibuerit, vel quaerentem verberaverit; 10 juvencis mulctabitur, valentibus 10 pensas." (S. Ladislai L. III, C. 29). Quae Szegedius ad hanc legem sub D) notat, nec sibi, nec cum illis ad S. Stephani L. II, C. 14, sub E) notatis cohaerent, ut adeo et una, et alia nota fundamento careat.

3) „Quoniam igitur Deo dignum est, et hominibus optimum, unumquemque in suae industriae libertate, vitae cursum ducere, secundum Regale decretum statutum est; ut nemo Comitum, vel militum, posthac aliquam liberam personam servituti subdere audeat." § 1. „Quod, si elationis audacia suae stimulatus praesumserit; sciat se totidem ex proprio compositurum: quae compositio, inter Regem, et Comitem dividatur, et caetera." § 2. „Sed si quis hactenus in servitute retentus, pro libertate sua tuenda, judicium Regale faciens, securus extiterit; tantum modo libertate fruatur, et ille, a quo in servitute tenebatur, nil reddat." (L. II, C. 20).

4) „Liberi vero cuicunque Episcopo, vel Comiti adhaeserint, sicut eis (Liberis) placuerit, ita ha-

beantur, salva tamen libertate." (S. Ladislai L. I, C. 30. § 1)
5) „Nullus Judaeus. Christianum mancipium emere, vel vendere audeat, aut in suo servitio tenere sinatur." § 1. „Nunc vero qui habet; si infra datis sibi induciis non vendat, amittas."

Conatus igitur Regum religiosorum simulque potentum; copia terrarum vomere subigendarum, culturamque, cui numerus servorum non omnino par erat, poscentium; agriculturae mutata vitae ratione major cura studiumque; hospitum undique confluentium, indigenarumque liberorum agricolarum sors et fortuna longe melior, exempla enim trahunt; religio mitissima Christi amorem proximi ut sui ipsius cordibus duris dominorum instillans; fervor Christianorum aevi illius sacra civitate tumuloque maximi in terris magistri potiendi, qui magna conflavit, absumsitque in Hungaria quoque militum agmina cruce sacra signatorum, locumque servis absumtorum in vicem honestiorem fecit; ensis curvus Mongolorum (1242), qui minus potentioribus ditioribusque quam egenis pepercit agricolis, et quam hic non confecit magna dominorum servorumque multitudo captiva peregre abducta, ita ut in Hungaria grave Pyrrhae saeculum rediisse videbatur; sacri quoque Canones, quorum magna aevo illo in jure dicundo veneratio; ipsa denique humanitas dominorum quorumdam eo contulerunt, ut satis mature [1]) servitus in libertatem transiret, servorum adeo nomen exstingueretur, Jobagionumque, quibus liberi insigniebantur, in locum illius succederet.

1) In Codice (Libro Statutorum) Angliae legem quamdam generalem de manumissione servorum non est invenire. Adhuc Henricus III Diplomate de an-

no 1514 duobus servis villis suis adscriptis libertatem donavit. (Rymer Foeder. Vol. XIII pag. 470-a). Adhucque anno 1584-o Rex Elisabetha duos servos suos liberos esse jussit. (Vide etiam Robertson Historiam Caroli V in notis).

Primus Regum, qui vincula servitutis data lege fregit, quem historia saltim ut primum nobis nunciat, est stirpis Arpadianae ultimus, Andreas III, Venetus aliter cognominatus. Lex illa anno 1298 data est [1]) ordine inter leges septvagesima, quae fundamentalis simul est omnium reliquarum dein latarum, quae libertatem ruricolarum Jobagionum proclamant. Haec est: „Item: quilibet Rusticus, seu Jobagio alicujus Nobilis, si voluerit, de possessione Domini sui, habita licentia, et justo, ac consveto suo Terragio persoluto, ad possessionem alterius Nobilis, vel alias, quo ei placuerit, cum omnibus suis rebus, libere se causa commorandi, transferre valeat.“ Subjicitur articulo 73-o „nec ab eo tempore translationis suae tributum (telonium, naulum) accipiatur.“ Sed lex haec, uti infra videbimus, tantum Hungariae stricte talis (demta Croatia, Slavonia et Transsilvania) agricolas solabatur. Servi horum Regnorum sorti pristinae longo adhuc tempore relinquebantur. – Verum quidem est, quod in Edicto monetali (Finanz Patent) Caroli I (§ 19), item in articulis per Ludovicum I conceptis in specie 5-to mentio Servorum fiat, qui a lucro Camerae (in 3 grossis tunc a qualibet Curia persolvendis consistente) eos eximunt; verum est, quod etiam longe serius adhuc legere sit legem, [2]) quae jure belli captos capientibus velut stipendio destitutis in servi-

tutem detrudendi jus tribuit; sed ibi nomen servi, usitatum alioquin non ita pridem generatim, improprie videtur adhiberi, vel aeque servi ex hostico adducti intelligi, qui ut peregrini jure et favore indigenarum non utebantur; adeoque velut exceptio a regula hanc non sufferunt.

1) Kollar legem hanc non novit; ideo serius libertatem Colonis datam fuisse putat, articulum 16-um 1351 citando. (Amoen. Vol. II, pag. 145).

2) „Item, dum in exercitibus, pugnis, aut quibuscunque rixis cum inimicis Regni habendis, in quibus scilicet stipendia non dantur, pro Hungaris aliquos ex hostibus captivari, vel aliquid aliud lucrari contigerit, tunc ipsi Hungari hujusmodi captivos et lucra, exceptis notabilibus personis, vel capitaneis inimicorum Regiam Majestatem (Mathiam Corvinum) decentibus, quos etiam Regia Majestas a detentoribus pro condignis bonis transferre valeat, pro se retinendi, vendendi, aut Ecclesiae donandi, et jugo perpetuae servitutis tradendi habeant facultatem.“ (1458, 12 in Vestigiis Comitiorum.)

Libertate multum lucrabantur Coloni. Erat jam in potestate illorum sortem suam meliorem reddendi; eoque facilius, quo major erat terrae cultorum penuria. Domini cogebantur Colonos melius habere metu etiam, ne ipsos derelinquant; alii contra, qui illos allicere volebant, meliorem promittendo paciscendoque fortunam ad vocationem amplectendam persvadere conabantur; vinculo servitutis rupto nexum cum civitate inierunt et in numerum civium recepti sunt, adeoque jure suo imperantis anxiis in rebus auxilium deposcebant; poterant demum improbi laboris fructum quendam ut suum habere, nec aliis tantum verum sibi quoque vivere. Sed non omnes Reges satis potentes erant, ut inaestimabile donum hoc Colonis conservare potuissent; neque satis habebant auctoritatis ani-

nique vigoris, ut potentum privatorum audaciam et temeritatem reprimerent. Hinc potens Dominus aut vi aut astutia Colonum minus contentum ideoque solum vertere volentem obstrictum tenebat (vide Edictum Sigismundi de anno 1397); illinc alter fortioris jure Colonum invitum rapuit. („Jobagiones – – – absque voluntaria permissione Dominorum – potenter non abducantur.“ 1351 16) – Certe plagium frequentius nunquam erat, quam hac et sequenti etiam periodo, nec hoc vitio contra alios magis peccatum quam agricolas. – Fere saeculum labebatur ab anno libertatis, et jam plurimi Dominorum non recordabantur legis ab Andrea datae, forte illam nec auctoritatis quidquam habere sibi persvadebant, cum etiam privilegiis ejus ademta fuerit; revocavit in memoriam, et quasi libertatem Colonorum instauravit, simul etiam adversus dolum Dominorum tutam reddidit Sigismundus (1397) Edicto memorabili auctoritate sua editi. Ita ille „– – quia creberrimus plurimorum Praelatorum, Baronum, et potiorum regni nostri Procerum relatibus, nostrae insonuit auribus Majestatis, quod plerique forent Regnicolae, per climata regni nostri possessiones habentes et tenentes; qui eorum jobagiones, in aliorum possessiones, commorandi causa, accedere volentes, variis calumpniis, signanter in birsagiorum ac mulctarum seu dacionum receptionibus, ut ipsos erga se retinere valerent, super eos impositis, libere abire et pacifice permittere non curarent; per quod factum nonnullae nostrae regales, nec non ecclesiarum, ac nobilium (et) alterius dignitatis hominum possessiones, non modicum desolationis paterentur detrimentum. Nos igitur, cui interest, officio nostri regii regiminis incumbente,

de bono communi, et condignis regni nostri commoditatibus salubriter invigilare, volentes, imo dignum arbitramur et congruum, quod cum – exordio omnes homines prima parens aequaliter produxerit, hi liberi habeantur, quos non natura, sed humana potentia sibi ipsi jugo subjicere conaretur servitutis; una cum eisdem Baronibus, et pocioribus ipsius regni nostri Proceribus, decreto unanimi sanximus, statuimus, et super statutum fecimus, ut a modo in antea, cives, seu hospites, sive jobagiones nostri regales, de nostris civitatibus, possessionibus, Oppidis et liberis Villis, castrorumque nostrorum tenutis, in earundem ecclesiarum nec non nobilium et alterius praeeminentiae hominum possessiones habentibus (sic), et e converso earundem ecclesiarum et ipsorum nobilium ac alterius status hominum jobagiones, in praefatas nostras regias civitates, oppida, et possessiones, castrorumque nostrorum tenutas, et generaliter quilibet liberae conditionis homines, de possessionibus ecclesiarum in nobilium possessiones, ut de nobilium possessionibus, in earundem ecclesiarum possessiones; temporibus semper successivis universis et perpetuis, habita licentia, justoque terragio et aliis debitis eorum solitis expeditis, liberam, tutam, et omnimodam moraturi se transferendi habeant facultatem, harum nostrarum Litterarum per vigorem, his moderaminum limitationibus; clare praesentibus expressatis: ut quicunque et quorumcunque jobagionum Dominus, aliqua Birsagia sua, quibus jobagio suus aliquo tempore fuisset convictus, infra unius mensis spatium differens, non exegisset super eundem, extunc ipsa Birsagia talia super jobagionem suum, dicto uno mense elapso, recipere, et eundem

jobagionem retinere non valeat, sed idem jobagio quo maluerit, modo praehabito, indempnis et illaesus moraturus accedat. Praeterea quicunque vel quorumcunque jobagionum Dominus, collectam seu dacionem aliquam super suum imposuerit jobagionem, certo termino ad hoc sibi assignato, dacionemque eandem, expirato ipso termino, infra 15 dies (Decretum III Sigismundi Regis a. 15 mensem statuit) super eundem recipere protelasset; extunc ipse dacionem hujusmodi sic protelatam, super eundem jobagionem suum, ipsis 15 diebus; expiratis, extorquere, et jobagionem eundem retinere, non queat, neque possit modo aliquali: sed idem jobagio, modo superius limpide notato, quo voluerit, quietus et pacificus, libere moraturus discedat. Caeterum, si alicujus terrae Dominus suum jobagionem, aut aliqui de villa, ante tempus licentiae receptionis ejusdem, in facto aliquo non inculpaverit, et calumpniatus non exstiterit; extunc ipse jobagionem talem, post tempus receptionis suae licentiae, calumpnia quavis relegata, liberum a se abire permittendo, in nulla queat dampnificans disturbare, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. –" (Vide Schwartner de Scultetiis, Mantissa Diplomatum 152 seq.) Clara sunt caetera hujus edicti, tantum hoc notare debeo, per Collectam seu dacionem non praestationem dominalem sed publicam (contributionem) intelligendam esse, hanc enim antiquitus domini terrestres a subditis suis exigebant, et Fisco Regio inferebant. [1]) Quibus vero Rex hujus Edicti fidam credidit executionem, erant Comites, Vice-Comites, et Judices Nobilium Comitatuum, mera Regia auctoritate, ut Rex loquitur Edicto illo, eis attributa. His

dein omnes quoque posteriores leges executionem eandem detulerunt. – Hoc idem Edictum serius (1405) in Decreta Comitiorum illatum fuit, et quidem in Decreti II articulum 6-um princ. et § 1 („Sanximus praeterea, ut a modo in antea Cives etc. – – usque verba: moraturus accedat.") paucis solum verbis mutatis. § 2-o articuli citati subjicitur, quod peeculiare: „Jobagiones autem ultra Dravae fluvium residentes hujusmodi libertatis privilegio gaudere nolumus: Sed potius in suis antiquis consvetudinibus eos decrevimus permanere." Quo asserto meum de Regno Croatiae et Slavoniae confirmatur. Decreti vero III, ejusdem anni Comitiorum (duo enim 1405 celebrata sunt) articulis 14, 15, 16 („Sanximus praeterea, et statuimus, ac super his statutum facimus; ut a modo etc. usque verba: mera nostra Regia authoritate, per nos eis attributa." adeoque) finem usque idem Edictum verbis aeque paucis solum alteratis continetur. Idem Sigismundus Rex octo et triginta post annos ab Edicto suo aliam tulit legem, (Decreti VI, sive Majoris de a. 1435, a. 7, casu 1-o, et 2-o) quae argumento est, quod Edictum ipsius malo, cui mederi voluit, non omnino medebatur. Hac poenam 3 marcarum protervum Dominum, qui Jobagionem missum facere renuit, toties quoties; illum vero, qui non petita licentia, vel petita sed non obtenta ante lapsum 12 dierum abduxit, vel clam migrantem recepit, requisitusque non reddidit, 6 marcis plecti voluit. – Wladislaus anno 1444 damnato fastis Ungariae, data lege ordine 19-a

„Item: de Restitutionibus Jobagionum, sine licentia recedentium, teneatur antiqua consvetudo, et poena," parum certe libertati Colonorum consuluit. Ex illa apparet, hos sibi ipsis fuga consuluisse saepe, dum libertatem a Domino, a quo male habebantur impetrare non poterant. – Urserant Vicarii Regni (1445 22) libertatem migrandi Colonorum, una violentae abductionis illorum poenam Decreto Sigismundi sancitam „demtis (ut ajunt § 3) antiquis consvetudinibus, Partis Transsilvaniae, ac Regni Sclavoniae, nec non de Posega, et Verevcze Comitatibus, ubi in talibus servetur antiqua consvetudo." Confirmat hoc alterum assertum meum de Transsilvania. – Multum tibi speres ab animi vigore, quo Matthias excelluit Corvinus, sed falleris; magna non nisi et splendida animus ejus appetiit; triumphis de hostibus relatis, grege doctorum, copia librorum, aedificiis amplis, artium et scientiarum cultura delectabatur, fumosa villarum tecta parum respexit. Non magis libertas Colonorum unquam infringebatur, quam sub splendido ejus imperio. Quam tulit legem (1458, a. 15) Rege adhuc adolescentulo Gubernator Michaël Szilágyi de libertate Colonorum, severa quidem omnino erat in dominos obstinaces. Si Coloni (obtenta licentia) litigionario processu, ut lex dicit, migrationem morabantur, vel plane denegabant; 6 marcis urgebantur a magistratu Comitatus, cui si non parebant, lex possessiones illorum Regem occupare jubebat non ante restituendas, quam cum 12 marcis Colonus libertate donaretur. Sed anno statim sequenti (1459, a. 30) facultas migrandi omnibus tam Regis quam privatorum Jobagionibus anno in-

tegro (usque integram dicti exercitus anni revolutionem) suspensa fuit; poena 6 marcarum in abducentes praeter restitutionem Jobagionum abductorum decreta. Anno 1463 (a. 17) a promulgata lege usque ad quintumdecimum diem descensus - exercitus sub persolutione homagii Colonorum, qui nihilominus abducerentur, praeter restitutionem illorum, et si reluctarentur potentes, sub poena facti potentiae libertas migrandi interdicebatur. Anno 1468 (a. 11) legislatores in migratione Colonorum antiquam quidem consvetudinem observatam volebant, sed simul (a. 14, § 5) sanxerunt, ne etiam juxta consvetudinem Regni praeter unum a singulis Dominis ad alium migrare ausit, secus per Comites sub poena consveta reducendi. Causa hujus legis erat repartitio et exactio tributi tunc Colonis impositi. Anno 1474 (a. 14) denuo per annum facultas migrandi sublata. Multis his exceptionibus regula ipsa fere evanuit. Sed quo cupido erat major Dominorum suos retinendi Colonos, hoc major etiam aliorum eosdem furandi, vel vi rapiendi. (14, 1470; 39, 1486) Ortae hinc lites et rixae inter Dominos. Ad has sopiendas lata lex (citatus a. 39) Jobagiones ab anno post datam legem retro acto abductos restitui praecipiens sub homagio Colonorum abductorum secus persolvendo et inter Comitem ac Dominum laesum dividendo. Simul etiam Judices querimoniarum de abductionibus Comites cum Electis Regiis (hi sunt protoparentes Jurassorum) et aliis bonis hominibus constituebantur. Dominorum dolus Taxam Colonis, dum abire volebant, imponentium, vel impositam ante studio non exigentium 6 aeque mar-

cis cohibetatur, et Coloni fraude non obstante libertati asseri jubebantur; statutis pro Taxis extraordinariis exigendis 60 diebus. Ex hac lege simul patet, quam parum leges priores poenaeque illarum profuerint, seu potius, quod Judices vel non potuerint vel noluerint auctoritatem illarum tueri; jam enim 1471 lex (a. 16) Comitibus poenam amittendi officii (honoris) minabatur, si Johagiones abductos non reducerent, aut ipsi abducerent; haec causa, cur ipsis postea Electi Regii [2]) adjuncti fuerint. Contra Dominos vero, qui Colonos suos legitime migrare volentes retinebant, omnes nobiles Comitatus in adjutorium Comitis insurgere jubebantur. Quae efficacia legis hujus fuerit, documento est lex altera annis 15 serius (1486), citatus articulus 39. Et haec sors fuit libertatis Colonorum sub Matthia Corvino. Quae igitur fuerit sub indolente Wladislao? Hic ad antiqua rediit; in primo Decreto suo (a. 93, et 94) [3]) repetiit ad verbum fere Sigismundi Decreti VI, sive Majoris (de anno 1435) articuli 7-i casum primum, et secundum. Caeterum additamentis quibusdam ambo ita confundebantur articuli, ut nullum fere rectum sensum praebeant. Quod ipsi legislatores serius adverterunt, agnoveruntque. Decreti II-i (de anno 1495) articulo 18-o idem rex in illos, qui Colonos (rusticos) commisso crimine fugientes recipiunt, poenam statuit marcarum 25, quas Comes, Vice Comes, aut Judex Nobilium, ab hoc vero Universitas Nobilium, et hac detrectante, Judices Regni ordinarii exigere debuerunt; articulo vero 22-o ejusdem Decreti quaecunque terràe infixa sunt, Jobagionibus migrantibus secum auferre vetuit, sub poena 100 florenorum auri, illis non habentibus, a Do-

minis, ad quos migrarunt, persolvendis. Decreti III (de anno 1498) Status et Ordines jure utuntur retorsionis (repressalibus) in Regem, cum enim ex Comanis (Cumanis) Philisteis (Jazigibus) et Ruthenis, qui bene valentes et terris abundantes Colonos magna copia in medium sui alliciebant, quin illorum cuiquam incidisset solum vertere, et ad alios privatos Dominos terrestres se conferre; statuerunt, ut nullus illorum Colonum alterius recipere ausit, judice in casu transgressionis hujus legis Palatino constituto. Donec ita legislatio indormivit, audacia et temeritas potentiorum adeo crevit, ut plurima et indicibilia scandala, ita legislatio tandem expergefacta loquitur, (a. 16 1504) per totum fere Regnum Hungariae dietim emerserint; tum ob contradictionem articulorum hac de re conditorum, [4]) tum poenae (3 marc.) levitatem. Igitur hanc ad 25 elevavit marcas, et tam Dominis retinentibus quam abducentibus illegitimeque recipientibus Colonos infligendam decrevit. Porro Judicibus Nobilium deferebatur licentiatio, ita ut si quis cum Colono rem haberet controversam, haec accepta licentia 15 intra dies coram Judice Nobilium licentiam impertiente, per Dominum vel judicem loci fuerit terminanda, Colonusque decreto Judicis satisfaciens ad locum destinationis concedere potuerit. Turbantes Judicem Nobilium poena contra turbatores Hominum Regiorum et Capitularium sancita plecti jubebantur.

1) „Item: quod illi, qui pecunias taxae anni praeteriti recollectas habuerunt, et pro se retinuerunt, ipsas pecunias reddant, sub poenis praetactis.“ (1444, 16 collatus cum § praec.)

2) De his tamen nulla in legibus posterioribus mentio, sed potius judices priores, Comites, Vice-

Comites, et Judices Nobilium denuo priori auctoritati restituti.

3) Quod praeterea huic articulo additur: „Demtis his, qui in libertatibus manserunt." § 2 „Illi namque, sic libertati, non aliter, quam si tempore recessus ipsorum, de omnibus censibus, tam ordinariis, medio tempore, infra libertatem ipsorum fieri debendis, Dominis eorum satisfaciant; abire permittantur: Ita tamen; quod, si quicquam aedificii illic, infra tempus libertationis fecerint; de eisdem libere disponere possint: Juxta Judicum, et Villicarum ubi moram traxerunt, aestimationem," Oedipo interprete egent.

4) In articulo citato dicitur: „Item; ex quo Articuli in minori Decreto super Jobagionum abductionibus, et detentionibus conscripti, inter se aperte contrariari videntur; —." Sed est error manifestus in voce minori, debet substitui majori.

Quod attinet ad praestationes Jobagionum; vidimus supra, certam é productis terrae quotam Domino terrae praestandam priori periodo adhuc determinatam non fuisse, sed hujus loco aut panes aut cubulos farinae aliquot praestitos. Sub Ludovico I quasi ex improviso incidas in legem *(*1351, 6*)* stupeasque nonam omnium frugum (Halmfrüchte) vinique partem Colonis fuisse admensam, quam Dominis suis tam Regi quam privatis praestare debebant. Rex enim Ludovicus auctoritate fatur regia se dein nonam exacturum partem frugum et vini, velleque, ut idem et reliqui Domini terrarum faciant, Praelati etiam primum decimam, dein nonam exigant a Jobagionibus suis; secus facientium ut rebellium possessiones nonam Regi pendant, subjiciendo peculiarem rationem, ut per hoc honor noster augeatur, et ipsi Regnicolae nostri Nobis fidelius possint famulari. Videtur religio avita, qua S. Stephanus

decimis donavit Episcopos, invidiae jam locum fecisse, praesertim dum Cereris donis majus coepit esse pretium; videbatur Dominis non satis aequum, ut minus percipiant illis, quorum nullum seu in agros seu Colonos illorum jus et potestas; hinc sua auctoritate majorem etiam partem nona a Colonis postulasse videntur frugum, ita ut hi sub onere fatiscerent. Quibus dein Rex lege sua subvenit. Magnum igitur incrementum jam coepisse agriculturam credendum est sub Rege Ludovico, ut haec pars a Colonis exigi potuerit. Caeterum tantum illae fruges, ex quibus Episcopus decimam tulit, nona etiam parte per Dominum minui potuerunt, quod ex lege Wladislai (1500, 29, § 2) colligi potest, quae ita habet: „ – Primum Domini Terrestres tam de segetibus decimari solitis, quam etiam de vinis, nonas eorum solitas exigant: Et quicquid a nonis residuum fuerit, de eo solummodo, Domini Praelati, et Ecclesiasticae personae decimas colligant.“ Erant nempe tunc decimae jam ad certas species restrictae (1481, 1). Idem ex alia lege (27, 1500, § 1) manifestum est. „ – a – Jobagionibus araturas facientibus, et vineas habentibus, non Akones (prout in certis locis solebant) sed nonam partem omnium frugum, caeterarumque segetum decimari solitarum, et vinorum ipsorum; modo, et ordine in minori (iterum error in voce minori, debet esse majori) Decreto, Articulo 47-o denotatis, exigant, – sub poena ibidem specificata.“ Subditos a praestationibus animalium sublevatos fuisse, cum multo plus ex terrae productis quam ante praestiterint, veri est simillimum; videbimus enim serius (sub Wladislao) haec animalia sub nomine munerum venire, quae igitur

initio saltim tantum a beneplacito Coloni pendebant. Hac tamen lege Coloni libertas a nona pacto tributa non sufferebatur, uti apparet ex legibus Wladislai, (Decr. I, sive majoris de an. 1492, a. 47, 48 et 49) qui legem Ludovici (cit. 47 et 48 a.) confirmavit, id tantum alterando, quod a vineis aut nona, aut A k o n e s consveti, seu jus montanum, ut serius dici coepit, exigi possit. Alia lex (a. 49 ejusdem Decreti) etiam illos, qui in territorio Domini alterius, in quo videlicet non degunt, agros vel vineas possident, eadem praestatione teneri asserit, jus tribuens Domino, si denegarent, h a e r e d i t a t e s, ita appellat agros et vineas illorum, ipso facto pro se occupandi. Sed simul (a. 49 cit.) Judicibus Regni Ordinariis imponit, ut si Coloni libertatem a nona vel Akonibus allegaverint, illis justitiam primis in octavis administrent (vide etiam 104, 1492). Adeoque etiamsi non libertas, sed certa minor nona pars frugum vel vini stipulata Dominum inter et Colonum fuit, vel usu obtinuit, hanc per legem Ludovici non alteratam, sed tantum Dominis jure consvetudinario vel pacti majorem nona partem percipientibus normam positam fuisse, censeri debet. Porro Wladislaus (1495, 44; 1500, 29) primum nonam, dein decimam ex bonis saecularibus, uti hactenus consvetum, exigi praecipit. Quod tamen ita modificavit alia lege, (15, 1507) ut de capetiis 10 una a Dominis Praelatis pro decima; altera vero a Dominis terrae pro nona exigatur; octo Colono seminanti remaneant. Illis familiis, (1498, 52) quae agris et vineis carent, pecuniam Christianitatis 6 denariorum solvendam, messoribus vero praestationem decimae, si quota illorum in fundo decimae obnoxio crevit, imposuit;

praestationem pecuniae messorialis, Alkonesque (27 1500) in locum nonae ab agris adeoque jus agrarium, ut ita dicam, a Dominis quibusdam exactum sustulit, nonamque ubique colligendam praecepit.

Reliquae nunc leges de Colonis latae hac periodo enarrandae sunt. Art. 18, 1351 (Ludovici I.) Jòbagiones, dum delinquunt, non propria auctoritate puniri, sed coram foro domini terrestris haereditarii conveniri jubet. Et haec lex prima est, quae jurisdictionem dominalem, et quod mirum, etiam politicam ac criminalem stabilit. – Lex, qu e forum Domini terrestris ut primae instantiae statuit altera est Sigismundi, (1405, 10); Domino vero justitiam administrare negligente, Comitis parochialis vel Vice-Comitis ejusdem vel Judicis Nobilium auctoritatem implorari jubet, qui nisi muneri judicis promte satisfaciant, honore (officio) suo praeter indignationem regiam privandi sunt. – Articulus 22, 1447 (Sylloge Decr.) § 3 ita habet: „Sed nec Nobiles sui Comitatus, vel Jobagiones ipsorum, eisdem Comiti, vel Vice-Comiti victualia dare teneantur.“ Tempore illo, et quod antecedebat, et subsequebatur illud, aliquo judices stipendia (salaria) ut alibi, ita in Hungaria non tulerunt, sed mulctis, taxisque (sportulis) delinquentium et litigantium vivebant satis commode, ditabantur etiam. [1]) „Es haben dieses Jahr über, die – Geldbussen, Gott sey Lob, und Dank! ein Ehrliches getragen.“ Ita Judex quidam illius aevi improbus satis. (Carpzovii Pract. nova rer. crim. Quaest. CIX, 42) Art. 1486, 36 cavet, ne „a rusticis, uxores de aliis villis ducentibus, deinceps (in tran-

situ et reditu) ullum prorsus tributum exigatur." - Idem favor (1492, 85, 86) etiam ad illos, qui fruges ad loca molendinorum, vina, fruges, et victualia, et muneralia, (munera) Dominorum terrestralium ad domos, et curias deferunt, extenditur sub poena homagii (a. 85) vivi impediti Coloni. Art. 1492, 90 cavet, ne Jobagiones pro debitis Dominorum per Creditores cum rebus suis captiventur, et detineantur; sub somnolento enim Wladislao vi fere omnia, pauca jure agebantur. Articulo tandem 18-o 1504-i Colonis venatio quarumdam specierum animalium prohibetur (vide Caput III Juris Georgici).

1) „De Birsagiis autem Sedium Comitum Parochialium, ad portionem judiciariam cedentibus; Comites Parochiales, et Judices Nobilium, aequam inter se divisionem facere teneantur; in duas partes." (3, 1435).

Jus tamen, quo Coloni terras Dominorum suorum possederunt, periodo hac fuit omnino haereditarium, uti ex articulis 49 1492, et 22 1514 caeteros inter clare colligitur. Qui jure temporaneo et conductitio illos agros suos possedisse asserunt, quod secus hospitibus Colonis privilegio asserere haereditatem opus non erat, siquidem ordo juris communis eandem addixisset omnium omnino rusticorum filiis et nepotibus, leve sane adferunt argumentum; cum jus omne, quod rustici aevo illo habuerunt, consvetudinarium tantum, et minime vel ideo stabile, sed nec ubi in legum referretur tabulas minus mutabile, nec qualecunque illud Colonis novis notum fuerit, adeoque litteris commendare hospites illi non abs re prudenterque desideraverint, non ante manum operi admoturi. Nec haereditas terrarum minus

tunc ob copiam illarum, defectum vero cultorum aestimata, sed minor census, ab eoque immunitas longiori tempore pluraque alia beneficia (quibus reliqui rustici servi adhuc carebant) motiva erant, quibus Coloni hospites, et etiam domestici (vide Litt. Bel. IV de anno 1240 supra citatas) ad culturam plagarum Cereri inimicarum, exstirpandasque silvas, et exsiccandas paludes alliciebantur.

Quod attinet sortem Liberorum, qui in alterius velut domini terra agriculturam exercuerunt, quive dum servi adhuc existebant, C o l o n o r u m nomine distinctione ab illis insigniebantur, ea, servis lege publica libertate donatis, non distincta sensim ab horum sorte esse coepit; nomenque Colonorum commune evasit servorum manumissorum et ingenuorum, prout Jobagionum classi Ministerialium ante proprium ad agricolas generatim (ad hospites jam mature) [1]) extendebatur, Rusticorum etiam ut ignobiles, tales enim fere erant suntque nunc etiam cultores terrarum, ab classe Nobilium distinguente nomine insignitos. [2]) Sed quemadmodum hospitum ita Colonorum generatim sors melior jam saeculo XV hiscere coepit sensim multumque, donec tandem rueret penitus; nec enim Litteris [3]), quibus jura et obligationes illorum definiuntur, qui terrarum culturam susceperunt vomere nondum subactarum hoc saeculo datae quoad jura et obligationes comparari possunt cum Litteris saeculorum praecedentium; et etiam leges parum jurium Hospitum et Colonorum generatim meminerunt, imo, ut articulus 18 1504, qui ab venatione eos arcet, libertatem illorum minuerunt etiam. Ipsi quoque Sculteti, quamvis non tam repente, nec tantopere juri-

bus immunitatibusque suis jam ante etiam, maxime tamen post seditionem stauromachorum exuebantur.

1) „Quilibet populorum, seu Jobagionum sessionem suam, et aedificia etc." (Litt. de a. 1358 in Dipl. Com. Sár. pag. 572).

2) Verbőczius tractatu suo de Jobagionibus titulo 25-to partis III hos Villanos appellat, nomine legibus nostris monumentisque aliis hac significatione ignoto; in Europa aevi medii (a saeculo VII usque XI) Villani erant glebae vel villae adscripti, qui Domino certum censum solvebant, caeterum fructus suos faciebant (Robertson in notis). In Hungaria quidem aevo medio aequae usitatum erat nomen Villanorum, sed non peculiarem hominum civiumque classem, verum generatim degentes in villis designabat. Documento sint loca sequentia e Registro Varadinensi: „Villani de Nyr, qui sunt pistores castri Zolnuk, impetierunt quosdam liberos homines ejusdem villae etc. etc." § 7. — „Cholnuk Jobagio castri Houmik de villa Mon, impetiit suum convillanum etc." § 30. — „Villani Holmy — impetierunt convillanum suum etc. —" § 31. — „Universi Castrenses, de Cornust, impetierunt Villanos de Sola, pro concivibus suis. — Illi autem dixerunt se jobagiones esse a generatione, qui scilicet Liberi S. Regis dicuntur. etc." § 146 — impetiissent 4 villanos de Iku — quod essent quidem joubagiones sed de castrensibus exemti. Illi autem dixerunt naturales joubagiones esse etc." (Reg. Var. § 174).

3) Vide v. g. inter formulas styli a Kovachich editas Nrum 6-um pag. 189-a, 67-um pag. 193, 234-um pag. 294, aliasque.

PERIODUS IV.

AB AMISSA DENUO LIBERTATE USQUE EDICTA URBARIALIA, SEU AB ANNO 1514 USQUE 1756 — 1767.

Lex de tuenda libertate Colonorum anno 1504 (priori periodo) lata erat ultima, quae ingenia legislatorum sub Wladislao fatigavit. Decennio ab illa nondum lapso fata tulere, ut Pontifex Leo X in locum subsidiorum, quorum impetrandorum causa Thomas Bakacz Strigoniensis Archipraesul Romam missus erat, facultatem cruciatam expeditionem per Hungariam promulgandi daret; erat quidem in potestate Regis hac non uti; ac non utendum, et aerarium exhaustum, et induciae cum Selimo ad tres annos, anno adhuc priori (1513) pactae, et animi Colonorum exulcerati vehementer svadebant. Sed Rex, qui nullam plane voluntatem habuit, ab aliis que mutuavit, impulsui fortiori, sed pro dolor! simul stolidissimo concessit. Fuit expeditio sacra promulgata, et hinc illae lacrymae! Magna sociata multitudo (40,000) auctaque magis in diem sine apto duce, sine disciplina, sine pecunia sibi relicta, heu mirum si sacer ignis, qui pectora illorum ad sumendam incitavit crucem, in flammam saevientem in viscera Domimorum degeneravit, qui praeterea vindictam illorum in se provocabant! Sed peccavit turba dissoluta, peccavit, ast multo magis Rex, et fatui ejus consiliarii; verum quicquid delirant Reges plectuntur Achivi. [1]) Cruce signatis tandem

magnam concisis partem (70000), reliquis dispulsis, domibus illorum incineratis, agris vastatis (71, 1514) legislatio judicium simul de illis, quique iis consenserunt, aut connixerunt, exercens, sangvineas dictavit sententias, dirasque scripsit leges. Ita illa: „Quamquam omnes rustici, qui adversus Dominos eorum naturales insurrexerunt, tamquam proditores, capitali poena essent plectendi: Ne tamen tanti sangvinis effusio adhuc sequatur, et omnes rusticitas (s i n e q u a N o b i l i t a s p a r u m v a l e t) deleatur." § 1 „Statutum est; quod universi Capitanei, et Centuriones, ac Decuriones, concitatoresque aliorum rusticorum, ac manifesti homicidae Nobilium; Praeterea violatores virginum, et mulierum, omni gratia semota, occidantur; et ubilibet exstirpentur." § 2 „Caeteri autem rustici, refusis, et persolutis damnis, ac homagiis praenotatis, (verberatorum Nobilium) [2]) in eorum personis salvi maneant." [3]) § 3 „Attamen ut hujusmodi proditionis eorum memoria, atque temporalis poena, etiam ad posteros eorum diffundatur, et transeat; et quam enorme facinus sit, in Dominos insurgere, omne Saeculum agnoscat; amodo deinceps, universi rustici in hoc Regno ubilibet residentes (demtis Civitatibus liberis, et muratis, quae Majestati Regiae fideles fuerunt: et illis quoque exceptis, qui penes Dominos eorum, et Sacram Coronam Regni hujus, in vera fidelitate perstiterunt; cum aliisque sceleratis rusticis, in hac seditione non participaverunt) per hanc infidelitatis ipsorum notam, amissa libertate eorum, qua de loco in locum recedendi habebant facultatem; Dominis ipsorum terrestribus, mera, et perpetua rusticitate sint subjecti." § 4 „Neque de caetero, contra voluntatem, et consensum Dominorum suorum, de loco

in locum recedendi, et se se moraturos conferendi, habeant facultatem." (1514, 14) Servitus haec ad viduas quoque Colonorum, quae mortuorum vices subibant virorum, se extendit filiosque eorum, ita ut etiamsi alteri nupsissent, sine consensu Domini e territorio ejus excedere non potuerint, solis puellis et viduabus vices Colonorum non subeuntibus hac lege exceptis. Filii, si dum migrassent matres, cura adhuc egebant materna, illas sequebantur quidem, sed perfecta vel nubili aetate adveniente ad priorem reverti Dominum debebant. *(a. 21, 1514)* Scripta jam lege poenituit illam scripsisse, non quod poenae nimis acerbae, sed quod innocentes absoluti! Quid fit? heu etiam hi perpetuae damnantur servitutis! Ita enim articulus 25 eorundem Comitiorum: „Hoc expresse nihilominus declarato: Quod Articulus de Jobagionum ulteriori non recessu, vel commigratione praescriptus et praedeclaratus (quia plurimae, maximaeque incommoditates, et quotidiana fere jurgia, praetextu abductionis, et retentionis Jobagionum hactenus suboriebantur) aeque ad omnia loca, ac universos jobagionalis, ac plebeae conditionis homines, ubilibet intra limites Regni hujus, et partium sibi subjectarum residentes, referatur, et intelligatur:" § 1 „Ita, ut de caetero Jobagionum dimissio, vel abductio, per omnia cesset, perpetuoque aboleatur, et extincta maneat semper." § 2 „Verum de Civitatibus Liberis Regiae Majestatis, et Dominorum; in alias Civitates similiter Liberas eorundem commigratio Jobagionum praenotata, inter sese, per hanc constitutionem interdicta non intelligatur." (1514 25) – Praeterea statutum (1514 24): ut „nemo de rustica progenie natus in Episcopum, vel Archiepiscopum (ob per-

petuam praemissae rusticanae proditionis memoriam) per Regiam Majestatem promoveatur:" § 1 „Et, si quispiam promovetur; nemo illi Decimas dare teneatur." Simul vero praeteritorum docti experientia temporum, ut servis omnis tergum vertendi, et ad mitiores se Dominos conferendi potestas praecludatur, hi vero nulla amplius Colonos sive volentes, sive invitos abducendi cupidine facile teneantur; lege et adcurata et gravibus poenis munita caverunt legislatores. Abductionem vel receptionem Dominus quisquis singularis (vel ejus Officialis), si reddidit Jobagionem, velut violentus 100 florenis luebat. Si non reddidit, Dominus saecularis praeter 100 florenos amittebat locum (Civitatem, Oppidum, Villam, aut portionem horum) in quem Colonus abductus vel receptus fuit; Praelatus vero aestimatione illius tenebatur. Pars tertia ejus actori, duae tertiae cedebant Regi, cui tamen prohibitum, has convicto donare vel fratribus ejus. Officialis Domini Nobilis sine ejus influxu Jobagionem recipiens eandem incurrit poenam; ignobilis per Dominum sub poena amittendi loci repetenti Domino noxae dandus erat. — Gravior adhuc erat in Civitates liberas munitasque poena, quarum moenia multis refugium praebebant Colonis; huc, quia bene a Civibus habebantur, maxime tendebant; gravior etiam poena in Communitates Comanorum, Philistaeorum, aliorumque Jobagionum regiorum erat, qui aeque melius Jobagionibus privatorum habebantur, industriaque sua Civitates aemulabantur, multosque aeque, ut vidimus supra, Colonos in medium sui pertraxerunt; gravior tandem erat poena in episcopales etiam Civitates et Oppida eadem ex ratione. Hae omnes toties quoties admonitae 200

florenis et praeterea homagiis singulorum Colonorum detentorum, Ecclesiae nimium pervicaces etiam amissione oppidorum suorum damnabantur. Contra Comites universitas Comitatus, et hac non sufficinte, Regis brachium implorandum erat. (1514, a. 26, 27, 28, 29, 30, 31) Si Dominus vel Officialis (Civitas, Oppidum) servum fugam arripuisse dixit, id juramento confirmare vel homagium ejus persolvere debebat. Hae tamen leges tantum abductiones, et receptiones, quae a tempore inde seditionis rusticanae evenerunt, respiciebant; quoad antecedentes hanc priores observari leges jubebantur (1504, 44). Verum quae fuerit nunc latarum efficacia, inferius paullo videbimus. Demum rusticis sclopos servare sub poena amputationis dextrae prohibebatur (1514, 60, § 2, 4).

1) In Dictionario Paroemiarum a Franc. Jos. Hartleben edito (Pest. 1818) parcemiam hanc ita germanice redditam inveni: Wenn die grossen Herren raufen, müssen die Bauern die Haare dazu hergeben. Quam apte ad historiam narratam! Sed hoc allotrium utique.

2) „Praeterea, de Nobilibus quoque illis, qui Rusticis in ipsorum praemissa tumultuaria insurrectione adhaeserunt; et partem illorum tenuerunt; cum eisdem participaverunt; veritatem pariter inquirant.“ (1514, 33, § 3) „Et quia omnes fere Nobiles Comitatus Maramarusiensis partem rusticorum tenuisse; et cunctis eorum pravis, perniciosisque actibus participasse dicuntur: § 1. „Ideo super illis; in Comitatibus de Ugócha, et Beregh, fiat veritatis inquisitio praenotata“ (1514, a. 34).

3) Etiam illi, qui Nobiles interemerunt, praeter poenam mortis homagia interemtorum solvere debebant (1514, 8).

4) Aliqui possessiones rusticorum sibi occasione tumultus cruciati damna inferentium occuparunt, iis taxas imposuerunt, alii rusticos a dominis suis abstraxerunt, et sibi subjecerunt (52, 1514).

Multum etiam auctae sunt praestationes omnis generis, et quod pessimum omnibus Colonis eaedem praescriptae anno illo satis nunquam Colonis deflendo, quo libertas ipsis ademta; nam praeter duram servitutem alia erat poena, ut praestationes auctae eam adhuc duriorem redderent. Sed hoc assertum grave eget etiam documento gravi, quod autem gravius afferre possum, quam ipsam legem, in qua Status et Ordines aevi illius idem asserebant, ita enim illi: „Quia vero plurimi rusticorum, in confinibus Regni residentium, o b g r a v a m i n a, e t s e r v i t i a, i p s i s o b e o r u m d e m e r i t a d e p r a e s e n t i i m p o s i t a, a d e x t e r a R e g n a, v i d e l i c e t; P o l o n i a m, M o l d a v i a m, M o r a v i a m q u e, e t A u s t r i a m s e c e d e r e c r e d u n t u r m o r a t u r i:" § 1. „Quod ut fieri non possit; Sacra Majestas Regia, ad eadem Regna sic scribere dignetur; ut Coloni, et Rustici illuc transeuntes moraturi, semper reddantur; et ad pristina eorum habitacula reducantur, imo potius nec illuc immittantur." *(70 1514)* Nonne multum desideratur, ut quis, et plus adhuc, ut dulcem Arpadis progenies linquat patriam, [1]) multum amaritudinis, quae alte insidentem animo amorem patriae sede sua omnem depellat? Miror itaque a viris, qui se doctos putant putanturque docti, asseri, sortem Colonorum in Hungaria nunc esse meliorem, quam antiquitus fuerit. Sed jam videamus praestationes ipsas. In pecunia Coloni, qui Sessione gaudebant, 100 denarios, 50 Georgii, 50 festo S. Michaëlis Archangeli solvere debebant; sed si alicubi plus hactenus solvissent, dein quoque solvendum fuit. Hac praestatione etiam Inquilini, sed et hac tantum, tenebantur. (1514, 15) Hi tamen

triennii spatio ab hac eximebantur ea conditione, ut domos sibi aedificent; si non aedificassent, elapso illo censum solvere obligabantur, a quo tantum illi eximebantur, qui exceptis haereditatibus, ut lex dicit, res ultra valorem 3 florenorum non haberent, etiamsi proprias incolerent domos. (1514, 22) Subinquilini ad nihil obligabantur. Titulo Munerum praestabant Coloni sessionibus provisi singulis mensibus pullum, singulis annis duos anseres, festo Pentecostes tenerum, festo Martini excretum, decem vero Coloni simul, et si possessio pauciores numerasset, etiam hi festo Nativitatis Domini porcum saginatum, et quae sunt alia munera, quae Coloni Dominis suis adhuc gratificabantur; nam et haec omnia ultra etiam gratificari iisdem debebant. (1514, 17, 19, 20) Operarum servilium (Robotarum) titulo quisque Colonus sessionem tenens unum diem per hebdomadam Domino impendere debuit. (1514, 16) Quoad Decimam statutum, ut prout hactenus de consvetis tantum frugum speciebus praestetur; sed Nonam, quae hactenus tantum de speciebus Decimae obnoxiis pendebatur, de omnibus terrae nascentiis, (phrasis haec primum hic in legibus occurrit nostris) sive metantur, sive falcentur, adeoque etiam de foeno Coloni praestare obligabantur. Tam Praelatus quam Dominus ex decem manipulis (capetiis) unum jubebatur sumere, ita ut Colono octo remanerent. – Stringebatur vero etiam Dominus Rex Wladislaus suos Jobagiones benignius haud tractare, exceptis illis, qui intra moenia Civitatum liberarum et muratarum abditi erant. „Item; quod Philistaei, et Comani, ac caeteri Jobagiones Regiae

Majestatis, ubilibet residentes (demtis Civitatibus liberis, et muratis) tam ad censuum, et munerum, nonarumque solutionem; quam etiam servitiorum exhibitionem; instar aliorum Colonorum, et Rusticorum hujus Regni, de caetero teneantur, et sint obligati." (1514, 23) – Ex his praestationibus censu 100 denariorum seu unius floreni (fertonis), qui vere est originis germanicae, ut nomenclatio hungarica Füstpénz a germanica Rauchsteuer, Rauchpfennig [1]) (latine fumagio seu focagio) desumta indicat, porro muneribus primum tantum hospites Coloni Dominis suis tenebantur, quae dein cum caeteris videlicet operarum servilium, et nonae ac decimae tam hospitibus quam et reliquis rusticis imponebantur. Mentio operarum servilium in citata lege Wladislai (1514, 16) primum injicitur. Hae initium sumebant, quo tempore agricultura magis efflorescente, operamque ideo cultoris magis remunerante lucri cupido Dominos incessit, ut quemadmodum in Germania domini terrarum fecerunt, magna latifundia sibi reservarent, opera Colonorum suorum excolenda. Primum igitur usu operae illae invaluerunt, donec tandem lege ipsa Colonis certo, longeque majori ac hactenus praestitae fuerunt numero in poenam seditionis injungerentur.

1) Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos Trahit, et immemores non sinit esse sui.

2) Etymon vocum harum sine dubio quaerendum est in consvetudine antiqua Germanorum fixam habitationem igne, fumo, aut foco designandi.

Quod attinet Colonos hospites, quamvis jura et obligationes illorum chartis saepe coram personis locisque authenticis in majorem acce-

pti promissi fidem roboratis continerentur, tamen poenam communem cum reliquis jugi servitutis graviumque praestationum ferre debuisse videntur, nulla enim distinctio inter hospites Colonos aliosque jam erat, ex ideo nullam facit. Scultetorum ipsorum jura quamvis non eversa, multum tamen labefactata fuere per fatalem illam seditionem, ut dein sensim eo facilius minuerentur, ac convellerentur, quemadmodum inferius paullo visuri sumus.

Caeterum periodus haec cujus initium nunc narravimus nihil continet in se aliud fere, quam aerumnas et calamitates innumeras ac gravissimas, quibus agricolarum genus Hungariae affligebatur. Servitus dura, Dominorum iratus adhuc animus ob nupernum peccatum alta mente repostum, vindictae studium et occasio, avaritia et saeva dominandi cupido nunc campum nacta ampliorem, amplior praestationum numerus et auctae species, aedes multorum resque flammis consumtae, graves denique aeris solutiones onera certe sunt, quae jam vitae taedium creare agricolis debebant. Sed accedunt his quae cruentam sequuntur Bellonam calamitates. Abripitur agricola a stiva, vomeremque in ensem curvare jubetur; [1]) praeter operas in utilitatem Domini praestandas multis insudare debet diebus gravi reparationis castrorum et arcium (locorum finitimorum) labori, [2]) aut hunc aere, quod parcum erat, redimere; [3]) ad vehenda tormenta aliosque diri Martis apparatus, vehendum militi commeatum adigitur, saepe parum nihil saepius pro gravi fatigio recipiens; [4]) quod ager male cultus agricolae saepe ab aratro avocato parce fudit, militi destinatur in castra vehendum, pretio quidem limitato exol-

vendum, sed saepe per militem absque illo abreptum; [5]) si commeatus in castris militem defecit, hic in villa comparuit et penum rustici male mulctavit; [6]) equus militis pascuum, saepe pratum quoque illius consumsit, [7]) Itaque fructus agri et prati, qui data Domino parte remanebant agricolae, miles cum hoc partitur non aequa ratione, si non penitus sibi tribuit. [8]) Rationem miseriae hujus S. S. et O. O. ipsi hanc reddunt: „Olim in servitiis Regum, et Regni, ex Ordine equestri nemo admittebatur majorem equitum habere numerum; qui adminus uno, aut duobus mensibus proprio stipendio militandi non habuit facultatem.“ § 1. „Nam alioquin, si aliquando (ut potentissimis etiam quibusque Imperatoribus contingere solet) stipendium debitum exercitui in Regno defecisset; Provincialium lacrymis vivere coactus fuisset: Quemadmodum id jam Nobis quasi in consvetudinem venit.“ § 2. „Nihil enim praeter nudum corpus, illudque diris affectum verberibus, miserae plebi relinquitur.“ – (1536, 26) Et tamen qui aluit militem gravi sudore extricatis terrae frugibus, hic ei stipendium quoque solvit subsidium vocatum, quod fere omnibus Comitiis novum desiderabatur. Aliqui praeterea Turcis quoque tributum solvere debebant. [9]) Haec ruricola bonus in defensionem Patriae suae praestitit, quem illa seu potius saeva dominandi paucorum cupido ut civem agnoscere noluit. – Vastitatem, quam spurcissimorum Turcarum barbaries regno et agris rebusque Colonorum intulit, memorare animus horret; [10]) sed hoc tacere non debeo, quod mater quoque frugum, optima Ceres, irata hominibus, detestataque insanam eorum rabiem, arva preces-

que agricolarum saepe non respexit. [11]) Heu quantum genus ruricolarum gemuerit alibi gentium, si calamitates belli brevi etiam tempore perferre cogebatur; historia nos docuit aevi nostri. Agricola gentis nostrae saeculo, et quod excedit illud eas pertulit. (1716 usque) Caeterum omnes has aerumnas, et calamitates una multum levare potuisset libertas Colonis data, sed non dabatur, verum ludebatur libertate hominum tanquam pila! Narrabo post paulo lusum hunc crudelem, et qui illo non movetur, sciat pectori conum plumbeum insidere. Tanta contra erat oppressio illorum, ut multi detonsorum Turcarum detestatum semper Hungaris jugum subire, quam suis servire Dominis maluerint. — Non ego Reges, qui gubernacula Reipublicae tenuerant plena hac fatis sinistris tempestate criminor, esset summum certe nefas; hi enim erant, qui patrimonium gentis avorum sangvine partum nobis conservarunt, jam Syrtes inter Scopulosque positum, et interiturum certe, si Numen iratum genti adhuc unum dedisset Wladislaum: docti sumus exemplo hujus, quantum, dum pericula minantur Regno, Regum noceat inertia et indolentia. — Erat vero Regum, quos conciliatum genti placatumque Numen e stirpe omnibus venerata gentibus Austriaca nobis donavit, fortitudo quemadmodum magna et constantia nullis fracta calamitatibus in servanda contra hostem asperrimum Republica; ita humanitas quoque congenita stirpi illi insignis certe in ruricolarum praeprimis genus. Quam pulchra Ferdinandus exempla illius ediderit, leges seris adhuc posteris loquentur, quas paulo post adlaturus sum; quod Regum illorum conatus parum profecerint, quem igitur criminabimur? - - - mores et tempora! [12])

Sed jam quae fuerit ulterior sors Colonorum (tam communium quam hospitum) quoad libertatem, praestationes, aliaque jura et obligationes videamus in specie.

1) „Rustici universi, per singula Capita parati esse debeant; § 2 — „per singula tamen capita rustici non leventur; nisi in extrema necessitate.“ (10, 1526) — „Domini etiam utriusque Ordinis, et aliae personae speciales, quae ex Decreto Regni gentes tenere debent; cum suis gentibus, et quinta parte colonorum suorum offerunt sese paratos.“ (25, 1536) — „Domini Capitanei; debeant Dominos Nobiles viritim (et si necessitatis magnitudo id postularet) etiam colonos ad arma cogere, et levare.“ (22, 1543; et aliae plures).

2) „Decreverunt insuper Status, et Ordines Regni, ut ad munitionem locorum finitimorum (quae summe est necessaria) coloni omnium Dominorum, ac Nobilium, aliorumque possessionatorum hominum, juxta connumerationem praedictam de dica faciendam; ad laborandum gratis per 6 dies dimittantur, expediantur, et continue (praeter tempus duntaxat messis, et vindemiae) per eos dies teneantur laborare“. (6, 1557 pr.)

3) „Illud etiam Regnicolae decernunt; ut liceat iis, qui pro operibus hujusmodi gratuitis pecuniam solvere maluerint; de singulis portis, singulos 10 numos ad singulum diem solvere.“ (6, 1574 pr.)
Sub Carolo III (VI) operae hae publicae 24000 reluebantur. „Annuente benigne Sua M. S. ex ea, qua erga contribuentes fertur compassione; ad evitandas eorundem molestias, omnis generis gratuiti Labores, 24000 florenis usque futuram Diaetam annuatim praestandis, redimuntur—.“ (1729, 1)

4) „Quantum igitur ad vecturam — (victualium, bombardarum, et aliorum apparatuum bellicorum) attinet; ea, in generali, pariter et particulari expeditione, non per alios, quam colonos illarum Regni Partium, in quibus exercitus ipse versabitur, fieri posse videtur.“ (14 1563 § 1; vide etiam 1566, 17, 19; 1574, 9).

5) „quamvis videatur M. S. in victualibus Ungariae confidere non posse, ob id, — quod maxima sit

in Regno charistia; sperare tamen, se victualia, quae quidem ex his Ungariae reliquiis haberi potuerint, in expeditione ipsa non defutura esse: Dummodo ea, quae ad castra importabuntur, per milites solvantur —." § 2. Singularum vero rerum ad victum pertinentium, ac etiam vecturae pretium, in prioribus jam Conventibus est limitatum —." (16, 1559 § 1; vide etiam 1563, 12; 1566 14; 1569, 19; 1567, 22; 1575, 12; 1596. 24).

6) „Neque permittatur illis, (militibus) in villas, ad diripienda omnis generis victualia, a castris longius divagare; sicuti in proxima expeditione Jaurinensi, et Babolchiensi, factum fuit; et nunc fit in partibus Regni Ungariae superioribus, ac aliis nonnullis confiniis. (16, 1559 § 1; vide etiam 1553, 5; 1563, 36; 1566, 20; 1567, 2).

7) „De modo, secundum quem milites in confiniis constituti, equos suos ad pascua mittere possint, statutum est; ut in locis opportunis, et securis nunc quoque equos suos pascant." § 1 „Cum tamen fere ubique sint loca a foenetis, quae falcari solent, separata, et pascua pro equis satis idonea habentia; in his illos dimittant, et ad falcationem reservatis parcant." (20, 1566; vide etiam 1578, 14; et 1655, 57; item 1681, 73; 1741, 34. Haec facultas quidem jam 1655, cit. art. sublata fuit; sed per abusum adhuc longius multo perduravit, nam adhuc 1741, 34 de illo agit.

8) „De commeatu, et victualibus, per Colonos militibus convehendis; nunc quoque S. S. et O. O. Constitutiones proxime praeteriti Conventus renovant." § 1 „Ignorant tamen, utrum demessis per milites frugibus, et segetibus, conculcatisque foenilibus, reliqua, quae supersunt, sufficere possint." (1567, 22)

9) „Fertiliora fere Regni loca hostes, Turcae, Tartari, miserabilem in modum devastarunt." (24, 1596)

10) Vide 1548, 24; et 1555, 7.

11) Vide 16, 1559 supra citatum; etiam 72, 1550; 24, 1596.

12) „Deinceps tamen Comites, et Vice-Comites diligenter praecaveant; ne villae aliquae Turcis se subjiciant: Et si quae se subjicerent; in eorum Colonos graviter animadvertant." (15, 1574 § 2) „Non sine animorum sensu intelligunt Status, complures esse pagos, et Colonos, qui post Diaetam

proxime praeteritam, non vi aut armis, sed sponte, ac ultro Turcis sese subjectos, et Tributarios fecissent." § 1 „De quibus statutum est; ut deinceps Comites, et Vice-Comites diligentius, quam hucusque, praecaveant; ne villae aliquae Turcis se sponte subjiciant: Et si quae sponte se subjicerent; in eorum Colonos Comitatus animadvertant." (107, 1655; vide etiam 1681, 48).

Lata fuit lex poenis sancita gravibus contra abductores receptoresque Colonorum, et fugiebant Coloni et abducebantur vi et voluntate ut nunquam magis; tantum est discrimen inter latam legem, et illius observantiam! Nihil jam Magistratus profecerunt, ipsi saepe peccarunt, jam semper Sua Majestas quasi Deus ex machina implorabatur, ut intercedat, legumque servet auctoritatem: tam erat perdita Respublica! Leges sub Ludovico adolescentulo Rege latae (1518 (Decr. Tolnense) a. 18; 1518 (Decr. Batsiense) a. 23, 32; 1519, 19, 32; 1521, 61; 1522, 58, 59; 1523, 52; 1525, 12) documentum praebent assertorum; quas in specie adferre taedet, et adtulisse taedium lectoribus creabit. – Clades Mohátsiana totam terruit gentem afflixitque, non magis tamen ullos quam Colonos; hos enim Martis furor acerbissime semper vexat. Videtur sors misera illorum propititios reddidisse Dominorum animos; anno enim 1538 (a. 21) libertatem ipsis restituerunt iisdem fere conditionibus, quibus lex (a. 16) de anno 1504 eam concessit. Sed anno 1542, donec bona ab obitu Ludovici II violenter occupata Dominis restituantur prioribus, sub poena Decreti VII Wladislai suspensa, et anno sequenti restitutio Colonorum vi abductornm eadem sub poena (5, 1543) adursa. – Anno 1546 gravibus rationibus Rex Ferdinandus I restituendam Colonis libertatem in Comitiis Statibus et Ordini-

bus svasit; hi agnoverunt quidem gravitatem rationum, excusarunt se tamen, quod „cum – Nobiles, et coloni eorum usque adeo a potentioribus oppressi sint; ut Coloni ipsi singulos, in dies tum violenter abducantur, tum vero oppressionem genere affecti, ad bona potentiorum commigrare demum cogantur; praemissa licentia commigrandi, Nobiles brevi tempore Subditis penitus privarentur.“ Res igitur ad futura dilata Comitia. In his (1547) in se redeunt seque peccasse agnoscunt Legislatores. Heu quam pulchre, quam humane, quamve religiose in his Status et Ordines! „Cum autem variis exemplis, vetustis, et recentioribus saepenumero palam innotuerit Dei Optimi Maximi vindex ira, ob peccatum aliquod populi gravius: Neque ulla res magis ab aliquot annis; florenti condam Hungariae nocuisse videatur, oppressione colonorum, quorum clamor ascendit jugiter ante conspectum Dei:“ § 1 „Ad antevertendam indignationem Summi rerum omnium Opificis – – – Ordines, et Status Regni – – – illud quoque statuerunt unanimiter:“ § 2 „Ut libertas miserorum colonorum – – restituatur.“ (a. 26) [1]) Sed quam stupeas dum legis anno sequenti legem, (a. 32) quae sic caetera inter habet: „Quod vero ad colonorum transmigrationem attinet; licet in proximo Conventu Tyrnaviensi, hujusmodi transmigrationem, sub certis modis, et conditionibus, Ordines, et Status Regni liberam fecerant: Quia tamen vel hoc exiguo temporis spatio, magnam Colonorum inobedientiam erga suos Dominos, et insurrectionem contigisse constat:“ § 1 „Tum igitur ex eo: tum aliis bonis respectibus, conclusum est: Ut hujusmodi transmigratio, pro nunc, usque ad alium generalem Conventum cesset, –.“ His Comitiis

dein praestationes Colonorum iterum determinatae sunt, quas adducam inferius, et tandem si has Dominus transgrederetur, quod ad querelam Coloni Sedes Judiciaria discutere debebat, huic sententia facultatem migrandi impertiebatur, cui Dominus sub poena 100 florenorum obtemperare debuit. Poena haec etiam Dominum, qui vi abduxit Colonum, vel fugitivum recepit, et ad admonitionem non restituit, mansit. Hac ratione, – quod illi, qui mores temporum illorum penitius inspexit, dubium esse non potest ullum, – ad speciem libertas dabatur Colonis, revera denegabatur. Quod etiam programma legis (a. 34) 1550 belle confirmat: „Quod ad migrationem Colonorum attinet, ad quam libere nulla conditione interposita permittendam, multis, et gravibus rationibus Majestas Regia fideles suos clementer hortari dignata est: tametsi Dominis Praelatis, ac nonnullis etiam ex Dominis Baronibus probatur, migrationem Colonorum liberam ubique relinquendam esse, nulla conditione interposita; cum tamen in contrariam Sententiam pluribus suffragiis itum esset, ut videlicet conditionibus quibusdam interjectis solum admittatur migratio libera non relinquatur, tandem communibus votis, sic est conclusum – – – ut supra – servitia superiori anno limitata Colonus oppressus; alio migrandi habeat facultatem, modo, et ordine ut inferius declarabitur." (34, 35, 1550) Modus autem hic erat. (1550, 37, 38, 39) Judex, qui causam migrandi discutiebat, Sedes erat Nobilitaris; Colonus coram illa, duobus civibus loci et tribus vicinis ut testibus causam illam comprobare debuit. Si Dominus testes adductos testimonium perhibere cohibuit, aut illi provocati nolebant; Dominus

16, testes singuli una marca mulctabantur, et Colonus liber pronunciabatur sententia judicis. Vicinorum testimonium etiam solum, civibus testari renuentibus, suffecit. Sed sententia Sedis Nobilitaris rem non decidit, verum haec re integra ad Sedem Comitatus appellari poterat. Tandem ab hac Colonus libertate donatus, debitis quibuslibet solutis, libere abire poterat. Dominus eum nihilominus retinens aut durante lite opprimens 200 florenorum mulcta dignus judicabatur; sed et vicissim Colonus 20 florenis (vivo homagio), si judex causam ipsius justam non invenit. Poena 200 florenorum et receptorem fugitivi Coloni, et eum, qui vi abduxit, mansit, si admonitioni non paruerunt. Cautum quoque erat, ne Dominus Colonum fidejussione obliget, ut alio migrare non possit; nec si obligavit, hoc ei quidquam prodesse statutum. – Sed et hoc modo parum libertati sortique Colonorum consultum; erat species libertatis et praeterea nihil. Ursit Rex iterum iterumque in sequentibus Comitiis (1552, 8); sed excusarunt se Status et Ordines „ – tametsi – ex pia; paternaque Regiae Majestatis admonitione, satis inter se multa tractarunt; conabanturque omnino, permissa Colonis migrandi facultate, hac in re quoque, cum Deum Optimum Maximum sibi reddere placatiorem; tum vero Sacrae Regiae Majestati, ut cupiunt, in omnibus morem gerere." § 1. „Verum instante, ac prae foribus existente expeditione, atque inde exactione subsidii oblati, vel collectione militum, secundum numerum Colonorum; nullam moram admittente. Visum est ob eam causam, in praesentia, sine magna confusione, nihil ea in re posse decerni." Res igitur ad feliciora tempora dilata fuit. Anno vero sequenti

(1553, a. 10 § 2) ad futurum Generalem Conventum „in quo (ut ajunt S. S. et O. O.) si praemissa mala, praemissasque violentias, et oppressiones miserorum Colonorum non cessasse, - intellexerint; tum tandem cómmunibus consiliis, quod magis visum fuerit expedire, frequentiorique quam nunc Regnicolarum coetu, commodius poterit decerni.“ Modus tamen comprobandi causam migrandi quodammodo facilior reddebatur: (a. 13) juramentum Coloni et duorum concivium coram Testimonio legali dicendum ipsum a duro liberavit Domino; damnum, quod ille ipsi intulit, contra Dominum novum persequendum erat. Praestationes operarum quoque, uti videbimus infra, quadamtenus leniores redditae. In Comitiis 1556 (a. 27) antiquam repetunt S. S. et O. O. cantilenam: „Cum autem modis omnibus Dei Optimi Maximi indignationem a se avertere, et benignitate conciliare, O. O. et S. S. Regni omnino cupiant; Sacrae Regiae Majestatis piis, paternisque monitis inhaerentes, migrationem Colonorum, ubique locorum unanimi consensu liberam, in reliquum tempus perpetuam esse statuerunt:“ § 1. non tamen extra Regnum. – “ Sed quomodo? Colonus migrare volens de novo prius sollicitus esse debebat Domino, hic Testimonium requisivit Legale, ut ad faciem loci exeat, et terragio (2 denariorum) a Colono judici loci deposito, licentiam denunciet. Lapsis abhinc 15 diebus Colonus debitoribus satisfacere, domumque negligentia sua desolatam reparare obligabatur. Si Dominus fundorum aliquorum a praestationibus ad certum tempus immunitatem ipsi concessit, sique perceptis fructibus quibusdam hoc lapso migrare voluit, praestationes remissas compensare debuit. Do-

mus per Colonum emta, aut suis aedificata sumtibus, si illam alteri idoneo Colono vendere non poterat, Domino cessit; „vineas vero, ac terras, seu prata propria, non ad domum, seu Sessionem spectantia, sed haereditaria, aut exstirpatitia," nisi Dominus aestimatione mediante secundum jura et Leges Regni redimeret, Colonus praestitis praestandis ultra quoque retinere poterat. – Est vero positio haec legis valde memorabilis, apparet enim ex illa, quod Colonus migrans terras ad domum vel sessionem spectantes, sessionales nunc communiter appellatas, absque pretio aestimatione illarum determinato, contra quam titulus 3o-us 3-iae § 8 (vide huj. op. Part. I, § 4) praecipit, Domino cedere debuerit, et terras nonnisi, quae ad domum vel sessionem non spectabant (per Colonum aut haereditario jure acquisitas) (haereditarias) aut exstirpatis silvis dumetisve primum cultas (exstirpatitias) ultra tenere poterat, quas dominus soluto nonnisi pretio, quod aestimatione eruebatur, adimere ab eodem poterat; unde videtur dein originem sumsisse consvetudo, vi cujus dominus, ubi lex id non vetat, ad terras ita dictas sessionales Colonos absque ullo pretio sibi cedendas stringere potest. – Si quae controversia inter Dominum, Colonumque, aut alios vigebat, hujus decidendae judex primus Legale Testimonium erat, a quo appellata ad Sedem Judiciariam Comitatus locum habuit, quae causam sine mora revidere obligabatur. Dominus, qui Colonum legitime migrare volentem retinuit, fugitivum recepit, aut vi abduxit, si primum per Judicem Nobilium sibi concessum terminum neglexit 100, si secundum 200 florenis mulctabatur, si tertium etiam non

curavit terminum, locum amisit, in quo Colonus detinebatur, redimendum tamen communi aestimatione. Mulctam judex (Vice-Comes, et Judlium) et actor inter se aequis partiebantur partibus. Data insimul fuit potestas Domino Colonum fugitivum, aut vi abductum extra locum commorationis deprehensum propria reducendi auctoritate. Res tandem Coloni fugientis vel abducti omnes Domino (more, ut lex dicit, ab antiquitus observato) cedebant. Rex etiam rogatus, ut Colonorum transitum ad vicinas provincias impediat. Ex modo hoc videmus, quod Colonis nihil omnino plus libertatis accesserit, quam habuerint ante, habebant autem nullam. Sed nec hic modus, nec alter observabatur. – 1566-o, art. 27-o Regem provocant S. S. et O. O., ut legum de transmigratione sancitarum a plerisque Dominis non servatarum auctoritatem sustineat. [2]) Tandem 1608, articulo 13-o (post cor.) in omnia alia ibant S. S. et O. O. „Quandoquidem ex ablicentiatione Colonorum, multi abusus contingere solent, ideo statutum est:“ § 1. „Ut illi Comitatus, qui in usu ablicentiationis Colonorum fuerunt, ii etiam deinceps in eo permaneant.“ § 2. „Qui vero Comitatus ea uti noluerint; liberum sit eis, privatam constitutionem de ablicentiandis Colonis statuere.“ Tantis igitur conatibus S. S. et O. O. libertatem restituendi effectum est nihil; servitus Colonorum iterum reducta. [3]) Leges omnes posteriores tantum de repetitione fugitivorum ac abductorum Colonorum et Servorum domesticorum loquuntur, migrationis amplius ne verbo meminerunt. [4])

1) Conditiones admissae libertatis praetereo, quia haec paulo post iterum evanuit.
2) Leges intermediae: 1574, 30 Colonos in Austriam et Moraviam fugientes reddi; 1588, 42 quoad Colonos fugitivos constitutiones publicas etiam in bonis regiis observari; 1596, 36 Colonos e Slavonia, et 1598, 33 e campo Turopoliensi nec non ripa Savi Colapis et aliis partibus metu Turcarum illuc fugientes Dominos novos redire permitti jubent. Vide etiam 72, 1550.
3) Adhuc articulo 61, § 1, 1723 Manumissorum mentio fit.
4) 1613, 36 Capitanei Colonos et Servos ad bona Suae Majestatis vel Confinia fugientes restituere jubentur sub poena decretali. — 1618, 48 prior renovatur. — 1622, 27 idem renovatur, statuitur item „ut Colonus se ad servitia militaria in confinia conferens haereditatem suam amittat." Si vero servitio militari Coloni se abdicant, ad priorem Dominum reverti obligentur. — 1622 27 in caussis repetitionis Colonorum et Servitorum exclusis omnibus juridicis remediis penes 31, 1556 procedi praecipit. — 54, 1625 remedium Novi Judicii, praescriptionem item 2 annorum exceptis annis a praescriptione exemtis in processu repetitorio (assertorio) admittendam; illo vero durante armales per Colonum repetitum impetrari (sub nullitate) non posse statuit. — 51, 1625 Capitaneis observantiam 27, 1622 injungit. Quia vero in amissione Praesidii convinci non poterant, in tertio repetitionis et non restitutionis casu 300 florenis mulctandos eos esse decrevit. — 52, 1625 Praescriptionem ita, ut in eam etiam anni secus a praescriptione exemti imputentur, intelligendam declarat. — 133, 1647 demonstrationem Coloni vel Servi fugitivi testimonio suppleri posse decidit, ante enim Servi debebant in facie loci Judicibus Nobilium remonstrari, prius quam admonitio locum habere posset. — 41, 1655 fugitivos Colonos a Capitaneis sub poena 300 florenorum toties quoties restituendos innuit. — 42, 1655 Commissarii denominantur de modo restitutionis Colonorum in Transsilvaniam fugientium consultaturi. — 44, 1655 quoad repetitionem Colonorum ad Cumanos

et Philistaeos transfugientium a Palatino vel ejus Capitaneo modum alias praescriptum observari jubet. — 77, 1655 articulos de repetitione fugitivorum Colonorum etiam relate ad Civitatem Varasdinensem vim obligandi habere declaratur. — 69, 1659 eosdem etiam per Oppida Hajdonicalia observari praecipit. — 70, 1659 si ad tertiam repetitionem restitutio subsequatur, duarum priorum repetitionum poenas non evanescere; plurium vero Colonorum non restitutionem eadem, et una poena lui, terminum pro ratione distantiae Dominis detinentibus sufficientem dari debere; tandem Colonum cum familia et omnibus rebus restituendum innuit. — 34, 1662 articulos de repetitione fugitivorum Colonorum et Servorum ad liberas Civitates etiam montanas extensos declarat. — 67, 1681 poena adversus Capitaneos et Officiales confiniorum Colonos ad requisitionem Dominorum suorum non restituentes 300 florenorum ad 500 elevatur pro singulis Colonis, et praeterea si ipsi Colonos abduxerunt; 100 adduntur aeque pro singulis Colonis, quos Generalis confiniorum vel vices ejus gerens ab eis desumere debuit; media illarum parte sibi, media actori cedentibus. — 101, 1715, cum Coloni ad Comitatus recens a Turcis recuperatis, et quoad praestationes tam publicas quam dominales reliquis nondum adaequatas, magnam partem fugerint, statutum, ne Coloni ab uno ad alium Comitatum sine passu (passualibus litteris) Domini transire permittantur, transeuntes nihilominus prioribus Dominis significentur; recipientes vero eos legali repetitione penes transmissionem Collateralium peracta, edoctoque jure Domini in Colonum restituere sub poena a. 31, 1556-i, et 70, 1659 instar liquidi debiti per Judices Nobilium desumenda obligentur. Articulus porro hic etiam ad confinia extendatur. — 60, 1723, si Domini repetentis Colonos per Civitates, Oppida, aliasque distinctorum Comitatuum Communitates detentos solito processu consequi non possent, Comitatibus quoque concernentibus pro Dominis terrestribus in gremio sui degentibus, vel adversus Communitates memoratas, vel vero adversus detinentes Dominos terrestres procedendi facultatem tribuit (penes Mandata Regia vel aliorum Judicum Regni),

Et loco triplicis admonitionis, quae supra memoratas poenas post se trahebat, triplicis ordinis processus peculiares instituendos disponit. Poenis vero illis etiam hos subjicit, qui ad eludendum repetentem medio repetitionis vel motae litis tempore Colonum repetitum alio translocant. Si vero incattus absolvatur, actorem aeque in refusione expensarum convinci statuit. Caeterum articulorum 31, 1556; 27, 1622; 70, 1659, et 101, 1751 dispositiones confirmat, et ad regna quoque Croatiae et Slavoniae extendit. — 61, 1723 „a r t i c u l u m 101, 1715, a l i a s q u e l e g e s d e r e p e t i o n e C o l o n o r u m s o n a n t e s a d c o n f o r m i t a t e m 52, 1635 p r o D o m i n i s t e r r e s t r i b u s p o s t e r i o r i b u s p e n e s e o s d e m, e t p r o i i s d e m s u b u n o e o d e m q u e e t i a m S u c c e s s o r u m D o m i n i o s a l v a s e s s e v u l t." Huc demum referri potest etiam a. 62, 1723, qui Dominis prohibet, ne Colonos exceptis iis, quos ad servitia propria adhibere voluerint, ex uno ad alium Comitatum, quemadmodum hucusque cum depopulatione Comitatuum respectivorum accidit, transferant; una vero praecipit, ut translatos sub poena homagii translatorum a Judice Nobilium ad instantiam Magistratus desumenda, et ad aerarium Comitatus inferenda restituant, vel alios ad sufferenda onera publica idoneos substituant. Si tamen plures essent in Comitatu, vel fundo certo Coloni, quam accommodari possint, superfluos ad alium transferre permittitur.

Praestationes Colonorum periodo hac a. 33, et sequentibus 1548 denuo determinantur. Quilibet Colonus possessionatus singulis hebdomadis singulas dies Domino servire tenebatur (s a l v a t a m e n, ut lex (34) dicit, a n t i q u a c o n s v e t u d i n e R e g n i S l a v o n i a e (videbimus illam infra), ex quibus pro arationibus consvetis tam vernalibus quam autumnalibus proprio aratro perficiendis, seminandis item frugibus vernalibus et autumnalibus totidem (4) dies cedebant (a. 35, collatus cum 37 § 1). Tempore

tamen culturae vinearum, messis, et foenisecii 2 diebus, pro duabus hebdomadibus computandis, servire Domino obligatus erat (36). Omnibus etiam reliquis operis, quas Colonus sive pedes, sive eques, aut curru, vina, victualia vehendo perfecit, in 52, quibus per annum Domino tenetur, imputatis (a. 37). Inquilini secundum facultates suas Dominis servire debebant (a. 38). Solutionem pecuniariam, quam censum ordinarium vocat; victualium, vinorum, munerum, et aliorum proventuum ordinariorum administrationem juxta antiquam, et veterem quaruncunque Civitatum, Oppidorum, et Colonorum cujuslibet loci consvetudinem fieri debere statuit (articulus 33 e. a.) et subjicit: „Si vero essent aliquae villae, seu Oppida, ubi Coloni nihil censuum ordinariorum, seu victualium, et munerum hactenus solvissent; in iis locis fiat solutio juxta morem, et consvetudinem, quae in aliis villis, et possessionibus illis propinquioribus, et viciniorihus observatur." Illis igitur bene sane consultum! – Cautum demum (a. 39), ne ullus Dominorum taxas extraordinarias a Colonis exigat, resque illorum violenter auferat. „Tamen secundum veterem consvetudinem; pro redemtione capitis Domini terrestris, aut in solemnitate nuptiarum, et primitiarum, aliquod honestum, et tolerabile subsidium Dominis eorum ipsi Coloni praestare teneantur." Hac legum determinatione sors Colonorum multo iterum deterior evasit; nam praeter operas reliquae praestationes non juxta leges priores, sed juxta veterem consvetudinem exigi praecipiuntur, adeoque amplus Domini arbitrio campus in taxandis Colonis datus; porro ab In-

quilinis ante praeter censum nulli praestationi obnoxiis, nunc operas indeterminatas pro lubitu Domini exigi posse statuitur; demum Communitates et Colonos, qui a praestationibus census et munerum hactenus immunes erant, certe non vano juris fundamento, iisdem subesse debere sine tamen ratione ulla imminuti juris legitime acquisiti declaratur. – Articulo 11-o, 1553 operae 52 dierum ad 40 depressae sunt, ut Coloni aliquantulum respirent ab oppressione, et levamen aliquod sentiant malorum; si tamen Dominus pro munitione arcis suae finitimae pluribus egebat, exceptio locum habuit. Quod modo praestationum Coloni hac periodo fere opprimebantur, patet ex art. 26-o 1566 pr. „Hortata est quoque Sacra Majestas Caesarea (Maximilianus) Regnicolas, de alleviandis nimiis Colonorum suorum oppressionibus, quibus hactenus affecti essent.“

Reliquae leges, quae Colonos respiciunt, hac periodo latae, sunt: 40, 1548, Colonum delinquentem jure condemnatum, et ad subeundam poenam, et ad byrsagia ipsi imposita Domino persolvenda stringens, unde patet oneribus Colonorum etiam illud accessisse, quod delicta pecunia quoque expiare debuerint, quae Domino cessit; – 41, 1548, „Item; nemo sine manifestis delictis, et excessibus, celonum suum in carcerem, vel vincula conjicere; aut aliis fortassis etiam majoribus cruciatibus afficere possit,“ hinc elucet saevities Dominorum illius aevi in Colonos, ad quam cohibendam lex ferri debuit, quam cuique humanitas, et bona conscientia jam dictare debuisset; – 36, 1550, quo Dominis interdictum, ne vina Colonis invitis etiam pro pretio auferant; si vero hi aliis

vendere velint, jus quidem praeemendi, sed tantum pretio eodem, quod alter offert, habeant. Igitur et hoc genus oppressionis viguit. Caeterum eodem hoc articulo primum modus educilli tam Domino quam Subdito competentis determinatur. Huc etiam pertinet a. 12, 1553, et 35, 1598; de his copiose in Capite III huj. op. de Beneficiis Urbarialibus actum est; – 40, 1563, quo statuitur, ut quilibet Dominus de Colono vel Servo suo homicida justitiam administret; – 41, e. a., quo Appellata et Novum Judicium sine litteris gratiae convictis conceditur; – 41, 1599, quo Coloni Archi-Episcopi Strigoniensis a solutione tributorum et teloniorum liberi declarantur; (vide eatenus etiam 1563, 59) – 47, 1609, qui praecipit „ne Coloni quorumvis, pontes circa confinia aedificantes ad Teloniorum solutionem in Confiniis compellantur"; – 36; 1625, qui a subditis et servitoribus in negotiis Dominorum suorum proficiscentibus telonium vel naulum exigi sub poena violentiae vetat; – 58, 1625, quo modus abaestimandi Vineas et Exstirpaturas determinatur, (vide C. VII et VIII Part. I huj. op.); – 17, 1635, hoc pro Rusticis, de quibus Dominus impendit, in Sede etiam Judiciaria Comitatus convictis eundem novo impetrato judicio apud Comitatum procedere posse statuitur; – 31, 1655, quo praecipitur, ut in singulis Comitatibus Vice-Comites cum deputatis nobilibus auctiones juris montani inde a 20 annis tollant, Domini dein mensura Posoniensi utantur. Rusticis, qui hactenus usum educilli non habuissent, idem ipsis nec in posterum competere; qui ultra terminum praestitutum educillant, poena violentiae infligi decernitur; – 48, 1655, qui Dominis interdicit, ne a Colonis aliorum

etiam Dominorum, qui in territorio suo domos, vineas, aliasque haereditates civiles et rusticanas possident, propria haec auctoritate sub poena violentiae auferre praesumant, ablata vero ab anno 1560 sub eadem poena erga postulatum Colonorum restituant: si tamen Coloni prius requisiti ab his haereditatibus debitos census juxta locorum consvetudinem praestare nollent, Dominis contra eosdem solito procedendi jure facultatem tribuit; – 79, 1655, qui cavet erga querimoniam Civitatum submontanarum, ne ad rationem juris montani praestantiora vina et una cum vasis exigantur, mensurae justo majores adhibeantur, aut uvae nigrae, et passae, sive praestantiores colligantur, et asportentur; – articulus 21, 1574, a. 36, 1550 in memoriam revocans; – 62, 1715 de successione Dominis terestribus ut talibus competente agens (vide § 30 Part. II. huj. op.); – 94, 1715, quo ad tollendam ex titulo 33-o Partis III-ae omissa judicis denominatione emersam ambiguitatem – pro judice Vice - Comites Comitatuum denominantur; – 97, 1715, qui auctionem juris montani vetat, et desumtionem ejus mensura posoniensi praecipit (de hoc C. VII. huj. op. plura); – 101, 1715, qui ad meliorem Colonorum subsistentiam universas sub motibus intestinis ab illegitimis possessoribus bonorum exactas praestationes a veris et legitimis Dominis recuperato dominio eorundem iterum exigi vetat, restantium vero tantum medietatem exigi posse determinat, medietate Subditis remissa, et ideo hanc medietatem etiam hypothecariis possessoribus a Dominis directis detrahi posse ex summa reluitionali innuit; – 15, 1723, qui praeemtionem Dominorum justo pretio stabilit (de

hoc Cap. IV § 16 huj. op.); – 18, 1723, quo praecipitur, ut Domini ad praedia ante impopulata nunc vero deserta Colonos priores contributioni subjectos, qui turbis internis dispersi sunt, redire volentes recipiant sub poena, quae non restitutionem profugorum vel abductorum Colonorum manet, nisi jam alii Coloni locum illorum occupassent, vel praescriptio intercessisset; vetatur porro „ ne Possessiones per desolationem Subditis diminutae ad praestandas antiquas datias ab integris possessionibus olim praestari solitas adigantur; – 75, 1723, de praeemtione Dominis terrestribus, qua talibus competente; – 22, 1729, de venatione (Cap. IV, § 14, et 16 huj. op. uberius dilucidatis) agentes; – demum 26, 1729, quo testimonium Colonorum contra Dominos suos vel pro illis in causis etiam civilibus, in quibus nullum partium studium (interessentia) illorum subversatur, si veritas secus erui nequiret, acceptari per judicem debere praecipitur. – Jus Colonorum in agros Dominorum per se cultos accuratius in Parte I Cap. I Juris Georgici § 4 discutitur.

Caeterum periodum hanc peculiariter distinguit Urbarium, quod Carolus III (VI) regno Slavoniae praescripsit. Regni hujus Coloni, quibus, uti vidimus, aurea libertas serius data est, adeoque etiam gravius ut reliquis pondus incubuit, identidem illud vi et armis in Dominos adhibitis removere nitebantur. [1]) In Comitiis anni 1655 contra tumultum Colonorum tunc enatum dispositionibus severis occurrere conabantur SS. et OO; sed tantum abfuit, ut illis Coloni rebelles sedari potuerint, ut in Comitiis anni 1659, adeoque 4 annis post celebratis repeti debuerint. [2]) Quia vero causa mali sublata

non fuit, nec malum ipsum evanuit, sed repressum sub cinere gliscebat, donec tandem in saevam erupisset flammam, quam Rex Carolus in Edicto suo urbariali (de 1737) ita describit: „Nun können Wir zwar die ohnerlaubt, und abscheuliche Mittel, deren sich einige mit Stöhrung der allgemeinen Ruhe gegen die Grund-Obrigkeiten, und Provisores angemasset, und die dabey verübt grausame Todeschlaege, und blinderungen, anderst nicht, als mit Entsetzung ansehen, auch wann wir Gott auser Werantwortung seyn wollen, ohne erspiegelender Bestraffung nicht wohl hingehen lassen.“ Quod statim sequitur, est documentum humani aeque ac prudentis Principis; „Wir gedenken aber dabey keines Wegs den Frevel, und Muthwillen, so nur wenige Bősewicht angesponnen, das ganze sont devoteste Volk entgelten, und selbes um deswillen in seinen wahrhaften beschwaerden hilflos zu lassen, viel mehr seyn Wir des gerechtesten Entschlusses, unsere getreue Unterthanen gegen allen Gewalt, Drangsaalen, und Unterdrückungen mit eben jenen Nachdruck kraeftigst, und vaeterlich zu schűtzen, mit welchen Wir die unruhigen Friedens – Stőrer, und die zu allen zeiten verdamliche Widersetzigkeit, so ein Greul vor Gott, und ein unheil des Landes ist – aus der tiefsten Wurzel vertilget, und ausgerottet wissen wollen.“ Alia igitur Princeps hic principia sequebatur, quam iners et vel ideo crudelis Wladislaus, dum nocentes cum innocentibus grave servitutis jugum subire jussit! Carolus III commissionem denominavit, quae in causas tumultus seditionisque Colonorum inquireret; resultatum hujus Rex idem ita in Edicto suo memoriae commendavit – – – „Wir lassen auch – unser oberherrliches Einsehen, um

so lieber blicken, als Wir in der That vermerken, und aus denen uns allerunterthaenigst vorgetragenen Commissions-Actis nicht ohne Missfallen ersehen haben, dass durch die Eigenmacht einiger Herrschaften, und sonderlich ihrer Beamten viele schaedliche Neuerungen eingerissen, die Bürden auf mancherley Weise vermehret, und da kein Gesatz, noch Ordnung waere, der Unterthan gleichsam nach eines jeglichen Gefallen wohl, oder übel gehalten worden; daraus aber ist erfolget, dass die Insassen in Slawonien die Lust zur Wirthschaft grossen theils sinken gelassen, viele sich aus Verzweiflung zu denen Raeubern geschlagen, andurch die Population des Landas merkllich gehindert worden, und die Oeden Gründe sonderlich in Unter Slavonien, und Sirmien, an deren Erhebung Uns doch so viel gelegen, noch gröstentheils ungebaut dahin liegen. Diesen Unweesen nun, wie es einen klugen Regenten zustehet, in Zeiten vorzubeugen, und die Folgen abzuwenden, die zum unsern ohndienst noch weiters daraus erwachsen könnten, haben Wir für das zureichlichste Mittel angesehen, wann Wir über alles das was die Unterthanen hauptsaechlich zur beschwaerde angeführet, eine klare Ordnung nach denen Regeln der Gerecht, und Billigkeit vorschreiben." Praescripsit autem haec:

1-o) Ut Domini defixa ab antiquo reluitione operarum (Robotarum) in 8 florenis a singulis sessionibus pendendis, qui in quanto terrestrali (censu dominico) annuorum 11 florenorum jam inclusi sunt, contenti sint, adeoque operae in natura inductae penitus cessent; huc tamen non intellectis operis publicis reparationis et structurae viarum ac pontium,

2-o) Decima magna, vini videlicet, tritici, siliginis, hordei, avenae, et zeae-mais (tritici turcici) in natura, neque tamen extriturata jam, sed in stramine adhuc existens Praelato praestetur in campo, domum illius impensis devehenda. Si Dominus justo diutius decimae desumtionem differret, Colono jus esto, relicta in agro decima, reliquum convehendi.

3-o) Parva Decima, sub qua omnes Majori Decimae non subjacentes fructus, et terrae producta, animalia item quaecunque comprehenduntur, tamquam praestatio illegalis nec Domino terrestri, nec Episcopo competat.

4-o) Fundi, quos Domini Subditis proprietariis (Eigenthümer) sive singularibus sive communitatibus invitis propria auctoritate ademerunt, vel cum suis (deterioris plerumque sortis) commutarunt, quibus ademti sunt, restituantur; neque dein sub poena dupli (ademtorum fundorum) hi Colonis subtrahantur.

5-o) Domini fundos, quos ipsi non colunt, Subditis suis pro moderato censu agrario in natura, non vero pecunia, uti hactenus factum, concedant; cum ob defectum circulantis pecuniae hujus praestatio Colono gravis accidat.

6-o) Erectio Diversoriorum (Gasthaeuser) solum Domino competat. Vini vero et Cremati Educillum commune (Gemeiner Weinschank) Domino a festo S. Georgii usque festum S. Michaelis, ab hoc vero usque festum S. Georgii Communitati concessum esto; salva tamen singulis Subditis facultate pro domestico (proprio) usu vinum vasatim ubiubi coemendi. Simul Dominio injungitur, ut tempore educilli sibi competentis vinum non corruptum et aequo pretio educillet, nullo vero sub praetextu Colonis invitis obtrudat.

7-o) Liberum sit Subditis Crematum (Rakiam) ex prunis praeparandi, quin eatenus praestatione aliqua Dominio teneantur; abusus vero, qui in quibusdam locis irrepsit desumendi censum pro aheno (Kessel Geld) sublatus habeatur. Crematum tamen paratum pro domestica tantum necessitate, vel quaestu vasatim instituendo deserviat.

8-o) Macellum Dominio competat; Subditi igitur a mactandis pecoribus, nisi ad domesticum usum servientibus abstineant.

9-o) Census Molaris (Mühl-zins) stabilitur ita, ut a singulis molis cochlearibus unus florenus solvatur singulis annis. Census hic quibusdam locis elevatus, ad unum florenum reducatur.

10-o) Domini terrestres jus habeant a glandinatione sabellicorum, et quidem a sabellico magno 12, a mediocri 9, a parvo 6 x-ros titulo census; titulo vero Schedalis (Zettel geld) 3 x-ros non plures exigendi. Abrogatur tamen taxa haec, quoad arbores glandiferas penes vias vel non procul a domibus seu circa illas existentes.

11-o) Intertentio Panduronum, quibus Domini magnam partem ad servitia in oeconomia sua praestanda utuntur, Communitates et Dominos in aequis partibus maneat. Numerus vero illorum, quantum securitatis publicae ratio patitur, imminuatur.

12) Experientia docente, quam noxia regno et Colonis locatio (exarendatio) Dominiorum juriumque possessionariorum sit, plurimorum enim malorum, quibus Colonus premitur, fons est avaritia et lucri cupido indeque orta dura cum Colonis agendi ratio conductorum; igitur conductio illorum amplius in Slavonia nullatenus locum habeat.

13-o) Hactenus levibus de caussis byrsagiis (Geldbussen) immoderatis Colonus punitus fuit; quae puniendi ratio cum nec aequa, nec fini suo conducens esset, patiuntur enim innocentes liberi et uxor, contribuens enervatur, et officialis ad respectus sinistros seducitur (nebenseitige Absichten); nullus igitur Subditus amplius pecunia, sed pro ratione circumstantiarum carcere, labore in vinculis, similique ratione, sed semper moderate puniatur.

Clauditur Edictum gravi hac sententia: Schlüsslichen gebiethen Wir Allen, und Jeden, sonnderlich aber unsern Obrigkeiten, und Befehlshabern, auch Grundherrn, Innsassen, und Unterthanen, dass sie dieser unserer Satz, und Ordnung in allen puncten ohnverbrüchlich nachkommen, daroh festiglich halten, und bis Uns als Allerhöchsten Gesetz Gebern ein anderes zu statuiren belieben wird, bey Vermeidung unserer schweren Ungnad, und Straf nicht im geringsten davon abgehen sollen, und dieses ist unser gnaedigster Wille, und Meinung. Gegeben in unserer kais. Residenz Stadt Wienn den 22-ten Tag des Monaths May im 1737 Jahre. Karl – Ih. Gr. v. Dietrichstein Gr. zu Königsegg.

1) „Periculoso exemplo factum esse, et de facto vigere intellexerunt Regnicolae; Colonos, et Subditos, tam V. Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, ad arcem ejusdem Sziszegh, quam vero D. Comitis Emerici Erdödy, Passavianos, ad arcem ejusdem Novigrad, in Comitatu Zagrabiensi existentem habitam pertinentes, adversus suos Dominos terrestres tumultuarie, et manu armata insurrexisse; omnemque subjectionem et obedientiam ipsis debitam excussisse: Operas Colonicales, et reditus omnes denegasse: Dominorumque suorum obsidiones, aliaque enormia scelera, in quasvis, fideles personas perpetrasse; Eamque Rebellionem, etiam

nunc in suorum Dominorum terrestrium damnum, et Patriae illius perniciem continuare; nec ullis placidis mediis, hactenus sopiri potuisse:" § 1 Quocirca ad praecavendas Rusticorum, contra Dominos suos terrestres Insurrectiones, statuitur: ut Dominus Comes Banus illius Regni, et Confiniorum Sclavonicorum, et Croaticorum Generales, praetactos Rebelles, veluti manifestarum seditionum authores, publicaeque Pacis, ac Tranquillitatis Turbatores, statim post praesentem Diaetam, sine defectu, et disputatione, auxilio Brachii Regalis, coercere; praescriptamque rebellionem omnimode exstingvere; omniaque et singula exinde emersa damna complanare; et si se absque armorum strepitu subdiderint, Antesignanos nihilominus ipsorum, ad tollendas causas ulteriorum seditionum, capitaliter punire, omnesque in pristinum statum, ac debitam suis Dominis terrestribus obedientiam (non obstantibus quibusvis impedimentis, aut ulteriore, occasione forte cujusvis in executione intervenientis impedimenti, ordinatione) redigere; ac ipsimet, congruo pro ratione temporis, et effectuationis praesentium adinvento medio, omnia et singula effectuare possint, et teneantur." § 2 „Et eum in finem Mandata quoque sufficientia per S. M. praesenti articulo conformia, ad eosdem D. Comites, Banum, et Generales, jam statim benigne elargiantur." § 3 „Et casu, quo in posterum quoque istam rebellionem durare, aut repullulare, vel similem ibidem, aut in Regno Ungariae exurgere contingeret; eandem virtute duntaxat praesentis statuti, in Ungariae quidem D. Comes Palatinus; in Croatiae, vero et Slavoniae Regnis; iidem D. Comites, Banus, et Generales, sopire, ac tollere possint, et debeant." (1655, 76)

2) „Quia rebellium Subditorum insolentia necdum totaliter in Regno Slavoniae sopita, sed potius in futurum etiam verenda, coercendaque esset; renovandum proinde censent SS. et OO. Articulum 76 a. 1655 cum ea declaratione; ut Rebelliones hujusmodi Colonorum, Subditorum, et Libertinorum, per denominatos ibidem justitiarios, ac Generales, simul, vel divisim, ac per Dominos quoque terrestres, si ad id sufficientes forent (praevio tamen cum Juratis Regni, et Comitatuum Ju-

dicibus, sufficiente judicio, et convictione) coerceri, et sopiri possint."

Quod jus Colonorum in terras Dominorum a se possessas concernit; hac quoque periodo illas licet servituti addicti jure possederunt haereditario, jure tamen jam Domino terrestri adtributo, easdem, dum luberet, aestimatione communi (praeter vineas, has enim congrua) redimendi, uti tractatus Verböczii de Villanis testatur.

Coloni illi, qui e naufragio communi libertatem suam salvarunt, illam dein nacti sunt vel aliunde attulerunt, Taxalistarum nomine aevo hoc appellari coeperunt. Illorum sortem artic. 61, 1723 determinat. Ita hic: „ad evitandas quasvis ex Taxalistarum migratione hactenus contra bonum etiam publicum, et cum Comitatuum enervatione confusiones, – decernitur;" § 1. „Ut ejusmodi liberae conditionis Taxalistae ignobiles, vel manumissi, qui in bona aliquorum Dominorum terrestrium condescenderint; et colonicalem, vel censualem, aut inquilinariam obligationem assumserint; (vel assumserunt) – secundum Conventionem cum Dominis terrestribus initam, vel ineundam, iisdem obligati manebunt." § 2. „Nullam autem Conventionem cum Dominis terrestribus ineuntes; praestitis praevie praestandis, liberam migrandi facultatem habeant."

Institutum Sculteliarum jam penitus perioda hac eviluit, ipsis Scultetis in novam quasi formam redactis, Subditorumque, vel Scultetorum Colonicalium nomine compellatis (ut in litteris infra citatis), adeoque sortem illorum jam subeuntibus, pro judicatus officio et quibusdam beneficiis arbitrio refor-

mantis eos Domini concessis, v. g. intertentione unius Inquilini in fundo suo, molaeque farinariae erectione – operasque resque itidem arbitrio Domini ipsis impositas, v. g. laboratorem pro necessitate arcis intertenendi, porcum saginatum, vecturam vini, et alias omnes contributiones, muneralia, taxas, onera, et labores instar aliorum Sculteto rum (haec Georgius Thurzo Palatinus in litteris suis de anno 1600 cuidam Sculteto reformato pro concessis supra memoratis beneficiis praestare jussit; vide Schwartner de Sclultetiis pag. 133, sequent.) praestare obligatis.

PERIODUS V.

AB EDICTIS URBARIALIBUS IN SLAVONIA ANNO 1756, IN HUNGARIA STRICTE TALI EXCEPTO BANATU ANNO 1767, IN BANATU, ET CROATIA DEMUM ANNO 1780 PROMULGATIS IN NOSTRUM TEMPUS.

Primum Edictorum urbarialium nunc vigentium Slavonia inferior Comitatibus Veröczensi, Posegano, et Sirmiensi constans nacta est anno 1756 idibus (15-a) Martii, quod Coloni Regni hujus justitiae et humanitati Mariae Theresiae debent. Quod praecedenti periodo commemoratum est Edictum urbariale, ut Rex ingressu Edicti posterioris affirmat, effectui mancipatum non est; adeoque ultra quoque arbi-

trium Domini in locum normae praescriptae erat, hincque „complures quorumdam Dominorum terrestrium in modo Subditos suos tractandi, laboresque, et datias ab eis exigendi irrepsisse excessus, ac abusus inde promanantes „eadem Rex affirmat Edicto suo. Quid mirum igitur, si novi rusticorum motus eruperunt, ad quos sedandos Commissio specialis jussu regio in causam illorum inquirere debebat, invenitque quaesitam in arbitrio Dominorum supra commemorato. Rex „remedium ferre, atque omnes illos excessus et abusus tollere, ac corrigere ad supremum munus regale pertinere“ reputans Edicto suo Urbariali, quod adhuc pro norma est, jura obligationesque Dominorum et Subditorum invicem accuratius definivit, quorum complexum opere hoc videbimus. – Undecim annis post Edictum urbariale regni Slavoniae promulgatum, nempe 1767, 23-a Januarii Colonis Hungariae quoque strictae talis (excepto Banatu tamen) dies illuxit, qua arbitrium Dominorum disparere, in locumque illius norma fixa succedere debebat. Et hic idem Colonorum exasperavit animos, tumultusque excitavit, quibus prudentissima simul et humanissima Rex non mederi aliter posse persvasa, in Comitiis anni 1764 S. S. et O. O. inter propositiones suas illud quoque materna sollicitudine et cura impense commendavit, ut obligationes et jura, quibus Dominus Subditusque instructi sint, teneanturque, tabulis legum inscriberentur, sicque fons turbatae inter utrumque correlationis obstruatur, tranquillitas magnae reipublicae partis restituatur; sed Comitiis his alium quamvis in annum protractis in commodum

Colonorum actum est nihil. Etsi vero singulares Dynastae Dominique terrestres propria partim voluntate, partimque querelis Subditorum coram foris etiam altioribus interpositis adacti auctore judice egerint, ut certa potestati dominicae obligationibusque Subditorum statueretur regula, statutaque etiam fuerit; nihilominus tardo hoc gressu Rex Optima minus contenta, ut utilissimae civium classi consuleret, quod a S. S. et O. O. impetrare non potuit, propria perfecit auctoritate, religione muneris regii, quam sanctissime coluit, monita. Promulgavit Edictum suum urbariale duobus post annis, et in Urbario eidem adnexo accuratas Dominis et Colonis leges scripsit, sequendo plerumque leges Codicis usumque vigentem. Modum etiam, quo status Jurium et Obligationum Dominos inter et Subditos vigens in novum transmutari possit, accuratis Instructionibus definivit Commissariis regiis velut supremis, et Magistratibus Comitatuum concernentium, velut inferioribus, illisque subordinatis transmutationem illam exequentibus elargitis, simulque praecepit, ut omnes, quibus Subditi Dominis suis praestationibus tenentur, bimestre post spatium ab Edicto promulgato, quod in proxime celebranda Congregatione Generali cujusvis Comitatus fieri debebat, juxta Urbarium Generale locum habeant; Processibus etiam intuitu normae specialis inducendae suscitatis intra idem spatium terminandis. Quo tempore in Hungaria haec agebantur, provincia illa, quam Banatum Temesváriensem seu Temessiensem dicimus, quive tribus Comitatibus, Torontaliensi, Temessiensi, et Krassoviensi absolvitur, sub administratione Camerae Aulicae Viennensis constituebatur, juribusque et institutis austriacis regebatur; et haec

est ratio, cur Urbarium, quo tempore in Hungaria reliqua (stricte tali), in Banatu simul non inducebatur. Anno 1779 provincia illa regno, a quo illam Turcarum arma saeculo XVI (sub Ferdinando 1-o, et Maximiliano) avulserunt, denuo restituta, in idem cum illo corpus coaluit; annoque sequenti aeque jura et obligationes Dominorum ac Colonorum Urbario definita sunt publico et generali, discrepante tamen ab hungarico, eoque Colonis faventiore; mitioribus conditionibus Colonis, quibus provincia post depulsum illa (1716) Caroli III (VI) armis victricibus Turcam fere destituta erat, ad culturam terrarum vomerem anhelantium vocatis, illisque Contractibus etiam firmatis. Eodem hoc anno Urbarium quoque Colonis regni Croatiae subvenit, ejusdem plane tenoris cum hungarico, eandemque cum illo divisionem subiens; magis tamen stylus est determinatus in illo, experientia enim longiori, quae sinistrae interpretationi ansam praebere possent, administratio publica docta erat. Sic Rex pulcherrimam regii muneris implevit partem, desideriumque genii humanitatis explevit, regno ipso firmitatem, internamque tranquillitatem conciliavit, dum homines naturae beneficia divina Cereris arte nobis recludentes, ideoque reipublicae maximum certe, utilissimumque officium praestantes, cives quoque ejus esse voluit.

Continuavit filius ejus Magnus Josephus coepta Matris, fregitque iterum vincula servitutis Colonorum iniqua, saeculorum usu inveterata sua auctoritate. Leopoldus frater ejus lege quoque publica in Comitiis (1791, 35) lata libertatem Colonis dari, datamque firmari jussit; una et (eodem 35, 1791) ut illi jura laesa adversus Do-

minum celeriter vindicare, et sic concessa sarta tectaque conservare possint, praecepit, jusque puniendi Dominorum moderatus est, novum etiam virorum collegium constitui jussit, quod placita Urbariorum hactenus vigentium ad trutinam revocaret, magisque perficeret [1] (1791, 67), illa tamen interim in tabulas legum referri, vimque illarum habere voluit ad majorem conciliandam eisdem auctoritatem (1791, 35). Franciscus tandem Augustus Titus aevi nostri placita legum Juris Georgici denuo saepiusque in Comitiis confirmari jussit, rationemque justitiae Colonis administrandae accuratius definivit (1792 12), multum etiam Colonis consuluit, dum tempus, quo quotam Domini sibi e frugibus Colonorum praestandam desumere debeant, accurate definivit, duroque quaesitum labore fructum saepe negligentia Dominorum detrimentum passum, destructum saepe, salvum illis integrum que conservatum voluit (1802, 7; 1807, 3); usurariam pravitatem, qua Coloni ad interitum saepe adducebantur, semper quasi vinculis quibusdam obstricti in servitute duri cordis creditorum tenebantur, cohibuit (1802, 21); majorem longe, ac ante habuerunt, Colonis coram jure sua persona agendi facultatem tribuit (1802, 20); agrumque eorundem contra ferarum noxas, Dominique ac aliorum in illo vineaque et prato importunam venationem tutos reddidit, limitesque venationi et modum feris intertenendis posuit; [2]) (1802, 24) [3])

1) Opus collegii (deputationis) hujus paratum quidem, in Comitiis tamen nondum discussum est.

2) Reliquae leges Nexum Subditelae respicientes sub gloriosis Francisci I auspiciis latae sunt: articulus 23, 1802, § 5; — 1807, 20, § 2, 3; — 1807, 21, § 6, 7, 17, 18, 19; — 1807, 22, § 1, 3, 4, 7, 8.

De his tamen, uti et supra citatis copiose suis locis actum est.

3) Propter lectiones variantes hic loci adhuc notare debeo, quod in recitatioe textus legum Corporis Juris usus fuerim Editione Corporis Juris, quae Tyrnaviae typis academicis Societatis Jesu anno 1751 prodivit.

Dum Augusta Theresia jura et obligationes Colonorum reliquorum in Hungaria stricte tali definiret, Scultetorum quoque superstitum adhuc meminit, et abrogato e ratione publicae Colonorumque concernentium utilitatis officio judicis perpetuo, jura et obligationes in litteris in perpetuum initis (perennalibus) ac usu in parte saltim firmatis contenta determinataque ultra auctoritate quoque regia stabilita, indeterminata vero cum influxu Comitatus accurate determinanda, distincte novis litteris enumerari voluit, his sibi pro confirmatione submittendis. Erant enim jura obligationesque pactitia plerumque Scultetis faventia quam legibus determinata, salva tamen illis erat facultas, haec prae illis adoptandi. Qui vero Sculteti jura et obligationes non litteris in perpetuum sed ad certum tantum tempus initis definita habebant; vel usu tantum illa tuebantur, sortem reliquorum Colonorum normamque communem legum Juris Georgici, illi tamen persolutis tantum sibi prius summis inscriptis, sequi jubebantur. Onera publica (contributionalia) tam illi, quam hi ut reliqui Coloni praestare obligabantur, obliganturque. [1])

1) Resolutio Mariae Theresiae hoc in merito 2-a Januariii 1773, quoad Comitatum Trenchiniensem (illi etiam reliquis Comitatibus intimatae conformes sunt) ita inter caetera ad rem minus pertinentia habet: „Serenissime Dux — — — clementer resolvimus, et quidem respectu perpetui judicatus officii, quoad Scultetos, ex rationibus,

per procedentem Commissionem adductis, velut tam publico, quam caeteris Colonis summe perniciosi, universaliter actutum simpliciter abrogandi, et ad sensum benignae Urbarialis ordinationis reducendi, opinionem ejusdem Commissionis benigne approbari. — Caeterum, quia penes Litteras Scultetorum inscriptionales, ipsi Sculteti seu Inscriptionalistae, potissimum lenius, ac per ipsam Urbarialem regulationem, in praestationibus Dominalibus haberi, onus tamen publicum aequaliter cum aliis colonis portare observarentur; hinc omnes ii, qui perennalibus litteris inscriptionalibus, seu in toto, seu saltem in parte usu firmatis, judicio procedentis commissionis provisi reperiuntur, ab Urbariali quidem regulatione, nisi ipsi hanc praeeligerent, eximendi erunt: omnium tamen Litterae inscriptionales, in Sedria Comitatus, ea cum observatione renoventur, ut in his, exmisso universaliter jam abrogato perpetui judicatus officio, cumprimis inscripta, et de praesenti effective possessa beneficia, distincte specificentur, dein vero obvenientes, seu in pecunia, seu naturalibus, aut etiam laboribus praestationes, secundum actualem usum, clare ac specifice exprimantur, et in quantum indefinitae essent, ad determinatam quantitatem et numerum reducantur, atque hac ratione renovatae Litterae inscriptionales, subinde in 4 exemplaribus expediendae, via Consilii hujus nostri Locumtenentialis, cum ejusdem ulteriori opinione, pro suprema inspectione et approbatione submittantur. — Quantum vero illos concerneret, qui juxta sensum ejusdem procedentis Commissionis temporalibus duntaxat inscriptionalibus provisi sunt: liberum erit Dominis terrestribus, expletis conditionibus, ac respective depositis summis inscriptionalibus, tales Urbariali regulationi subjicere; unde etiam in omnem eventum, nunc pro tunc, omnes hujusmodi temporanei Inscriptionalistae, cum suis futuris Urbarialibus praestationibus, communi tabellae Urbariali inserendi venient. — Caeteri porro praetensi Sculteti, qui sine productis litteris inscriptionalibus, solo praehabito usu libertatem suam tueri contendebant, communi Urbariali regulationi subjiciendi erunt."

Conclusio.

Dum fata narrari Civium, qui terras vestras Domini! insident, quae larga Regum liberalitate vobis contigerunt, dum errores vitiaque praeteritorum notavi saeculorum, non invidia me tenuit beatae sortis vestrae; abfuit haec ab animo, qui absque ira et studio, quidquid verum adseveretur, hallucineturque de re gravissima, qualis est de qua scripsi, indagare, ac compertum Imperanti Civibusque, quorum rei illius veritatem scire saepe obligatio est, saepe utile animumque delectans, notum reddere voluit. Dum vos respicio terrarum Dominos! id itendebam vel maxime, ut ex imagine Coloni qualis fuit, metamorphosique, quam illa fatis pluribus subiit, intelligeretis clare, plura vobis tributa fuisse, quam condam Domini habuerint jura, hocque intellecto, quae vobis tributa sunt, illis contenti, Colonorum salva esse velitis.

Emendationes.

Pag. II lin. 21 loco anteibat lege anteibant.
— VII lin. 15 loco acque lege aeque.
— — — 30 — Anstrustiones lege Antrustiones.

Pag. XIX lin. 14 loco Expaditiones lege Expeditiones.

Pag. XXII lin. 4 loco Dominium lege Dominum.

Pag. XXII. lin. 23 et 24 ante regii pone regni.
— XXIV — 21 post vocem castri addatur Reg. Var. § 79.)

Pag. XXVII lin. 15 loco illis lege illo.

— XXVIII lin. 20 post custodiendum addatur (Reg. Var. § 10.)

Pag. LX lin. 24, 25 et 26 loco Si Comes Regem defraudavit ratione tributi hujus, duplum illius, quod Regi subtrahere intendit, reddere debuit, lege: Si Comes Regem defraudavit ratione tributi hujus, quod Regi subtrahere intendit, et praeterea pro poena duplum illius reddere debuit.

Pag. LXIV lin. 40 loco 21) lege 22)

— LXV — 3 — 22) — 21)

— LXVI — 31 — appellebantur lege appellabatur.

Pag. LXVII lin. 4 loco Lanci lege Lanei et loco (Lanei) (Lanci)

Pag. LXXIII lin. 6 post fuit) addatur Rex Colomannus.

Pag. LXXIII lin. 7 loco S. Stephanum lege a S. Stephano.

Pag. LXXIV lin. 8 post medio addatur fere.

Pag. LXXIV lin. 15 loco tolidem lege totidem.

— LXXV — 6 — amittas — amittat, et addatur (Col. L. II C. 74.)

Pag. LXXVI lin. 3 loco 1584 lege 1574.

— LXXVIII lin. 21 loco creberrimus lege creberrimis.

Pag. LXXXIV lin. 1 loco cohibetatur lege cohibebatur.

Pag. LXXXVI lin. 12 loco Villicarum lege Villicorum.

Pag. LXXXVI lin. 13 loco egent lege eget.

— XCI lin. 15 post donatis, addatur adeoque jure liberorum Colonorum aeque jam gaudentibus.

Pag. XCIII lin. 19 loco aliis que lege aliisque, et postea addatur semper.

Pag. XCVII lin. 5 loco sufficinte lege sufficiente.

Pag. CI lin. 5 loco ex ideo uullam facit lege lex ideo nullam etiam facit.

Pag. CIV lin. 24 post 6, 1557 pr. addatur et aliae plures.

Pag. CIV lin. 30 loco post 24000 addatur florenis.

— CVI lin. 23, 24 loco creabit lege crearet.

— CVII lin. 5, 6 loco oppressionem lege oppressionum.

PROLEGOMENA

§ 1.

Notio Juris Georgici Hungariae datur, et evolvitur.

Jus Georgicum 1) Regni Hungariae (Hungariae stricte talis, excepto Banatu, Banatus Croatiae, et Slavoniae) sumitur quemadmodum Jus omne vel objective, vel subjective. Praetermissa hic notione Juris Georgici subjective, seu pro scientia sumta facile ex generali formanda; notionem objecti Juris Georgici Hungarici damus, et evolvimus.

Est vero Jus Georgicum Hungariae objective sumtum complexus Legum, correlationem juris privati inter Dominos terrestres, et Colonos ut tales determinantium. 2) Adeoque jus privatum, quod Colonis cum aliis regni civibus (ignobilibus, vel etiam nobilibus) commune, quod ipsis etiam proprium est, sed absque respectu ad Dominum terrestrem, est extra ambitum Juris Georgici. Eo minus vero ad illud pertractatio eorum, quae juris publici sunt, inter Colonos et Imperantem vigentis, pertinet.

Ut autem intelligi possit, in quo correlatio illa consistat, notio Coloni et Domini terrestris danda est. Quia tamen data unius notione, alterius ex eadem facile deduci potest; notionem tantum Coloni proponemus. Colonus autem est civis regni, qui fundum alterius civis regni, — qui proprietatem illius donatione principis, vel

alio titulo perennali nactus est, et ideo dominus terrae, seu ut communiter terrestris (terrestralis) aut etiam proprietarius dicitur, – sub certis conditionibus partim legibus, partim in locum illarum aliis, inter se et Dominum terrestrem, vel illius repraesentantem jam praescripta ratione cumque influxu fororum politicorum, jam sine hoc et arbitrio solum partium contrahentium inita Conventione, partim denique Privilegiis et Usu etiam determinatis, titulo ususfructus, vel dominii utilis in sui sustentationem necessariam, vel meliorem tantum possidet; quin tamen Dominum terrestrem repraesentet 3) Notio haec uberius evolvi debet.

Habet videlicet Colonus a Domino terrestri fundum tantum, et hoc distinguitur ab Arendatore, qui beneficia dominalia, uti v. g. macellum una cum fundis quoque adnexis tenet.

Possidet porro fundum ita, ut Dominum terrestrem non repraesentet, et hac ratione distinguitur iterum a conductore, (arendatore) fundorum dominalium, et pignoratitio eorundem possessore, qui videlicet non particulas fundorum (einzelne Realitäten) sed integra dominia, vel loca, aut partem illorum, seu portionem unius, vel alterius Compossessoris tenent, et Dominum terrestrem repraesentant; adeoque jura illius exercent etiam in Subditos. Hinc etiam Dominus terrestris vel est perpetuus (haereditarius, proprietarius) vel temporaneus. Ille videlicet ex donatione velut fonte primaevo omnis proprietatis Jurium possessionariorum, (Bonorum nobilitarium) vel fassione (inscriptione) perennali aut cambio aeque perennali fundum possidet ut proprium; hic vero jure tantum temporaneo, locati conducti (arendae) vel pignoris, adeoque dominii utilis, non proprietatis titulo illum tenet.

Relate ad fundos per Dominos terrestres pignoratitios Colonis assignatos notanda est Resolutio Regia de 16-a Aprilis 1773, vi cujus statuitur, quod pro regula generali nullatenus assumi possit, fundos omnes a hypothecariis Dominis terrestribus Subditis assignatos haereditarios Dominos indiscriminatim recipere, iisque Subditos privare posse; verum circumstantias rite semper expendendas, praecipue autem tempus, quo Coloni in usu talium terrarum praefuerunt, omniaque actis, et documentis, (non nudis solum assertis) fulcienda esse. Idem quoque ab analogia de fundis per Conductores (Arendatores) Colonis concessis intelligendum est. Relate vero ad locationem, et impignorationem Bonorum memoranda est Resolutio Regia Nro 23171 18-a Aug. 1818 universis intimata Comitatibus, quae sic habet: „Sua Majestas ad praecavendas caeteroquin il„legales, et cum oppressione potissimum contri„buentis Subditelae conjunctas Bonorum immo„bilium in Judaeos translationes, benigne prae„cipere dignata est, ut Judaei a Bonis nobili„taribus in Pignus, Arendam, vel Admi„nistrationem quocunque sub titulo, et co„lore assumendis simpliciter prohibeantur, et „arceantur. Magistratuales vero sub amissione „Officii similes Contractus coramisare, aut pe„nes ejusmodi arendationes, vel inhypothecati„ones officiosum influxum sumere haud praesu„mant.“

Fundi colonicales (rusticani) in duas abeunt classes, nempe urbarialium, et non urbarialium, seu industrialium. Fundi urbariales illi sunt, quos Colonus in sui dotationem, ut dici amat, seu sustentationem necessariam possidet; ex quorum videlicet fructibus se, familiamque

suam intertenet, et quod praecipuam subit considerationem, necessitatibus Reipublicae in sibi admensa quantitate satisfacit, seu onera contributionalia, praeter praestationes, quibus Domino tenetur, supportat. Dicuntur aliter etiam fundi sessionales, sed minus proprie; quia hac nomenclatione excluduntur fundi Inquilinorum, et respective Subinquilinorum, (nam et hi nonnunquam appertinentiis provisi sunt) qui etiam urbariales esse possunt. Fundi industriales sunt illi, quos Coloni praeter fundos urbariales, vel etiam sine illis, non tamen in sui dotationem, vel necessariam, sed tantum meliorem sustentationem erga certas praestationes tenent. Vocantur industriales; quia hos Colonus quasi ex peculiari industria, et ultra propriam excolit necessitatem. Aliter etiam censiti, seu ut communiter censuales, vel censualistici 4) et extrasessionales vocantur, sed iterum minus proprie; quia census etiam a fundis urbarialibus debetur, et fundi etiam Inquilinorum industriales esse possunt. Fundi urbariales praeprimis diversas subeunt considerationes, et divisiones, quas Caput II. huj. op. exhibet. Inter fundos vero industriales se distinguunt Exstirpaturae et Vineae, quarum naturam, et indolem in specie leges determinant.

Conditiones, sub quibus Coloni fundos tam urbariales, quam non urbariales, seu industriales possident, e quadruplici fonte (principio) positivo promanant: legibus, pactis, (urbariis specialibus, particularibus) privilegiis, et usu. Praecipui, quia et maxime communes, sunt leges et pacta. Leges pro objecto habent vel maxime fundos urbariales, et ex industrialibus Exstirpaturas, ac Vineas; pacta vero praeprimis fundos industriales, sed tamen etiam urbariales; privilegia, et usus utrisque normam ponunt, sed ra-

rius. – Pacta prout fundos urbariales, vel industriales pro objecto habent, ita etiam diversa ratione ineuntur. In prioris generis pactis contrahentes adstricti sunt ad certa principia, et regulas, quae transgredi non possunt sub nullitate pacti; in posterioris vero generis nullis restrictionibus positivis arbitrium contrahentium limitatur. Illa cum influxu fororum politicorum Comitatus, et reliquorum, haec vero absque influxu hoc legali ineuntur. Coloni secundum conditiones legibus determinatas (legales) habiti secundum Urbarium seu urbarialiter, quia videlicet Urbarium praecipuus fons legum Juris Georgici est; (vide notam sub 2) Coloni vero quibus Contractus (Urbaria particularia) normam ponunt, contractualiter tractari dicuntur. Coloni ipsi his respectibus Urbarialistae, (urbariales) et Contractualistae (contractuales) appellantur.

Conditiones porro, sub quibus Colonus fundum tenet, sive eas leges, sive pacta, aut etiam privilegia, vel usus determinent, ita sunt comparatae, ut vel dominium utile, vel usum fructum tribuant, nunquam autem dominium plenum; hoc enim notio Coloni, et Domini terrestris, nexusque inde resultans eo ipso sufferretur.

Coloni demum, aliter etiam Subditi dicti, vel sunt proprie, seu stricte; vel non stricte, improprie tales. Coloni stricte tales etiam quoad personam suam jurisdictioni dominali subsunt, non item improprie tales. Hi peculiariter Jobagiones, etiam Villani, sed hodie rarius, et Rustici etiam, sed improprie nominantur.

Leges correlationem juris privati inter Dominos, et Subditos determinantes diversae qui-

dem originis, ejusdem tamen vigoris, et auctoritatis sunt. Aliquae in Comitiis suo modo perlatae in Codice, seu Corpore Juris continentur. Aliae auctoritate Imperantis velut praecipui Legislatoris datae successu temporis in Comitiis confirmatae sunt: quales sunt illae leges (prius tantum Ordinationes politicae) quas Urbaria diversa Hungariae, Croatiae, Slavoniae, et Banatus Temessiensis, Instructiones quaedam, praeprimis Exequentibus Magistratualibus, et Commissariis Regiis datae; porro Intimata Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici, et Resolutiones Regiae in se continent usque annum 1791, et respective 1812. Illo videlicet (1791), articulo 35 statuebatur, ut hucdum praeexistens sub regimine augustae memoriae Imperatricis et Reginae Apostolicae Mariae Theresiae introducta Urbarialis Regulatio in qualitate interimalis provisionis --- absque ulla exinde contra leges regni fundamentales formanda consequentia retinenda accurate, ubivis, et per omnes observetur,, Hoc idem etiam articulis 12 1792, 3 1796, 6 1802, 3 1805, 3 1807, 9 1808, et tandem articulo 3-o 1812 statuebatur. Aliae tandem, (stricte adhuc Ordinationes politicae) Intimatis videlicet et Resolutionibus Regiis post annum 1812 editis, porro Decisionibus Curialibus contentae, quae partim priores leges interpretantur, partim in casibus, illis nondum decisis, normam novam praescribunt, in Comitiis adhuc confirmatae non sunt; ejusdem tamen cum prioribus vigoris sunt, et auctoritatis, uti infra videbimus 5). Neque legibus confirmatis quidquam auctoritatis detrahit, quod tantum provisorio modo confirmatae sint; quia

utique nulla lex in Codice scripta aeternitate donata est, nec donata esse potest, nisi forte demas leges fundamentales, quas, dum legislatores objectum pertractationum diaetalium non esse, nec esse posse sanxerunt, perpetuas esse voluerunt, nonnisi cum gente interituras.

1) Neque me graecisasse putet lector, hac nomenclatione utentem; sunt omnino rationes, quibus ductus hanc adoptaverim prae caeteris. Potuissem enim etiam Jus Urbariale, uti in Nuncio de Opere hoc typis edito feci, Jus Colonarium, etiam Rusticum appellare. Rationes tamen has, quae forte tantum philologis saperent, longius deducere fastidio. — Epitheti tamen urbarialis, quod stylo curiali frequens omnino est, sed saepe sensus dubii, hic accuratius enucleare debeo. Derivatur illud a voce Urbarium. Urbaria vero sunt duplicia, generalia et specialia, (Part. I. § 2 huj. op.); stylo tamen curiali epithetum illud tantum ad generalia refertur. Generalia porro Urbaria constituunt fontem praecipuum Juris Georgici (§ 2 cit.) non tamen unicum; nihilominus stylo curiali epithetum urbarialis usurpatur pro eo, quod generatim ex Jure Georgico fluit, illi conveniens est, vel ad illud quacunque demum ex ratione refertur, quasi videlicet Urbarium unicus esset fons, unde placita Juris Georgici promanarent. Unde v. g. Beneficia; Constitutivum (quantitas sessionum); Fundi, qui secundum Jus Georgicum Colonis competunt; imo ipsi, qui secundum illud (urbarialiter) tractantur, urbariales (Urbarialistae) vocantur. Praestationes item, quibus Coloni juxta praescriptum Juris Georgici tenentur; Contractus de juribus et obligationibus quae secundum illud Dominum et Subditum respiciunt; Regulatio Nexus Subditelae generatim; Excessus contra Jus Georgicum comissi, et Processus ratione jurium et obligationum ex illo fluentium urbariales vocantur. Usus incongruus vocabuli hujus Commentatores Juris privati communis eo confudit, ut Urbarium et illud tantum generale Hungariae stricte talis (excepto Ban.) pro uni-

ea haberent, et statuerent norma jurium et obligationum inter Dominos et Subditos vertentium. Sic v. g. Kelemen Urbarium Hungariae stricte talis ut „normam publicam et communem „Jurium et Obligationum Dominos inter et Colonos vigentium" definit; quasi vero Urbarium illud norma esset communis et unica relate ad omnes Dominos et Colonos. Vir igitur hic Urbaria reliqua generalia videtur penitus ignorasse! Oppositus error ratione vocabuli urbarialis capita Practicorum, ut se jam vocant, occupat. Illi enim placita Urbariorum (publicorum) a placitis Legum distinguunt; quasi non utraque ejusdem essent auctoritatis. Unde illi v. g. quaerunt, an Contractus de Nona initi pro urbarialibus sint habendi vel minus? (vide hanc quaestionem decisam Part. I. § 22 huj. op.) Ego epitheto urbarialis utor tantum in fundis urbarialibus, et reliquis omnibus substantivis, quae se ad fundos urbariales referunt. Sic v. g. Regulatio, Rectificatio urbarialis est mihi Regulatio Rectificatio fundorum (praecipue saltim) urbarialium; Beneficia urbarialia sunt mihi ea, quae possessoribus fundorum urbarialium debentur; Praestationes urbariales, quae a fundis urbarialibus praestari debent; Contractus urbariales, qui de juribus et obligationibus ratione fundorum urbarialium ineuntur. Et sic sensum vocabuli hujus jam usu valde recepti adeoque non facile ex illo eliminandi, congrue accuratius determinari posse censeo.

2) Quia vero correlatio juris privati, inter Dominum et Subditum ut tales intercedens communiter Nexus Subditelae, (et legibus definitus legalis) vocatur; hinc etiam Jus Georgicum brevius definiri potest, quod sit complexus legum Nexum Subditelae determinantium.

3) Juxta Mandatum interpretatorium Leopoldi I. Colonus est, qui vel minimum in recognitionem Domini directi, (terrestris) praestat; vel etiam si nihil praestet, de fundo per se possesso, vel haeredes ejus possidendo, in casum defectus ipse vel haeredes disponere non possunt, sed ille in Dominum, ex pacto redevolvitur. Qui hac definitione contentari voluerit; contentetur mea pace, ego, fateor, illa contentus esse non possum.

4) Distinctio, quod fundi censuales sint diversi ab industrialibus; quia illi stricte dominales, seu allodiales, (curiales) sunt, hi vero non, est subtilior, quam ut usui esse posset.
5) In decursu tamen operis Leges tantum Leges Codicis (in Corpore Juris contentas) quasi per antonomasiam appello; reliquas vero dum cito, semper utor nomenclatione Urbarii, Instructionis, Intimati, vel Resolutionis, in quibus videlicet continentur; ita enim usus forensis postulat.

§ 2.

De Fontibus positivis Nexus Subditelae generatim et Juris Georgici in specie.

Ex Definitione Coloni supra allata videre est, quod Nexus Subditelae, seu conditiones quibus definitur, ex diversis fontibus (principiis) ortum ducant. Sunt autem vel generales, vel speciales. Ad generales referuntur Leges, quas a) Codex, seu Corpus Juris b) Urbaria c) Instructiones Commissariorum Regiorum, et Exequentium Magistratualium d) Resolutiones Regiae, Intimata Consilii R. L. H. et Decisiones Curiales in se continent. – Ad speciales pertinent: Privilegia; Conventiones, (Contractus) et Urbaria specialia (particularia); ac Usus, et Consvetudo. Ad Jus Georgicum in specie tantum fontes communes pertinent. – Primum de Fontibus generalibus et quidem accuratius; tum de Fontibus specialibus obiter.

a) In Codice, seu Corpore Juris contentae Leges Nexum Subditelae respicientes eae solum valent, quibus per posteriores non est derogatum, et in tantum valent, in quantum per posteriores non sunt modificatae. Contra hanc regulam multi Commentatores Juris privati com-

munis peccarunt. Collectio Legum in Corpore Juris contentarum partim in Extractu, partim etiam, ubi necesse erat per extensum exhibitarum comparebit inter Documenta ad Opus hoc pertinentia.

b) Urbaria generalia in Hungaria (excepta Transilvania, quae nunc regulatur) tria diversa occurrunt. Hungaria stricte sumpta (excepto Banatu Temessiensi) cum Croatia idem habet. 1) Urbarium Banatus Temessiensis tres Comitatus: Krassoviensem Temessiensem, et Torontaliensem complectentis in aliquibus; Slavoniae vero tres aeque Comitatus: Verőczensem, Poseganum, et Sirmiensem continentis pluribus ab illo differt. Urbarium Hungariae stricte talis Edicto Urbariali de 23-a Jan. 1767 primum adnectebatur. Urbarium Croatiae tardius anno videlicet 1780 comparuit. Urbarium Banaticum eodem anno, Urbarium demum Slavoniae omnium prius anno 1756. Urbaria in Hungaria stricte dicta praeter latinam, velut curialem, in triplici lingva: hungarica, germanica, et slavica; in Croatia et Slavonia 2) vernacula tantum, et latina edebantur. Quatuor haec Urbaria per extensum communicabuntur in Collectione Documentorum memorata. – Hic commemorari debent adhuc Puncta Generalia prohibita, quae quasi ut praenuncia Urbarii in Hungaria stricte sumta considerari debent, et quae partim abusus majores carpebant, et abolebant, partim etiam quaedam negotia majoris momenti inter Dominum, et Subditos regulabant. Haec dein in ipsum Urbarium transferebantur. Adnectuntur Instructioni Exequentium Magistratualium sub H, et Nro 8.

c) Inter Instructiones publicas, quae relate ad Nexum Subditelae auctoritate suprema elargitae sunt, praecipue memorari merentur duae,

quarum una Commissariis Regiis, qui inducendae Regulationi urbariali primaevae praeerant, altera vero Exequentibus Magistratualibus, qui sub directione illorum Regulationem urbarialem executioni mancipabant, data fuit. (Vide Part. II. Sect. I. Cap. I. huj. op.) Quaedam in his Instructionibus ad mechanismum pertinent quomodo inducendae Regulationis, quae tantum in casibus Regulationum, vel Rectificationum utilitatem aliquam habere possunt; quaedam vero jam ad historiam non jus referenda sunt. Caetera vero leges sunt, quae partim novae sunt, partim Leges in Urbario contentas uberius interpretantur, et accuratius determinant. Adeoque hae Instructiones inter praecipuos fontes generales Juris Urbarialis censeri debent. Instructio pro Exequentibus Magistratualibus duplex elaborata fuit. Prima adnectebatur primum Edicto Urbariali de 23-a Januarii 1767 (videri illa potest in Constitutione Rei urbarialis a Pauly edita pag. 377). Altera illa longe accuratior, et casuum interim emergentium decisionibus aucta anno 1770 edita, Instructioni Commissariorum Regiorum eodem anno elaboratae primum adjiciebatur ad § 41 sub Littera G. – Ante abolitas Visitationes annuas notabilis erat etiam Instructio pro Magistratualibus annuas urbariales visitationes seu investigationes peragentibus elargita. Sed haec jam nunc minoris non tamen omnis est utilitatis practicae. Reliquae Instructiones v. g. Supremis Comitibus Comitatuum datae, fere circa negotia publico politica Colonorum versantur. Instructiones tres memoratae in Collectione Documentorum exhibebuntur.

d) Fontem uberem Juris Georgici constituunt quoque Resolutiones Regiae. Vi potestatis

judiciariae imperanti ut jus majestaticum competentis potest ille, quod peculiare in Regno Hungariae, etiam casus occurrentes, qui normam in legibus non inveniunt, decidere, quae decisiones non litigantibus solum, sed et reliquis civibus legem ponunt, eousque valituram, donec in Comitiis aliae ei substituantur. (tit. 6-us 2-ae) Haec potestas, judiciis supremis regem ut judicem supremum repraesentantibus, Curiae Regiae in negotiis juridicis, et Cancellariae Regiae H. A. in politicis, ad quae etiam ea, quae Nexum Subditelae respiciunt (magnam saltim partem) referuntur, exercetur. Hinc igitur potestas edendi Decisiones, et Resolutiones in casibus nondum decisis, vel etiam priores leges interpretandi, aut uberius determinandi, quam plerique a suprema potestate executiva perperam derivant, haec enim non in ferendis novis legibus, sed potius in cura, ut latae observentur, consistit. – Si Decisiones vel Resolutiones de eodem objecto, et negotio invicem non cohaereant; illa praevalere debet, quae melioribus nititur rationibus, et cum spiritu totius legislationis magis convenit. Neque ejusmodi antilogia quidquam auctoritati fororum detrahere potest; errare enim humanum est, et erunt vitia donec homines! – In specie inter Resolutiones hic loci memorare debeo: Puncta sic dicta Supplementalia 19, 4-a 7-bris 1767 edita, quibus quaestiones, quae a tempore determinatae in Comitatibus: Soproniensi, Castriferrei, Zaladiensi, Simeghiensi, Tolnensi, et Baranyiensi Urbarialis Regulationis se obtulerunt, decidebantur, et secundum quae Urbaria jam confecta tam apud Consilium, quam apud Comitatum, et Subditos ac Dominum existentia etiam modificabantur; (Res, Reg. de 26-a Novembris

1770); porro Regulationem Silvarum de 22-da x-bris 1796, – 15-a Martii 1770 per integrum regnum publicatam; et Puncta Regulatoria Urbarium Slavonicum concernentia de annis 1808, 1809, et 1810 (vide Pauly Const. rei urb. pag. 637, et seq.). Harum Resolutionum satis magnum in opere hoc usum cepi. Exhibebuntur una cum reliquis in hoc opere citatis Resolutionibus, et Decisionibus Curialibus in Collectione Documentorum. – Consilii Locumtenentialis Regii auctoritas facultate legum tuendi auctoritatem absolvitur. Illius igitur Intimata pro novis casibus leges non scribunt, sed vigentes ab omni alteratione, et detorsione praeservant 3); adeoque nonnunquam rectum eorum sensum interpretantur, et talia in hoc opere adhibita sunt, aeque in Collectione exhibenda.

Privilegia usuroborata, Urbaria rite, et legitime confecta, Contractus item cum liberae migrationis Colonis, vel occasione impopulationis perpetuo initos, prius tamen juxta praescriptum legum (normam urbarialem) modificatos Regulatio Urbarialis in vigore suo reliquit. Utrisque leges Juris Georgici in favorem Colonorum plus minus modificantur, praesertim privilegiis. Urbaria particularia ante generalem Regulationem in Sede dominali sententia determinabantur, et dein in Generali Congregatione (quemadmodum Contractus quoque) referebantur, ac ibidem approbata sub autentico Domino, et Subditis edebantnr (extradabantur). – Usus quoque sibi auctoritatem vindicat in determinanda correlatione inter Dominos et Subditos intercedente. Caeterum usus Jura Colonorum relate ad fundos urbariales, et qui horum naturam imitantur, nunquam restringere potest, quocunque tempore duret, etiamsi Coloni non

refragentur; Coloni enim de Juribus suis e Nexu Subditelae ratione fundorum illorum fluentibus in detrimentum suum disponere non possunt. Interest Reipublicae rem Colonorum salvam esse; quia illorum humeris maxima pars onerum publicorum incumbit, ad quae supportanda vires illorum potius augendas, quam minuendas esse, ipsa svadet boni communis, (publici) ratio. Hinc conditio eorum hac in re eadem est cum pupillis, qui sortem suam tantum meliorem, non item deteriorem reddere possunt, et quorum omnes actus in detrimentum suum tendentes ipso jure nulli sunt. Constituuntur enim Coloni ratione fundorum urbarialium, et his analogorum sub tutela publica Imperantis, et fororum ejus politicorum, sine quorum auctoritate de illis, aut Juribus, et Obligationibus intuitu eorum valide disponere non possunt. Fundus, quem Colonus possidet, urbarialis, est simul fundus contributionalis; jam autem de illo disponere non potest.

1) Hic notare debeo illud, quod quamvis Urbarium Hungaricum, et Croaticum omnino eadem sint; tamen stylus Urbarii Croatici alter est in nonnullis locis, et hoc melior simul, quam hungarici. In citationibus usus sum plerumque paragraphis Urbarii Hungarici tamquam praecipui, aliquibus tamen in locis, ubi momentum rei exigere videbatur, utrumque citavi.

2) Urbarium Slavonicum latina editum lingva in Slavonicam verti, versum per Consilium R. L. H. altissimo obtutui substerni, et subsecuta ratificatione cum adnexis Tabellis Urbarialibus praevie revidendis inter Communitates distribui praecipitur, puncto regulatorio Urbarii Slavonici 4-o.

3) „Ut Consilium hoc R. L. contra positivas patri„ae leges nihil determinet. — Sed diaetales „Conclusiones per eos, quibus incumbet, effe-

„cui mancipari faciat.“ (1723 102 princ. et §-pho 1) Item „Consilium R. L. H. ex instituto „suo omni sua legali, quae ad effectum legum „procurandum, antevertandamque illarum lae-„sionem necessaria est, activitate gaudens, ve-„lut supremum in politicis in Regno Hunga-„riae dicasterium, et vi praeexistentium legum „ab omnibus aliis dicasteriis independens Re-„giae Majestati immediate subordinatum, si „quaepiam praeter spem illegalia in regnum „expedirentur Mandata, relate ad ea Suae Ma-„jestati Sacratissimae ex fide, qua Eidem Re-„gnoque obstrictum est, subversantes reflexi-„ones repraesentare teneatur, quarum Sua Ma-„jestas justam reflexionem habitura est.“ (1729 14)

§ 3.

De methodo pertractationis Juris Georgici in hoc Opere.

Jus Georgicum in duas abit Partes in hoc opere. In Parte Prima Jura et Obligationes Dominorum, et Colonorum pertractantur; Secunda vero Operationes illas in se complectitur, quae eo serviebant, et adhuc serviunt, ut Jura, et Obligationes inter Dominum et Colonos eo accuratius determinari valeant. Pars Prima in duas Sectiones dividitur. Sectio Prima agit stricte de Juribus, et Obligationibus Colonorum, et Dominorum mutuis. Sectio Secunda tractat de mediis Jura, et Obligationes suo modo persequendi, seu de Jurisdictione, et ejus Consectariis. Sectioni primae praemittuntur Prolegomena, quae notionem Juris Georgici, ejus fontes positivos, et methodum pertractandi evolvunt. Caput Primum Nexum Subditelae legalem, et ejus determinationes in nucleo sistit, quem dein Capita reliqua octo uberius evolvunt.

In specie de Capite III „De Beneficiis „Urbarialibus" inscripto, et Capite IV „De Juribus Regalibus et Dominali„bus reservatis" insignito notare debeo, quod sub Beneficiis Jura Regalia et Dominalia secundum praescriptum Juris cum Colonis parte quadam communicata in antithesi cum reservatis intelligi debeant; quodve reservata illa solum et in tantum, intuitu quorum, et in quantum correlatio mutua inter Dominum terrestrem et Subditos legibus determinata locum habet pertractata sint. Pars Secunda aeque in duas abit Sectiones, quarum prima Regulationem Urbarialem primaevam in genere, et specie duobus capitibus; secunda Rectificationem Urbarialem, Regulationem Juris Montani, et Silvarum, ac Pascui tribus Capitibus absolvit. Juri Georgico praemittitur Historia Juris Georgici, quae omnibus placitis ejusdem facem praefert, et eadem illustrat; subsequitur vero illud Collectio Fontium positivorum, quibus usus, et in quae commentatus sum; haec practico praeprimis Jureconsulto destinata sunt, ut quae commentatus sum, cum illis conferre valeat. Constituit tamen utrumque peculiare corpus ab systemate ipso Juris Georgici distinctum. Pertractantur autem placita Urbariorum diversorum ut fontium Juris Georgici praecipuorum simul, quod et comparationem inter ea instituendam facilitat, et ad operis hujus compendium multum contulit. Circa citationes Urbariorum adhuc notare debeo, quod illa diversam oeconomiam internam habeant. Et quidem Urbarium Hungaricum dividitur in Puncta IX; Croaticum in Capita totidem, et tam haec, quam illa in §-phos plerumque semper sibi correspondentes 1). Contrà Urbarii Banatici partes VII principales lingva germanica vocan-

tur Absätze lingua vero Hungarica Jegyzések, (Jegyzések) quae aeque in §-phos (excepto Capite VI et VII), hi vero in puncta, quae 1-o 2-o 3-o etc. etc. designantur, dividuntur. Tandem Urbarium Slavonicum in duas partes, quin tamen hac nomenclatione utatur, dividitur, et pars quaevis in puncta, quae 1-o 2-o 3-o exprimuntur. Ego ad compendium, et aequabilitatem in citationibus partes principales Urbariorum Hungarici, Croatici, et Banatici vocavi Capita, et haec littera initiali C. designavi; ut vero hac citatione Urbaria diversa a se invicem distingui possint, notandum est, quod sola Littera C. semper Caput Urbarii Hungarici, et Croatici, velut ejusdem tenoris significet, et hoc a Banatico distinguatur, cui, ubi jam ex contextu non apparet, quod de illo sermo sit, semper praemittitur Urb. Ban. Urbarium Slavonicum aeque praemisso Urb. Slav. distinguitur a reliquis. Instructio Exequentium Magistratualium, et Commissariorum Regiorum citatur per Instr. Ex. Mag. et Instr. Com. Reg. – Resolutiones vero Regiae per Res. Reg. Intimata per Intimat. Articuli tandem, et tituli Corporis juris more consveto. In Citatione Capitum et §-phorum hujus operis semper his adjeci huj. op. ad distinctionem a Capitibus et §-phis Urbariorum Hung. Croat. et Ban.

Relate ad Urbaria hoc adhuc notare debeo, quod excepto Banatico usus sim Urbariis latina velut authentica lingua conceptis, ita tamen, ut semper relate ad Hungariam cum versionibus germanicis, et hungaricis, quas omnino accuratas deprehendi, conferrem. Banatico Urbario, quia lingua germanica conceptum fuit primum, ideo etiam germanico velut authentico usus sum; versio hungarica non satis adaequata est.

PARS I.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET SUBDITORUM UT TALIUM, AC MEDIIS JURA HAEC PERSEQUENDI, SEU JURISDICTIONE ET EJUSDEM CONSECTARIIS.

SECTIO I.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS DOMINORUM, ET SUBDITORUM UT TALIUM.

CAPUT I.

DE NEXU SUBDITELAE LEGALI, ET EJUS PROPRIETATIBUS.

§ 4.

De Nexu Subditelae legali generatim.

Quaestio, in quo Nexus Subditelae inter Dominos terrestres, et Subditos Hungariae secundum leges consistat, seu ad quod genus pacti (contractus, conventionis) inter Dominum, et Subditos initi, et legum auctoritate sanciti, ille referri debeat, tam varie a variis deciditur, ut illam nondum decisam esse vel id evincat. Sunt, ut extremas doctorum, et non doctorum opiniones inter se comparem, qui Colonis proprietatem, et quidem analogam Colonis Austriae (infra Onasum) quam tamen hi non habent, tri-

buant; Dominis vero terrestribus tantum proprietatem eminentem, dominium eminens 1) eminentis proprietatis dominium, eminentem dominii proprietatem, eminens proprietatis dominium, et nescio quot modis phrasim hanc illi variare solent, relinquant. Alii contra hos dominium directum in genere, illos vero utile habere volunt; in specie aliqui Dominos terrestres Dominos Emphiteuseos (Erbzinsherr), Colonos vero Emphiteutas (Erbzinsmann) faciunt. 2) Contra alii detrudunt Colonos in classem mercenariorum (Wirthe, Béres) qui donec convenit Domino, operas et censum impositum praestare debent erga certam mercedem, quam fundus per Dominum ipsis cessus cultura adactus praebet, caeterum vero pro lubitu Domini abigi possunt, (quales v. g. sunt Coloni in Provincia Megalopolitana, Mecklenburg, et in quibusdam aliis adhuc provinciis). Idque auctoritate legum se affirmare putant. Pater Werbőczius enim de iisdem titulo 3o 3-ae ita fatur „Rusticus praeter laboris mercedem in terris Domini sui, quantum ad proprietatem nil juris habet.“

Antequam sensa nostra circa hanc quaestionem depromamus, non abs re nobis videtur, notionem juris in re, seu dominii praemittere, et partes illius essentiales enucleare; videntur enim multi eo peccare, et peccasse in decidenda quaestione proposita, quod nec claram ideam Dominii habeant; nec partes ejus essentiales bene noscant. Sequor autem in hac deductione Jus privatum naturale Cel. Franc. Zeiller, Editionem 3-am 1819 - pag. 115 et sequ.

Dominium (Eigenthumsrecht) est jus de re externa cujuscunque generis exclusive pro arbitrio disponendi. Potest illud ut complexus in-

numerorum jurium considerari, quae tamen ad tria praecipua (fundamentalia, essentialia) reduci possunt, jus videlicet possessionis, ususfructus, et proprietatis. – Jus possessionis (Besitzrecht) ut subjectiva conditio exercendi juris dominii est facultas rem propriam tenendi, hoc est, in talem cum persona nostra correlationem ponendi, in eaque conservandi, ut liberam exclusive de illa disponendi voluntatem effectui mancipare possimus. – Jus ususfructus (Benützungsrecht) ut objectiva conditio exercendi dominii facultas est de rei propriae accidentiis (Accidenzen) seu consectariis in antithesi cum substantia ejusdem, ad fines rectos (rechtliche Zwecke) disponendi. Ex hoc jure plura alia deducuntur. Duo praeprimis notari merentur, nempe usus, et ususfructus (in antithesi cum usu). Usus (Gebrauch) est facultas, de rei consectariis tantum ad necessitatem usque (Nothdurft) disponendi. Ususfructus (Nutzniessung) vero involvit facultatem de omnibus consectariis rei alicujus disponendi, seu omnes fructus ex re percipiendi, qui percipi possunt, absque laesione tamen substantiae. Jus proprietatis (Proprietätsrecht) tanquam conditio objectiva exclusivae et liberae dispositionis altera est facultas de rei substantia pro arbitrio, et cum exclusione aliorum disponendi. Vi hujus juris tamquam praecipuae totius partis potest dominus dominium plenum aut unum e juribus fundamentalibus, vel ex his deducta jura singularia (einzelne) in alios transferre, et quidem conditionate, vel sine conditione, cum restrictione, vel sine illa, item erga praestationem, vel gratuito. Hinc dominium vel est plenum (vollständig) dum uni eidemque personae seu physicae seu morali omnia jura fundamentalia competunt; vel minus plenum (unvollständig) 3) dum

haec jura divisa sunt, seu dum uni jus proprietatis, id est de substantia disponendi, seu dominium directum (Ober-Grund-Eigenthum); alteri vero jus possessionis, et usufructus, id est de consectariis disponendi cum parte tamen proprietatis, seu dominium utile (Nützungs-Eigenthum) competit. 4) Hinc ususfructus eo distinguitur a dominio utili, quod ususfructus sit facultas de rei consectariis tantum, nullatenus vero de substantia ejusdem disponendi; dominium vero utile facultatem contineat, et de accidentiis rei, et quadamtenus (parte quadam) etiam substantia ejusdem disponendi.

Ita evolutis ideis his, nunc id respiciendum, quid moneant leges, ut has ad illas applicare possimus.

Leges ante seditionem rusticanam de Nexu Subditelae latae ad historiam jam pertinent; ex illis tantum quid fuerit, non quid juris nunc sit, cognoscere possumus. Post seditionem enim nova jura Colonis scripta sunt. Si autem circumspiciamus in Codice, duas fere tantum leges deprehendemus, quae nobis ad decidendam quaestionem propositam lucem suppeditant: Titulum 29, et 30 3-iae Non taedet utrumque, quantum ad rem nostram, de qua hic agimus, confert, recitare, ut ipse quoque lector facilius, commodiusque de assertorum nostrorum fundamento judicium ferre possit. Prior ita caetera inter habet: „Item si rusticus filium genuerit, filiam „quoque nondum emaritatam habens, tunc uter„que in rebus paternis tam m o b i l i b u s quam „i m m o b i l i b u s aequali jure succedit.“ – § 1. „Si tamen de rebus mobilibus filia emaritata „fuerit, tunc advertendum est, quia illae res „aut avitae, aut paternae fuerunt? Si avitae „fraus nulla in emaritatione sequi potest; quo-

„niam filia aequalem portionem sortiri debet. „Si autem res paternae extiterint; tunc pater „juxta condecentiam status et honoris sui po„terit eam emaritare, et amplius portionem re„bus de eisdem non habebit, sed mortuo „patre ad filium devolventur, et il„lo quoque decedente ad fratres, et „consanguineos suos ab eodem stipi„te derivatos condescendent.“ § 2. „Verum si pater de sua portione te„stamentum condere voluerit, id qui„dem facere poterit, absque tamen fraude „uxoris. Nam uxor in rebus per maritum suum, „stante conjugio conquisitis, semper particeps „et condivisionalis efficietur, ita, quod vi„ro intestato decedente, ad eandem univer„sa bona sua per ipsum, ut praefertur, conqui„sita devolventur.“ § 3 „Ubi vero pater „mortua prima uxore sua aliam duxerit consor„tem, tunc filius ex prima uxore natus, si cum pa„tre suo in rebus mobilibus, et immobilibus divi„sus fuerit, secunda uxor ejus de portione filii pro „se nullam portionem habere permittitur, sed ne„que fratres sui ex ipsa secunda uxore patris ge„nerati sese ad illam ingerere possunt; sed de „eisdem filius ipse prout voluerit, liberam di„sponendi habet facultatem.“ Titulus 3o-us ita continuat: „Item rusticus – nullum „post se haeredem – relinquens, super rebus su„is mobilibus libere testari potest. Haeredi„tates tamen, si avitae fuerint; omnino in Do„minum terrestrem devolvuntur.“ § 1-o „Si ve„ro per semetipsum extiterint acquisitae, in du„as dividentur partes, quarum una Domino ip„si terrestri; altera vero cui testamentaliter le„gaverit, effective cedet.“ Hinc patet, quod Coloni (rustici), et quidem Dominis ipsorum

mera et perpetua jam rusticitate subjecti (titulus 21 § 2) adhuc tamen facultatem habuerint de rebus suis mobilibus, et immobilibus absque discrimine, nam lex non distinguit libere, relate ad Dominum terrestrem disponendi, unicum si demas casum defectus, in quo partim integra substantia, si videlicet ab intestato, partim tantum avita immobilis, et medietas acquisitae aeque immobilis Domino terrestri cessit; reliquae enim legis dispositiones non correlationem inter Dominum et Subditos, sed illam inter familiae membra respiciunt, et determinant, ratione condendi testamenti, juris successionis, et divisionis inter haeredes. Tenebant igitur etiam Coloni perpetui jure haereditario fundos per se cultos; quod etiam ipsa vox Haereditas evincit. – Hoc nihilominus jus haereditarium limitatum erat; ita enim Titulus 30-us 3-ae § 7. „Per hoc tamen non est intel„ligendum, ut haereditas per rusticum cui„piam legata, vel vendita, jure perpetuo „a Domino terrestri alienari possit; „nam rusticus praeter laboris mercedem, et prae„mium in terris domini sui, quantum ad per„petuitatem nil juris habet, sed totius terrae „proprietas ad Dominum terrestrem spectat, et „pertinet.“ § 8. „Per hujusmodi igitur legatio„nem, aut venditionem colonus nonnisi laboris sui „mercedem, et praemium, condignam scilicet ae„stimationem terrae, prati, molendini, vel vineae „cuipiam legare, vel vendere potest, perpetui„tate Domino terrestri salva semper per„manente. Qui dum voluerit terras, prata, et mo„lendina secundum aestimationem communem 5), „vineas vero juxta condignum eorum valorem, ad „se recipiendi habet facultatem.“ Hinc patet, quod omne Coloni jus de fundo disponendi fuerit tan-

tum precarium, eousque durans, donec Dominus terrestris illum, et quidem Vineas secundum condignam, reliquos vero secundum communem aestimationem ad se non recepit; simulque ob hanc rationem limitatum per condignam et respective communem aestimationem, ultra quam fundus emi, vendi, permutari etc. non poterat, nisi emens, permutans jacturam pretii supra condignam vel communem aestimationem facere vellet. Igitur generatim id statui potest, quod Coloni habuerint fundorum per se cultorum Dominium utile; quia de substantia quoque illorum tam per actus inter vivos, quam mortis causa disponere poterant, sed tantum Dominium utile, et illud temporaneum, et dicta ratione limitatum; non vero proprietatem, quia videlicet hanc Dominus terrestris vel ideo sibi reservavit, quod facultatem fundum reluendi sibi reservaverit, 6) citatus etiam §-phus 8-us totius terrae proprietatem ad Dominum terrestrem spectare, et pertinere clare asserat. Posset quidem videri, quod cum Verbőczius citato §-pho 7-o rusticum praeter laboris mercedem, et praemium in terris Domini nil juris habere statuat, merces autem laboris in terris colonicalibus (extravillanis saltem demtis Exstirpaturis et Vineis) quam Dominus terrestris refundere teneretur, praeter illam fimationis recentis et implantationum perrennium (v. g. pomariorum) quae tamen rariores sunt, concipi non possit; cum laboris merces ex ipsis fructibus quos terra culta fundit, Colono compensetur, ut adeo quemadmodum hic §-phus, ita et reliquae leges Colonis liberam disponendi facultatem tribuentes, tantum ad Vineas et Exstirpaturas potius referendae sint, de quibus etiam Verbőczius titulo 134 § 2 dicit, quod Colonos proprie con-

cernant, innuere volens hac expressione, quod Coloni dominium utile habeant illarum, et ideo has etiam ad distinctionem ab reliquis fundis colonicalibus, haereditates appellet. Haec mea sententia fuit adhuc non ita pridem, sed ad aliam, nunc propositam me inclinabant sequentia momenta: quod Verbőczius memorabilem hanc distinctionem inter fundos colonicales in genere, et exstirpatitios ac vineas in specie non potuisset ut subintelligendam jam praetermittere; quod per mercedem, et praemium laboris aestimationem (pretium aestimationale) fundi (terrae, prati, vineae) intelligat Verbőtzius, uti diserte id exprimit § 8, non vero aestimationem meliorationum fundi; quod fundi colonicales (demtis Vineis et Exstirpaturis) fructibus suis mercedem laboris impensi Colono exolvant, non probat, quod fundi hi exemti sint a redemtione pretio videlicet communis aestimationis quia etiam fundi exstirpatitii successu temporis saltim mercedem laboris Subdito exstirpanti refundunt. – Caeterum quidquid fuerit, et quomodocunque se res habuerit, id certum est, quod Regulatio Urbarialis in Hungaria stricte dicta, (excepto Banatu) Croatia, et Slavonia (Urb. Slav. Part. II, 6-o) posteriorem sententiam adoptaverit, obligaveritque simul Colonos in Hungaria et Croatia ad voluntatem vendendi Extirpaturas, et Vineas Domino terrestri insinuandam, quod secundum leges priores (Codicis) non obligabantur; non alio certe fine, quam ut si Dominio liberet, praeemere illas posset; ceterum etiamsi Dominus annutum suum denegaret Colono, nihilominus fundos exstirpatitio, et vineas libere vendendi eidem facultatem expresse tribuit. Ita enim Urbarium Hung. C. VIII § 18. „porro venditiones, em-

„tiones, cambia, et legata quorumvis fundorum
„sessionalium, eorundemque appertinentiarum
„sine praescitu Dominii terrestralis sub amis-
„sione summae investitae vetitae sunt; in illis
„tamen casibus, quibus Coloni de lege libe-
„ram vendendi facultatem habent, cum prae-
„scitu quidem Dominii id agant, vendere ni-
„hilominus etiam absque annutu Dominii
„possint.“ Urbarium Croaticum eadem ratione se exprimit. Urbarium Slav. insinuationem hanc Colonis non imponit. Urbarium tandem Banaticum dominium utile etiam quoad fundos urbariales Colonis tribuit sub restrictione insinuationis, et impetrationis consensus Domini terrestris, in venditionibus, et divisionibus fundorum urbarialium, quem tamen hic justa sine causa, quae non alia est ratione venditionis, quam emtoris onerum privatorum (dominalium) et publicorum (contributionalium) ferendorum incapacitas; ratione vero partitionis fundorum, Coloni ipsius similis incapacitas, denegare non potest. Unde etiam venditor emtorem Domino sistere tenetur (Urb. Ban. C. I § 2, 2-o 7-o 8-o C. VI, 1-o). – Pretium communis aestimationis relate ad Exstirpaturas successu temporis consvetudinibus Comitatuum varia ratione modificatum; per Regulationem Urbarialem vero condignum inductum, serius etiam accurate relate ad quantitatem determinatum est, ita tamen, ut emtiones, et venditiones tam Exstirpaturarum, quam Vinearum etiam ultra valorem condignum respective (quoad Exstirpaturas) jam determinatum intervenientes, in quas Dominus terrestris per taciturnitatem vel facultatem Colono datam, in Slavonia (P. II, 6-o) solum posteriorem consensit, stabiliret, quemadmodum jam ex naturalibus juris principiis stabilire etiam debuit;

adeoque Dominum terrestrem ad persolutionem summae emtionalis (non aestimationalis) praeter meliorationum aestimationem stringeret, simul tamen Domino facultatem tribueret Subditos ab emtionibus, et venditionibus, et reliquis actibus translationis ultra condignum aestimatione comperiendum valorem inhibendi, et prohibendi, adeoque usum praevigentem inhibitione, et prohibitione sufferendi. (Vide Tractatum deExstirpaturis et Vineis, Cap. VII et VIII huj. op.).

Cum igitur Coloni in Hungaria, Croatia, et Slavonia vi citati C. VIII § 18 Urb. Hung. et Croat.; Partis item I, 6-o Urb. Slav. de fundo colonicali (exceptis Exstirpaturis, et Vineis) disponere non possint absque annutu Domini; – quamvis enim C. VIII § 18 Urb. Hung. et Croat. tantum sine praescitu dispositio haec interdicatur, annutum tamen sub illo intelligendum esse manifeste patet inde, quod per exceptionem in casibus, quibus Coloni de Lege liberam vendendi facultatem habent, absque annutu etiam Domini venditio ipsis concedatur, – indubie sequitur, quod etiam dominium utile ejusdem non habeant (quia carent vel minima parte proprietatis, quae facultatem de substantia certa ratione quoque disponendi involvit) adeoque tantum jure ususfructus, et cum hoc conjuncto jure possessionis ratione illius gaudeant. Relate vero ad Exstirpaturas, et Vineas gaudent dominio quidem utili, sed illo in regula precario, et relate ad abaestimationem Domino competentem, et insinuationem erga eundem praemittendam, in Slavonia impetrandum quoque consensum (Urb. Slav. Partis II, 6-o) etiam adhuc limitato. Urbaria enim partim ex-

presse (citato § 18 C. VIII) partim tacite dispositionem legum priorum confirmarunt.

1) Dominium eminens in res civium Imperanti tantum competit, si videlicet respublica aliter conservari nequeat (Vide Martini de Jure Civitatis pos. 183).

2) Emphyteusis (Erbzinscontract) est contractus, quo dominium utile praedii pro certa pensione annua (canone annuo) in recognitionem dominii directi praestanda conceditur. Canon non accipit mensuram ex fructibus, ideo etiam ob sterilitatem, vel malam, aut nullam procreationem, vel etiam interitum partis praedii non cessat deberi. (Vide Martini de Lege natur. Positiones; Parte theor. pag. 185, et 186, pos. 546. Vide etiam Codicem Austriacum (Allgemeines Bürg. Gesetzbuch) § 1123 et Commentarium Cel. Fr. Zeiller hujus et sequentis paragraphi; etiam Heineccii Institutiones Juris Romani § 930 et seq.) — Apud Romanos Emphyteusis (quae vox generatim implantationem (Vide Schneideri Lexicon Graecum de anno 1805) significat,) historia est haec: Si Romani gentem quandam devicerunt, illam parte territorii privabant Reipublicae cedentem. Agros jam cultos hujus partis in locatum conductum dabant perpetuum, sibique censum convenientem stipulabantur, vectigal appellatum; agros vero incultos Emphiteusis titulo aliis colendos cesserunt. Id succedente tempore Imperatores, Urbes, et Cives imitabantur, et aeque agros suos incultos aliis conditione Emphyteuseos excolendos dabant. Initio quidem Emphyteuta tantum jus personale habuit, quod successu temporis in dominium utile mutatum est. — Jam ex hoc, quod praestationes Colonorum Hungariae non tantum in recognitionem Dominii directi, sed et compensationem fructuum fiant; satis elucet, quod Nexus Subditelae legalis non possit ad Emphyteusim referri. Sed nec ad Locatum Conductum perpetuum (Erbpacht) nec ad Jus Superficiei (Bodenzins-Contract) Vide Codicem, et Commentarium memoratum § 1122 et 1125, minime vero ad Contractum Feudalem (Vide Martini citato opere

pag. 186-a pos. 548 item quodcunque Systema Juris Feudalis v. g. C. G. Päcz Lehrbuch des Lehnrechts, Göttingen 1808; uti id ex deductione hac clare patebit. Hic tamen bene notandum est; non enim satis hoc monere possum, quod de Nexu Subditelae, in quantum Legibus determinatur, sermo sit; potest enim omnino Legum determinatio pacto inter Dominum et Subditum inito mutari, et modificari; nam provisio hominis tollit et hac in re provisionem legis; sed pactum hoc relate ad Fundos, et Colonos urbariales tantum conditionem horum meliorem, non deteriorem reddere potest. (Vide Caput VI huj. op. de Contractibus urbarialibus) Mutatio porro similis intervenire potest Usu, de quo tament idem relate ad fundos et Colonos urbariales observandum, et Privilegiis.

3) Dominium minus plenum dimidiatum (halbirtes Eigenthum) plenum vero solitarium etiam appellari solet; minus tamen apte.

4) Nomenclatio Dominii directi et utilis est inventio Glossatorum, sine dubio divisionem actionum romanarum in directas et utiles imitantium. Illa nec in jure romano, nec germanico, nec demum feudali occurrit.

5) Secundum communem aestimationem Sessio Jobagionalis populosa ad unam, deserta, sed aedificia habens ad mediam, aedificiis autem penitus carens, tamen in ordine aliarum sessionum sita ad quartam Marcae partem aestimatur; extra ordinem aliarum sessionum posita pro campo reputatur, et in ordine aestimationis non computatur. (Tit. 133 § 18 19 20) Pomarii Jobagionalis extra villam habiti unum jugerum regalis mensurae ad unam marcam aestimatur, retro autem seu penes sessiones existens non ponebatur in aestimationis serie. Terrae communis vel arabilis, virgulti item et rubeti ad unum aratrum regalis mensurae sufficientis pretium aestimationale commune est 3 marcarum, prati vero seu foeneti unius jugeri regalis mensurae (ad unam falcem sufficientis) 1 marcae. Foeneta in campestribus, quae falcari quidem possunt, raro tamen vel nunquam defalcantur, in ordine aestimationis

non ponuntur. Molendinum desuper volvens, et tempore siccitatis non deficiens marcis 5, deficiens marcis 3; Locus Molendini deserti subtus currentis marcis 3, desuper autem volventis 1 1/2 marcis aestimantur (§ 24 26 34 35 36 37 38 citati tituli) Clauditur titulus hic § 46 ita „Verum, si rusticum quempiam, vel etiam nobilem in territorio alterius vineam habentem, Dominus terrestris de ipsa vinea ejicere, et excludere voluerit, autoritatem quidem ejiciendi habet, attamen non aestimatione illa communi, quae de virgulto et rubeto immediate praetacta est, sed competentem valorem, seu condignum pretium ejus juxta aequam, rectamque limitationem, et taxationem judicis, ac juratorum civium ejus loci, ad quem ipsum promontorium pertinet, illi refundere tenetur.“

6) Expressio igitur Verbőczii titulo 134 § 2 intra parenthesim „demtis terris, et pratis exstirpatitiis, quae Colonos proprie concernunt, et non ad Sessiones pertinent“ minus propria esse videtur.

§ 5.

De Proprietatibus Nexus Subditelae legalis speciatim.

Ita determinato pacto inter Dominum et Subditum ut tales secundum leges intercedente, seu Nexu Subditelae legali, jam nunc qualis ille ususfructus relate ad fundos colonicales (exceptis Vineis et Exstirpaturis), praecipue vero fundos urbariales, quale item Dominium illud utile respectu fundorum colonicalium in Banatu generatim, Vinearum item et Exstirpaturarum in Hungaria, Croatia, et Slavonia sit, enucleandum' est. Exequemur utrumqae ita, ut quod per se intelligitur, tantum proprietates

ex lege, vel rei natura et indole fluentes commemoremus.

Possunt autem proprietates hae facilioris memoriae, et combinationis gratia revocari ad proprietates, quae a) dispositionem intuitu Fundi tam Domini quam Coloni b) durationem ususfructns vel dominii ntilis c) culturam d) fructus fundorum e) onera et beneficia ususfructus vel dominii utilis respiciunt. Sunt autem frequentes:

a) Alienatio omnis fundorum colonicalium (praeterquam Vinearum et Exstirpaturarum) tam inter vivos, quam mortis causa, perpetua et temporanea; adeoque emtiones, venditiones, permutationes (cambia), impignorationes (inhypothecationes), testationes, legationes sine annutu Domini terrestris sub amissione summarum investitarum Colonis Hungariae, Croatiae, et Slavoniae vetitae, et ipso jure nullae sunt 1) (C. VIII § 18; Res. Reg. 29-a Apr. 1774 Nro 1993 – Com. Abaujvár. 14-a Maji 1774 Nro 2201 intimata; Urb. Slav. Part. I, 6-o). Haec proprietas jam ex ipsa natura ususfructus fluit. Relate ad amissionem summae investitae hoc notandum, quod incautus emtor, permutans etc. regressum habeat adversus Colonum vendentem, permutantem etc. prout in aliis quoque alienationibus ipso jure nullis id locum habet. Hinc sequitur, quod etiam divisio fundorum colonicalium (exceptis Vineis et Exstirpaturis) 2) inter filios, filiasque, ut ipso jure nulla considerari debeat. Fundorum sessionalium titulo elocationis, et emaritationis filiarum iisdem cessio diserte Resolutione Regia (5-a Maji 1775 Nro 1960 – Com. Honth. 11-a Maji 1775, Nro 2160 intimata) prohibetur, quod etiam de colonicalibus generatim (demtis Vineis et Exstirpaturis) intelligendum. – De Exstirpaturis et Vineis usque summam aestimatione comperiendam Co-

lonus Hungariae Croatiae et Slavoniae sensu Tituli 3o 3-ae et C. VIII § 18, Urb. Slav. P. II, 6-o libere disponit. In Slavonia tamen Vineas in constitutivum sessionale assignatas partiri, particulasque ab illis avellere non potest, salva caetsrum de illis dispositione. (Res. Reg. de 8-a 8-bris 1813, Nro 13510). In Banatu vero de fundis urbarialibus nullatenus; de Vineis vero et Exstirpaturis ac caeteris fundis indüstrialibus prout in Hung. et Croat. dispositio Coloni restricta est. Tantum si testamentum non condat, aut haerede legitimo destituatur, 3) Dominus terrestris succedit in patrimonio illius, exceptis tamen fundis urbarialibus (substantia illorum). Si tamen fundum urbarialem vendere velit, indultum Domini terrestris impetrare, et emtorem eidem sistere tenetur, ut videlicet hic dijudicare possit, an ille oneribus publicis (contributionalibus) et dominalibus ferendis par sit, quod utique in omni requiritur emtore. Item si fundum partiri (dividere) velit, cum allatione rationum indultum Domini terrestris itidem expetere debet. Si vero hic indultum deneget, et hoc se laesum existimet Colonus, Comitatus auctoritatem implorare debet, cujus est rem decidere. (C. I § 2, 2-o 7-o 8-o; C. VI, 1-o).

Subditus non potest alium in fundum jure ususfructus per se possessum illocare; quia de fundo disponere non potest, Dominusque terrestris illi tantum usumfructum concessit et secus etiam jus Colonum illocandi Domino terrestri competens penitus eludi posset; cum secundus tertium, et sic porro in locum sui substituere posset. Contra est de Vineis et Exstirpaturis; de illis enim, uti etiam in Banatu de fundis urbarialibus Colonus hoc respectu disponere potest. Advenam vero ad fundum coloni-

calem quemcunque vel domum Colonus recipere non potest; Domino enim terrestri competit jus ut dicimus Incolatum conferendi (Intimat. ddto 19-ae Apr. 1803 Nro 9366).

Colonus meliorationum quarumcunque in fundis jure colonicali cultis, et titulo sive ususfructus, seu dominii utilis possessis proprietatem quidem habet, non tamen semper illimitatam. Ut autem hoc clarius intelligere possimus, distinguendae sunt meliorationes, quae immobiles sunt, seu terrae adfixae (infixae) ab illis, quae mobiles sunt. De immobilibus tantum dispositio usque pretium aestimationale subsistit, vel subsistere potest absque periculo emtoris, vel alterius generis acquirentis; quia si Dominus terrestris fundum abaestimari pro se curet, tantum pretium aestimationis illarum persolvit, (salva utique investitura legitima); vel si Colonus migret, aut amoveatur pretio aestimationis, nisi adsit investitura legitima, contentari debet, si nemo plus (suo periculo) promitteret. Si nemo quidquam promitteret, Domino terrestri gratis cedunt, sine fundo tamen, si hic urbarialis sit. (Vide C. II. huj. op.). De meliorationibus vero terrae non affixis Colonus omnino libere disponere, adeoque illa, si migret, vendere quocunque pretio, vel si venditio non succedat, secum auferre potest. Caeterum si Colonus migret e fundo urbariali; potest tamen adhuc Vineas, et Exstirpaturas (et ab analogia reliquos fundos industriales) retinere, si vendere nolit, vel non possit, neque hae Domino terrestri cedunt, si venditio non succedat. (1547, 29) Excipi hic debet Colonus Banatus, qui de meliorationibus fundorum urbarialium etiam ultra pretium aestimationis earundem disponere potest.

Dominus terrestris Hungariae et Croatiae potest quidem fundos urbariales Colonorum permutare 4) (cambiare) cum allodialibus, ita tamen, ut in locum illorum alios quantitate, qualitate, et fructuositate aequales substituat; secus fundi accepti Colono iterum restitui debent (C. VII § 19), et quidem post longius etiam tempus 5); permutationem vero fundorum colonicalium inter se Dominus terrestris instituere non potest, nisi volentibus Colonis, et excepto casu Rectificationis; quia Colonus ad fundum aliquem illocatus eo ipso habet jus quaesitum ad usumfructum illius, et eo privari amplius non potest. Hoc fluit ex natura ususfructus, quae positiva determinatione restricta non est. Idem quoque de Exstirpaturis, et Vineis intelligendum est. – In Banatu tamen Dominus terrestris invito Colono fundum ejus urbarialem cum suo vel alterius Coloni permutare non potest; volente vero Colono nonnisi interrogato prius et consentiente Comitatu concernente. (C. I § 2, 5-o et 6-o) Urbarium tandem Slav. jus hoc tacendo Domino terrestri negat, usus tribuit.

Dominus fundos urbariales pro usibus suis in nullo praeter tituli 46 1-ae casu abaestimari curare potest. Fundorum industrialium etiam Exstirpaturarum, et Vinearum abaestimatio Domino terrestri in regula competit. (Vide Sententiam Tabulae Septem-Viralis in Causa Fisci Magistratualis Comitatus Krassoviensis, contra Andream Kiss Dominii Szuboticz Terrestrem Dominum, Termino S. Stephani 1813 latam) Subsistentia tamen Coloni, et conservatio fundi contributionalis saepe exceptionem faciunt. Si videlicet Colonus ejusmodi fundis absque detrimento subsistentiae suae, et fundi contributio-

nalis plane, vel saltim non facile carere possit, quod decidere regiae est auctoritatis; illi abaestimationi subtrahuntur, imbuuntque hac ratione naturam fundorum urbarialium. Verum Abaestimatio causa Subditi, dum videlicet hic praestationibus, quibus Dominio aut Publico tenetur, non satisfacit, aequaliter relate ad fundos urbariales, et industriales locum habet. Excipi a regula praemissa debet Colonus Banatus ratione fundorum urbarialium, siquidem Urbarium Ban. (C. I § 2, 2-o) omnem Domino terrestri diserte adimat facultatem Colonum nisi praestanda praestare nequeat, aut detrectet abaestimandi (Vide Cap. II huj. op.) Punctum Regulatorium Urbarii Slavonici 7-um praecipit, „ut fundorum industrialium recaptivationes, non „secus, quam via, et forma lege, et benigno „Urbario praescripta penes assistentiam Fisci „Magistratualis in Sede Dominali, dein ad Sedriam Comitatus, et Consilio quoque R. L. „referendae, instituantur." Porro eodem Puncto declaratur, „gratum fore Suae Majestati, „si Subditi in possessorio hortorum, et peculiariter prunetorum per respectiva Dominia „terrestralia relinquantur" in casu abaestimationis vero eorundem „arbores non per aesti„mationem universaliter, quoad reliquos fun„dos, et tenuta observari solitam, sed distin„ctim juxta verum et reale earum pretium ae„stimentur" aestimatione via Consilii R. L. altissimae ratificationi substernenda.

Ususfructus et respective dominium utile fundorum urbarialium in emolumentum quidem non tam singularium Colonorum, quam totius classis civium horum illa affectus est conditione, quod Dominus terrestris fundos urbariales, qui

utpote pro sustentatione illorum destinati sunt, etiamsi singulares Coloni emoriantur, migrent, amoveantur, abaestimentur, nullatenus Classi illi subducere, et in allodiales convertere possit; sed semper iterum Colonum ad illos illocare debeat. (art. 18 1715; C. VI § 1; Urb. Ban. C. I, § 2, 4-o) Haec dispositio fundamentum suum habet in obligatione Imperantis curandi, ne aliqua classis civium fraudetur vitae sustentandae mediis, praeprimis vero illa, quae necessitates Reipublicae in maxima mensura explet. Fundorum industrialium intuitu in regula Colonorum ordo hac praerogativa non gaudet, si demas fundos industriales, naturam fundorum urbarialium imitantes.

b) Colonus possessor fundi urbarialis dum vivit, et praestationibus dominalibus, publicisque satisfacit, et secus delictis (excessibus) iteratis, ita ut incorrigibilis dici debeat, se non implicat; usufructu privari, seu abaestimari nullatenus potest, excepto casu tituli 40-mi 1-ae alioquin raro, et altissimae decisioni substernendo (Vide Cap. II huj. op.) Hac praerogativa Colonus quoad fundos industriales exceptis iis, qui naturam illorum imbuunt, non gaudet.

Cum vita Coloni ususfructus fundi colonicalis cessat, adeoque ad haeredes non transit; jus enim successionis sine dominio utili intelligi non potest, quo tamen Subditus caret. Reviviscit igitur jus Domini terrestris, ad fundum colonicalem alium illocandi. Hoc ex natura ipsius ususfructus fluit. Caeterum haec intuitu fundorum urbarialium, et illorum, quae naturae similitudine gaudent modificatur per conditionem praecedentem positivam, si Colonus fatis cedens haeredes qui in patrimonio ipsius ab intestato succedunt, vel succedere saltim deberent relinquat;

cum enim Colonus generatim, donec praestationibus dominalibus, et publicis satisfaciat, abaestimari non possit, etiam successor naturalis, qui ipsum repraesentat, ab eadem tutus esse debet, dummodo aptus sit. Si tamen plures sint successores legitimi aeque apti, cum fundus urbarialis sine consensu Domini nec inter illos dividi, nec uni cum exclusione aliorum ultima voluntate decedentis Coloni relinqui possit; arbitrium penes Dominum terrestrem erit, quem ex haeredibus naturalibus pluribus Fundo praeficere velit. – Colonus Banatus habet jus in fundum urbarialem haereditarium abaestimationi, nisi culpa (causa) illius, vel ademtioni ex parte Domini terrestris haud obnoxium. (C. I § 2, 2-o)

Colonus pro lubitu suo potest usuifructui vel dominio utili fundi colonicalis cujuscunque, si conditiones ejus sibi onerosae videantur, renunciare; quin alium in locum sui substituere, vel secus pro facultate migrandi Domino terrestri quid praestare obligetur. Tantummodo secundum praescriptum legis (35 1791) migrationem suam instituere debet. (Vide Cap. IX. huj. op.)

c) Debet Colonus usumfructum fundorum colonicalium, ut bonus paterfamilias capere, ne videlicet fundus secus detrimentum aliquod capiat; ejusmodi enim detrimentum substantiam fundi afficit, quam hac in parte intactam relinquere debet. Colonus sive usufructu, sive dominio utili etiamsi stabili (non precario) fundum teneat, quia neutrum sive ex natura rei, sive legis dispositione jus contrarium ei tribuit, nec tribuere potest, si obligationi illi non satisfaciat, et fundum vel penitus negligat, vel non debite colat; illum merito amittit, salvis tamen pro ratione circumstantiarum investitura legitima et

pretio meliorationum aestimatione comperiendo vel jure fundum pretio illimitato vendendi. 6)

Caeterum potest Colonus fundum colonicalem quemvis relate ad culturae systema, et species frugum, ac plantarum prout lubet tractare. Adeoque intuitu agrorum non est adstrictus ad systema communiter receptum trium calcaturarum (Dreyfelderwirthschaft) retinendum; quod tamen jam potius ad Communitatis, non singularis Coloni arbitrium referendum est. Potest eundem agrum eodem anno bis inseminare, quin a secunda procreatione Nonam, vel aliud quid seu in natura, seu pecunia praestare debeat; potest agrum (campum) quoque tertium contra systema nunc memoratum inseminare, et bis etiam eodem anno, a secunda procreatione aeque ab omni praestatione immunis; potest demum species quascunque frugum vel plantarum pro cultura deligere, quarum videlicet majus emolumentum et lucrum sperat. Hoc enim fluit ex natura ususfructus, et dominii utilis, quae positiva aliqua conditione limitata non est (Vide etiam Tractatum de Nona Cap. V huj. op.)

Non potest tamen fundum colonicalem in aliam formam mutare, seu ut Romani dixerunt, specificare, etiamsi cum utilitate Domini terrestris: quia Colonus usufructu tantum praeditus non habet jus de rei substantia disponendi, ejusmodi autem specificatio substantiam rei afficit; Colonus vero dominio utili gaudens, sive precario seu stabili etiam, potest quidem de rei substantia, sed pro parte tantum legetenus sibi tributa disponere, jam autem specificatio ipsi non conceditur. Adeoque neuter potest agrum in pratum et vicissim, fundum intravillanum, aut vineas in agrum vel pratum, et vicissim transmutare; sed debet quemvis fundum destinationi suae

convenienter tractare. (Res Reg. de 8-a 8-bris 1813 Nro 12510, relate ad transmutationem vinearum in agros, et vicissim Slavoniae intimata) – Instructione Ex. Mag. Cap. V, § 12, 8-o cavetur peculiariter, ne Agri urbariales (sessionales) dispendio agriculturae in hortos fructiferos convertantur. (Vide etiam Res. Reg. 28-a Junii 1768 Com. Sopron. intimatam) Hic tamen excipi debent fundi ita dicti adjustationales, seu in sortem deficientium pratorum vel fundorum intravillanorum dati, quibus Subditus libere uti, et frui, quos adeo velut agros, velut prata tractare potest. In pratis tamen generatim potest arbores fructiferas, aliasque plantare, vel illa in pomaria etiam convertere; quia hoc naturae prati non obest. (Vide etiam Res. Reg. 28-a Junii 1768 Com. Sopron. intimatam; item Instr. Ex. Mag. C. V § 30; et Punctum supplem. 11-um).

d) Ususfructus, et dominium utile ex natura sua se extendit ad omnes fructus tam ordinarios, quam extraordinarios fundi, et utrosque tam naturales, quam industriales 7); verum Colonorum ratione fundorum colonicalium quorumcunque restrictus est tantum ad fructus ordinarios, sed illos tam naturales, quam industriales, omnes item, adeoque seu ad necessitatem (intertentionem necessariam) seu commoditatem, seu voluptatem pertineant, et referantur. Extraordinarii fructus, uti thesaurus, lapides infra crustam terream, lythantraces, terrae genera diversa, pro diversis usibus techniois adhibenda, et si quae sunt alia objecta usui servientia, et pretio aestimabilia, intra terrae viscera recondita, ad Dominum terrestrem spectant; ita ut bene dicatur jus Coloni non ultra quam vomer terram scindit, extendi. Usus tamen horum na-

turae beneficiorum per Dominum terrestrem ita capi debet, ne ususfructus Coloni superterraneus, (ut ita dicam) detrimentum aliquod patiatur; quod utique in plerisque casibus aliter fieri non potest, quam si fundus ejusmodi colonicalis alio permutetur. Thesauri tamen per Colonum in fundo per se culto inventi media pars si videlicet 150 florenos non superet, secus vero tertia eidem cedit. Arbores porro in pratis (Instr. Ex. Mag. C. V § 30) et agris existentes, cujuscunque speciei, prout et reliqua regni vegetabilis producta, supra terram eminentia Colono competunt (usus). Dominium tamen utile Coloni Banatus Temesiensis se ad extraordinarios etiam fructus extendit.

Subditus potest quidem productis fundi colonicalis cujuscunque libere uti frui; adeoque illa etiam vel in proprios usus convertere, vel cruda adhuc, aut arte rustica praeparata distrahere, seu vendere. Domino tamen terrestri competit jus praeemtionis pro propria necessitate; item in Hungaria et Croatia (non etiam Slavonia et Banatu) jus potus spirituosos praeter vinum et crematum exclusive praeparandi. (Vide Tractatum de Praeemtione, et Praeparatione Liquorum Domino terrestri competente, Cap. IV huj. op.).

e) Ususfructus fundorum colonicalium non est gratuitus, sed onerosus. Colonus ab eo plura Domino terrestri praestare obligatur, et quidem in Hungaria et Croatia a terris urbarialibus, in specie a fundo intravillano Censum 1 floreni, ab agris titulo terragii certam quotam frugum, et reliquorum productorum omnis generis, animalium item quorumdam (haedulorum, agnellorum, et apum) communiter nonam, etiam per illum convehendam, si vero ager in poma-

rium convertatur, a singulis ejus jugeris 15 x-ros; porro titulo Munerum duos capones, duos pullos, 12 ova, et mediam butyri cocti, ac triginta integrae sessionis Coloni vitulum; Munera haec proportionem qualitatis sessionum sequuntur, in exposita quantitate Colono integrae sessionis incumbunt. Porrò Subsidium Diaetale et Redemtionis indeterminatum moderatum tamen; demum operas rurales tam jugales, quam manuales aeque juxta proportionem qualitatis sessionum, et quidem integrae sessionis Colonus 52 dierum jugales vel 104 dierum manuales. Inquilinus praeter Censum 1 floreni 18 dierum; Subinquilinus vero 12 manuales praestare obligantur. In Banatu integrae sessionis Colonus praestat a fundo intravillano aeque censum annuum, ab agris Decimam frugum per ipsum convehendam, praeterea Munera eadem, quae Colonus Hungariae et Croatiae, vel loco illorum 51 x-ros, prout Domino terrestri libet. Operas aeque serviles totidem, quot ille, ex quibus $58\frac{1}{2}$ (manuales) a 10 x-ris reluit, reliquas vero $45\frac{1}{2}$ in natura praestat. Munera et Operae pro reliquis Colonis secundum peculiarem proportionem, distinctam ab illa in Hungaria et Croatia, qualitatis Sessionum, et Classium emensa sunt. Inquilinus vero praeter censum annuum 1 floreni 8; Subinquilinus 6 dierum manuales operas praestant. In Slavonia integrae sessionis Colonus ab agris 3 florenos; operas serviles 24 jugales, vel adhuc semel tot manuales gratis, praeterea 28 jugales vel duplas manuales, 20 et respective 10 x-ris compensandas, et totidem diebus perficiendas; demum Subsidium Diaetale aeque indeterminatum sed moderatum. Operae aeque proportionem qualitatis Sessionem eandem, quae in Hungaria et Croatia viget, sequuntur. Exposi-

tae integrae Sessionis Colonum respiciunt. — Inquilinus Censum 1 floreni et 12, Subinquilinus 10 dierum manuales praestare debent. A vineis in Hungaria, et Croatia Nona aut Jus Montanum; in Banatu Decima; in Slavonia trigesima secunda praestanda sunt. (Vide Caput VII huj. op.) Ab Exstirpaturis demum in Hungaria et Croatia terragium conventione, vel usu defixum pendi debet. Solum quoad pomaria in fundis exstirpatitiis existentia terragium in 30 x-ris a singulis jugeribus in specie defigitur. In Slavonia a prunetis, et pratis exstirpatitiis 15 xri, ab agris vero Decima frugum; in Banatu demum a singulis jugeris fundorum industrialium quorumcunqne 30 xri praestari debent. (Vide Cap. VIII huj. op.) Hae praestationes ita sunt certe comparatae, ut non in recognitionem tantum Dominii directi, sed simul etiam compensationem ususfructus omnino deservire, quisque facile perspicere possit. 8) Denegatio harum praestationum praesertim Nonae tam ab Agris, quam et Vineis, Juris item Montani, abaestimationem fundorum post se trahit. (Vide Cap. V, VII, et VIII huj op.) 9).

Subditus usumfructum fundi colonicalis habens, intuitu hujus, absque discrimine, et nisi quoad conditionem (statum) vel characterem civilem alteri subsit, etiam intuitu personae suae agnoscere debet jurisdictionem Domini terrestris, quam patrimonialem vocant, et se illi subducere non potest. (Vide Part. I Sectionem II huj. op.) Caeterum Colonus quoad actiones suas quascunque illimitatum habet, ut alter quoque civis, arbitrium; omnis illarum per Dominum terrestrem restrictio, quae non ex Jurisdictione fluit, est laesio Coloni, quam is foro competenti vindicare potest. Hinc v. g. cuilibet Subdito liberum est abs-

que facultate eatenus a Domino terrestri petenda matrimonium inire; ad studia, et opificia semet applicare, et ea ubique prosequi, de rebus suis mobilibus pro arbitrio (relate ad Dominum) disponere etc. (Res. Reg. 21-a Aug. 1782 Nro 7988 universis Comitatibus intimata).

Sed vicissim sunt cum usufructu fundorum urbarialium certa beneficia nexa, uti beneficium pascui, lignationis, glandinationis, fructuum silvestrium, nonnunquam etiam gallarum collectionis, educilli porro, et cremati exustionis. Ab his quidem excepto educillo Colonus iterum certas operas resque praestare obligatur; quia tamen hae praestationes moderatae sunt, hoc sensu omnino Beneficia dici possunt. Haec vero beneficia, quorum tantum usus in sensu stricto Colonis competit, ita sunt nexa cum usufructu fundorum urbarialium, ut qui hoc gaudet, illis quoque erga praescriptas praestationes gaudere debeat; neque Dominus terrestris eidem illa negare possit. 10) (Vide Cap. III huj. op.).

Haec sunt attributa partim naturalia, partim positiva ususfructus fundorum colonicalium, praecipue urbarialium. De illis haec tenenda regula, quod in tantum valeant, in quantum pactis, privilegiis, aut usu non modificantur, vel alterantur; possunt enim mutuo inter Dominum terrestrem et Colonum consensu inita conventione (contractu) vel ex integro, vel ex parte mutari, et mutata sunt saepe, mutanturque, sed quoad fundos urbariales semper cum influxu fororum politicorum, et nunquam, nullatenusque in detrimentum, et praejudicium Colonorum, verum semper eorundem emolumentum. (vide Caput VI huj. op.) Dominus enim terrestris potest juribus suis renunciare, sed non Colonus. Saepe etiam Privilegia a Regibus vel Dominis

Communitatibus, Oppidis praeprimis concessa, jam magis, jam minus usumfructum fundorum colonicalium fortuna meliori Colonorum modificant, imo illum ad dominium utile, nonnunquam parum a proprietate distantem evehunt; uti id exempla quam plurima Oppidorum privilegiatorum testantur. Saepe tandem ipse quoque usus, de quo idem relate ad fundos urbariales, ac contractibus tenendum, Colonorum sortem leniorem reddit, praesertim relate ad liberam dispositionem de fundis, et hac ratione Dominium utile eisdem tribuit. Saepe tamen idem usus quoad fundos industriales (non urbariales) sortem illorum etiam deteriorem reddit. De usu hoc accipiendum est, quod Verbőczius titulo 3o 3-ae § 6 asserit: „Verumtamen Colonorum, quemad„modum multiplex est conditio, ita et consve„tudo juris, quae juxta veterem locorum usum „observanda censetur."

Ex hac Deductione correlatio inter Dominum, et Subditum ut tales intercedens, quam communiter Nexum Subditelae appellamus, secundum praecipua sua momenta clare, ut mihi saltim persvadeo, intelligi potest, secundum omnes tamen circumstántias clare intelligi tantum tunc póterit, si et illa objecta, quae hic in genere tantum, ad filum hujus pertractationis saepius, et longius non interrumpendum, suis peculiaribus capitibus, quae huic ut subordinata considerari debent, accurate enucleata sunt, attentione sua lector dignabitur. 11)

Ultra obligationes et jura tam Dominorum terrestrium, quam et Colonorum hic deducta, quaecunque alia sive personam, sive rem concernant Coloni, aut etiam Domini terrestris, ad Nexum Subditelae non spectant, adeoque ratione illorum Dominus terrestris et Colonus in-

ter se ita considerari debent, ut cives quicunque alii in nulla correlatione Subditelae existentes; nisi peculiariter auctoritate publica Domini aut Coloni invicem restringerentur quadam ratione. Sic v. g. Urbar. Hung. et Croat. (C. VIII § 17) Communitatibus urbarialibus absque consensu Domini terrestris aes alienum (mutuum) contrahere vetat.

1) „Quodsi (igitur) Colonus in pignore existens ex „appertinentiis sessionalibus quempiam fundum „abalienet, et possessor pignoratitius talismodi „fundum reluat, haereditarius non tenetur illi „summam eatenus erogatam compensare. Cum „enim rusticus in Bonis Domini sui praeter mer„cedem laboris nihil habeat, atque adeo fundos „suos sessionales invito Domino onerare non pos„sit; hinc casu in praemisso possessor pignora„titius summam investitam incaute deposuit, per „consequens si exinde aliquod damnum sentit, „id culpae suae imputandum habet.“ (Dec. cur. rel. pign. in div. Com. exist. 31-a).

2) Nec tamen divisio Vinearum indiscriminatim admittitur per Dominium; si enim in justo minores particulas dividantur, cultura earum pati solet. Igitur certa mensura v. g. unius jugeri defigi consvevit, ultra quam illas dividere et partiri non licet.

3) Intimatum ddto 24 Aug. 1813 Nro 20218 „mutuam conjugalem successionem ad fundum sessionalem tanquam proprietatem Domini terrestris incongrue et incohaerenter extendi, ac proinde viduam nonnisi in tantum, in quantum cultivandae sessioni, ferendisque publicis et dominalibus oneribus par esse censetur, cum assensu Dominii ad id medio Comitatus disponendi, relinqui posse asserit. — Resolutio vero Regia 28-a 8-bris 1806 Nro 21903 intimata „cum „Constitutiva colonicalia pro haereditatibus Co„lonorum reputari nequeant — nec invalidatio„nibus Venditionum colonicalium tenutorum „viam aperiendam esse statuens“ in sensu accommodo intelligenda, hoc est salvo dominio

directo Domini terrestris, secus enim impingeret in dispositionem Urbarii C. VI 1-o „Dieweil den Unterthanen, dieses Districts die Ansässigkeit von Erben auf Erben — — zugestanden worden ist, etc. etc."

4) Resolutio Regia de 29-a 9 bris 1793 Nro 4283 fundorum commutationem invito possessore locum non habere, sed arbitrio partium, et reciprocae liberae conventioni relinquendam esse ex eo statuit, quod in nullo Regulationis Urbarialis puncto Dominis terrestribus fundos Subditorum suorum intravillanos (excepto casu 40-mi 1-ae) adimendi, facultas tribuatur; titulus vero 30 mus 3-ae proprietatem Subditorum quoad aedificia propriis impensis erecta haud excludat. (Vide etiam Res. Reg. ddto 20-ae 7-bris Nro 5023 intimatam) Caeterum permutatio fundorum urbarialium maxime occasione Rectificationis, vel Regulationis urbarialis locum habere solet, et debet etiam, si fundi tam dominales, quam colonicales prius dispersi cum commoditate tam Dominorum quam Colonorum concentrentur. Serius nisi ob peculiaria adjuncta non facile permutatio ejusmodi locum habet.

5) Resolutio Regia 18-a Aug. 1818 Nro 22890 Com. Zalad. intimata, puncto 2-do ita habet: „Meri„tum Cambii fundorum allodialium cum urba„rialibus — ante annos 20—12 interventi in de„bitam pertractationem sumptum plane non es„se. Quia vero puncto hoc non solum de in„demnitate Colonorum, in quantum in locum „acceptorum fundorum suorum alios quantita„te, qualitate, et fructuositate pares haud acce„pissent, verum etiam, et peculiariter quidem „de Conservatione fundi contribu„tionalis, cum quo Colonus disponere ne„quit, ageretur; meritum hoc — in ulteriorem, „et debitam pertractationem sumendum, ac de„cidendum."

6) Resolutio Regia de 24-a 8-bris 1771 in casum, si Fundi Curiales penes Communitates ultra etiam relinquerentur; Dominia, et respective Comitatus curare jubet, ne ob horum culturam fundi sessionales negligantur.

7) Fructus fundi est accessio, quae rationem existentiae suae in fundo habet v. g. fruges, quae in agro crescunt, habent rationem existentiae, in agro, ergo sunt fructus agri. Sunt autem ordinarii, vel extraordinarii; illos fundus communiter profert, et illorum causa fundo utimur v. g. prato utimur graminis gratia. ergo gramen fructus ordinarius prati; oppositum sunt extraordinarii v. g. thesaurus in prato inventus. Tam fructus ordinarii, quam extraordinarii sunt vel naturales, qui rationem physicam existentiae suae in fundo habent, et sine opera hominum suapte natura proveniunt, v. g. gramen, glandes etc.; industriales, qui aeque rationem physicam existentiae in fundo habent, sed sine cultura, et opera humana non proveniunt, v. g. fruges etc.; civiles demum (qui tamen huc non pertinent) qui moralem tantum rationem existentiae in re habent, v. g. interusurium a Capitali.

8) Sola Nona juxta calculum Oeconomorum et respective Politicorum plus quam tertiam partem lucri puri ex productis terrae per Colonum capiendi absorbet.

9) Articulus 18 1723, § 3-o cavet „ne Possessiones „per desolationem subditis diminutae ad prae„standas antiquas datias ab integris Possessio„nibus praestari olim solitas, adigantur.“ Haec dispositio caeterum est tantum intelligenda quoad Possessiones, et Oppida, quorum Coloni in concreto, non singillatim praestationes, quibus dominio tenentur, sibi admensas habent, et juxta illam secundum proportionem diminutionis Colonorum quacunque tandem ratione, ipsae quoque praestationes diminui deberent, ita v. g. si Colonorum numerus dimidio minor evaderet, ac fuit dum praestationes in quaestione vertentes initium sumebant, illi etiam jam dimidio tantum illarum tenerentur.

10) Hic praeterire non possum Decisionem (ad implementum Contractuum 10-am) quae ita habet: „si Dominus terrestris Jurisdictionato suo duntaxat utile cujuspiam Praedii dominium contractualiter obliget, per hanc obligationem Edu-

cillum (potius Diversorium) Macellum, Piscationem, Venationem, Molendina, aliaque idgenus Jura Regalia obligasse, et cedere voluisse censeri nequit; quia similia Jura Regalia, velut directi Dominii propria, adeoque magis principalia, sub sensum, et intellectum utilis Dominii, quod videlicet praecise usumfructum Praedii per Lignationem, Pascuationem; Glandinationem, et terrae procreationem percipi solitum involvit, per consequens minus principale est, pertrahi non possunt, nisi in Contractu expresse denominentur."

11) Ex hac Deductione illud quoque patet, quod ususfructus Colonorum Hungariae magnam similitudinem habeat cum servitute (personali) ususfructus romani; hoc tamen vel maxime ab illo discrepet, quod ille gratuitns fuerit. (Vide Heineccii Instit. jur. rom. § 414).

CAPUT II.

DE FUNDIS, PRAEPRIMIS URBARIALIBUS.

§ 6.

De Fundorum urbarialium diversis, quos subeunt considerationibus, et divisionibus.

a) Fundi urbariales vel in Praediis, vel aliis locis (Possessionibus, vel Oppidis) existunt. Praediorum autem duplex imprimis ratio hic notanda. Alia est ratio praediorum, quae ut separata, suisque metis distincta corpora, vel ad allodiaturam Domini terrestris possidentur, vel vero per eundem ad certos annos elocata sunt; adeoque a libero Domini terrestris arbitrio dependent. Alia contra illorum, quae prae-

sertim recuperatis e manibus Turcarum Comitatibus neoacquisticis omni populo destituta, successive impopulata 1), vel vero adaucto numero Colonorum in Possessionibus Oppidisque eisdem in meliorem illorum subsistentiam adjecta fuerant ita, ut Colonis in ambitu illorum agri, prata, vel pascuum commune assignarentur, a quibus (in connumerationem etiam portarum sumtis beneficiis) 2) praestationibus urbarialibus (oneribus urbarialibus, et servitutibus) obnoxii sunt. Praedia haec vocantur impopulata „neque enim solum prae„dia, in quibus Coloni Domos suas „erexerunt; sed illa quoque, quae „iisdem pro necessaria sui subsisten„tia ad excolendum adjecta sunt, pro „impopulatis haberi debent.“ Melius tamen Praedia, quae pro meliori Colonorum subsistentia Possessionibus adjecta sunt, vocantur Praedia incorporata in antithesi cum Praediis primum memoratis, quae separata seu non incorporata appellari possunt; et quidem ideo, quia illa cum possessione cui adjecta sunt, unum idemque corpus sensu juris constituunt, haec vero ab illa separatum. Jura et Obligationes Colonorum ac Dominorum eadem sunt relate ad fundos, et respective beneficia lignationis, glandinationis, pascui, educilli, exustionis cremati, in Praediis impopulatis, ac incorporatis, quae intuitu fundorum, et beneficiorum in Possessionibus vel Oppidis (locis non praedialibus) locum habent. Jura vero et Obligationes inter Dominum et Subditos relate ad Praedia non incorporata seu separata 3) pendent a conventione inter utrosque (absque influxu fororum politicorum) inita, aut ineunda. 4) (Instr.

Ex. Mag. C. II, § 3, 3-o, 13-o; Punct. suppl. 14; Res. Reg. 15-a Julii Com. Castriferrei intimata) Hinc occasione introductae primaevae Regulationis Urbarialis fundi Colonorum in praediis impopulatis, vel incorporatis siti, ut urbariales (sessionales) conscribebantur, et ut tales Tabellis quoque Urbarialibus inferebantur; quos ideo etiam Dominus terrestris ad propriam allodiaturam amplius applicare non potest. Fundi vero in praediis separatis situati conscribebantur ut fundi titulo sessionalium possessi, et Tabellas urbariales non ingrediebantur; adeoque etiam ut urbariales stricte tales considerari non possunt (Instr. Ex. Mag. C. II § 3 p. 3 13). Etiam Praedia per Dominos terrestres pro meliori Colonorum subsistentia possessionibus sub conditione solvendi moderati census (arendae) adjecta, Conscriptionique, (dicali) licet ea peculiari cum cautela subjecta, ut dum et quando voluerint, eadem a Colonis recipere possint; in regula Contributioni (1723 18) et ideo Subditis, qui illa hactenus possidebant, subtrahi amplius non possunt. Nihilominus si Domini terrestres ejusmodi Praedia recipere vellent, id Suae Majestati medio Consilii omnibus cum circumstantiis pro impertienda Resolutione repraesentari deberet. 5) Occasione primaevae Regulationis Urbarialis Commissarii Regii per Exequentes Magistratuales eatenus informati via Consilii id circumstantialiter Suae Majestati referre debebant) (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o).

b) Fundi urbariales vel in locis ita dictis curialibus, vel non curialibus siti esse possunt. Porro Fundi urbariales in locis curialibus vel jam praeexistebant occasione primaevae Regulationis Urbarialis, vel serius quacunque demum

ratione enati sunt. Illi jam eadem occasione ut reliqui Fundi conscribebantur, juraque et obligationes Colonorum ac Dominorum ratione eorundem secundum praescriptum legum (Urbarii) definiebantur; quoad haec vero idem fieri jubet Resolutio Regia de 3-a Maji 1771.

c) Fundi urbariales vel sunt impopulati, qui per Colonos inhabitantur, et coluntur, vel deserti, per illos quacunque demum ex ratione derelicti. Relate ad hos Resolutio Regia de 20-a 7-bris 1773, Nro 5023; 1-a Octobris e. a. Nro 4744 per regnum publicata praecipit, ut qui ab annis retroactis 30 Contributioni subtracti sunt, eidem restituantur, et impopulentur; si vero medio tempore Domini terrestres residentias in iisdem posuissent, alios quantitate et qualitate pares substituant. – Ut autem facilius impopulari possint, sub 28-a Febr. 1771, Nro 1105 universis Comitatibus injunctum extitit, ut ubinam, signanter quo in loco, et apud quos Dominos terrestres, quot item, et quales desertae sessiones sint, publicari curent. – Articulo 10-o 1547 Colonis qui in fundis desertis e fundamentis domos erigunt, 3 annorum a contributione immunitas conceditur. Articulo vero 103-o 1723, ut liberae quaevis personae per sexennium a qualibet Contributione publica liberandae in regnum vocari, ac ejusmodi libertas per totum regnum publicari possit, constituitur. 6)

d) Fundi urbariales vel secundum Inscriptionem temporaneam, vel praescriptum Legum (Urbarium) per Colonos possidentur. A Fundis videlicet urbarialibus (sessionalibus) ante regulationem Urbarialem primaevam pro certa summa pecuniaria, vel sola, vel adjectis certis servitutibus, et naturalibus per Dominos Subditis

ad tempus inscriptis usque depositionem investiturarum praestationes secundum tenores Inscriptionalium debentur, (et non normam legalem), quae ideo etiam Conscriptionibus Urbarialibus primaevis in paribus adnexae, una cum illis in Tabulario Comitatus respectivi conservari jubebantur. – Nihilominus in Tabellis urbarialibus fundi hi exponebantur, quemadmodum alii urbariales secundum quantitatem, et praestationes urbariales ei correspondentes, ne nempe post singulas reluitiones Tabella urbarialis mutari debeat 7) (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 8-o).

e) Fundi urbariales praesertim appertinentiae occasione primaevae saltim Regulationis Urbarialis in Hungaria vel erant per possessores alteri pignori locati (inhypothecati, incensuati) vel actu per ipsos possidebantur. Utrique aequaliter conscribebantur occasione Conscriptionis urbarialis primaevae, et in Tabellas quoque Urbariales inferebantur. Praestationibus etiam ita Coloni ab iisdem obnoxiantur, ac si actu eosdem possiderent. His simul praecipiebatur, ut illos quantocius recipere satagant. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 18-o; Res. Reg. de 29-a Apr. 1774, Nro 1993 – Com. Abaujvár. 14-a Maji 1774 Nro 2202 intimata; Instr. Com. Reg. § 35) Post Regulationem urbarialem primaevam omnis alienatio fundorum, adeoque et inhypothecatio est vetita, sub amissione summae inhaerentis (vide § 5 a) Part. I huj. op.).

f) Fundi urbariales praesertim extravillani vel per Communitatem in concreto sumtam, vel vero singulares ejusdem Communitatis Colonos possidentur. Tantum fundi Colonorum singularium occasione Regulationis Urbarialis primaevae regulabantur; et quidem tam in Communitatibus

in plano sitis, quam et montanis (montanisticis) degentium (Instr. Ex. Mag. C. V. § 30; Res. Reg. relate ad Processum Executionalem (Regulatorium) Dominii Csáktornya Com. Zalad. 5-a Sept. 1771 Nro 5016 intimata). Fundi per Communitatem in concreto sumtam possessi tam relate ad quantitatem, quam et praestationes in statu priori relinquebantur; hinc si occasione Regulationis Urbarialis primaevae nullae praestationes locum habuissent, nec post illam locum habere possunt. Inferebantur vero Fundi Communitatis tam Tabellis urbarialibus, quam etiam Executionalibus, ut omnis quantitatis imminutio, et praestationis auctio, aut novae indictio praecaveatur. (Instr. Ex. Mag. C. V, § 23; Punctum Suppl. 4-um; Res. Reg. in Causa Urbariali Dominorum terrestrium, et Nobilium Compossessorum Oppidi Mihályi, et Possessionis Kisfalud contra Oppidanos et Colonos mota 22-a 8-bris 1799 respectivo Comitatui intimata).

g) Fundi urbariales in ejusdem loci territorio siti, vel ad unum vel plures Dominos terrestres (Compossessores) spectant. Si quae diversitates ratione praestationis Nonae in natura vel aequivalenti inter Subditos Compossessorum occasione Regulationis Urbarialis primaevae locum habebant; hae sufferebantur per optionem Subditis potioris Domini terrestris delatam, ut aequalitas praestationum adeoque etiam jurium et obligationum inter omnes Compossessorum Subditos locum habeat. Hinc etiam potior Dominus terrestris Colonos Compossessorum (Comportionatorum) a beneficiis pascui, lignationis etc., quorum usus omnibus ejusdem loci Colonis communis fuit etiam occasione Regulationis Urbarialis primaevae, excludere non potest. Si tamen jam tunc pro parte potioris Domini ter-

restris praestatio aliqua peculiaris stabilita fuit, huic Coloni satisfacere tenentur.

h) Fundi urbariales vel sunt sessionales, vel non sessionales. Sessionales sunt, quae Sessionem constituunt. Non sessionales oppositum illorum. Ad hos referuntur fundi Inquilinorum, Subinquilinorum, si forte aliquos haberent, nam communiter non habent, et Communitatis in concreto sumtae; aliquando tamen et hujus fundi in sessionem unam vel plures redacti sunt. Instructio Exeq. Mag. in Conscriptione urbariali fundos urbariales generatim sessionales appellat, minus tamen proprie (vide Prolegomena) et ideo etiam (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 8-o) sessiones in colonicales, et inquilinarias (inquilinares) tribuit. – Occassione Regulationis Urbarialis primaevae fundi urbariales etiam non sessionales relate ad quantitatem eorum conscribebantur, et Tabellis Urbarialibus inferebantur ad imminutionem, quantitatis eorundem auctionem praestationum, vel impositionem novarum praecavendam; quemadmodum id de Fundis Communitatis jam supra sub f) in specie commemoravimus. (Vide Partis II Sect. I, Cap. II huj. op.).

Quae hactenus de Fundis urbarialibus dicta sunt, de industrialibus quoque a proportione intelligi debent.

1) In Collationibus Bonorum in Comitatibus neoacquisticis sitorum Impetratoribus expresse illa imponebatur obligatio, ut praedia impopulent. (Instr. Com. Reg. § 43). Impopulatio Praediorum horum etiam occasione Regulationis Urbarialis primaevae adurgebatur (Instr. Com. Reg. § 43; item Res. Reg. de 13-a April. 1772, Com. Báts. et Zalad. 7-a Maji e. a. Nro 1850 intimata) Si igitur haec Praedia successu temporis impopulentur; eadem observanda quoad illa erunt, quae de Praediis occasione primaevae Regula-

tionis Urbarialis jam impopulatis observari praecipiuntur.

2) Connumerationem portarum tantum Instructio Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o memorat, Punctum supplementale 14-um de illa tacet, adeoque illi, tamquam posteriori inhaerendum.

3) De Praediis separatis intelligi debet Resolutio Regia de 3-a Januarii 1772 Nro 4, — Com. Houth. 13-a Jan. e. a. Nro 199 intimata (Vide illam in Collectione Documentorum ad opus hoc pertinentium.

4) Ideo etiam saepe disceptatur, an diverticulum aliquod ad territorium loci, (possessionis, Oppidi) vel vero praedium separatum pertineat. (Vide Res. Reg. 30-a April. 1784, Com. Zalad. Nro 8776 intimatam).

5) Pro ratione circumstantiarum elargita Resolutio jam indulsit, jam negavit Domino terrestri receptionem ejusmodi Praediorum, et ideo etiam particulares tales Resolutiones, quae plures existunt, instar normae generalis, seu in unam, seu aliam partem allegari non possunt. Sic v. g. talis est Resolutio Regia 19-a Jan. 1772 Nro 119 intimata inter caetera corporcitates majores distinctas et privatas Dominorum terrestrium, prout et Praedia cum cautela memorata Possessionibus pro meliori Colonorum subsistentia adjecta, a Dominis terrestribus recipi posse innuens.

6) In Banatu ab anno reincorporationis (1780) usque finem 8-bris 1794 desertae sessiones numerabantur, et quidem in Comitatu

	integrae	mediae	quartae	octavae
Temessiensi	326	722	683	448
Krassoviensi	105	747	914	1844

Restantiae Contributionales his sessionibus inhaerentes intra memoratos 14 annos in Temessiensi Comitatu 25447 florenos 50 xros; in Krassoviensi 33689 florenos 55 xros effecerunt. Dominium Camerale ex proventibus suis fere annuos 44325 florenos amisit. (Vide Pauly pag. 115 et 116).

7) Relate ad Fundos inscriptionales, qui ut urbariales occasione primaevae Regulationis Urbarialis conscripti, adeoque regulati non sunt, si Domi-

nus terrestris eos Regulationi urbariali subjicere velit, debet primum ad reluitionem eorum coram foris judiciariis, dein ad eosdem regulandos coram politicis procedere.

§ 7.

De Constitutivo Sessionali.

Sessio est complexus fundorum intravillanorum et extravillanorum (appertinentiarum) in determinata quantitate jugerorum quoad fundum intravillanum ac agros, falcastrorum (falcatorum) vero quoad prata emensorum.

Fundus Intravillanus, alias Domalis est illud spatium continuum communiter, quod domus cum area, horto, nonnunquam etiam vinea hortensi (Weingarten), quae tamen in Banatu inter fundos industriales censetur, (C. II. § 1, 3-o) et horreo Coloni occupat. (C. I, § 1; et Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 12-o; Urb. Slav. in ingressu, Urb. Ban. C. I, § 1, 1-o) Horreum tamen, et Stabulum prout vinea hortensis, quae intrafundualis etiam nominatur saepe non sunt domui immediate contigua; nihilominus ad fundum intravillanum quoque referuntur, et quidem horreum et stabulum una cum circumferentia (Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3, 12-o) Naturam Fundi Intravillani imitantur etiam Agri et Prata in compensationem illius Colonis data (C. I, § 1).

Appertinentiae – aliter Fundi Extravillani, Fundi Postdomales, etiam Appertinentiae Extravillanae dictae – sunt duplicis generis: Agri videlicet, et Prata. Ager aliter etiam Terra arabilis, vel Terra simpliciter nominari solita – est illud spatium, quod Colono hoc titulo secundum circumstantias loci, et mensuram normalem occasione primaevae Regulationis, vel etiam Re-

ctificationis aut Regulationis Urbarialis serioris emensum fuit, aut emetiendum est. In hunc censum secundum Instructionem Exeq. Mag. (Cap. II, § 3, 13-o) veniunt omnes terrae, qualicunque semine inseminatae, aut qualibuscunque plantis implantatae, aut etiam quiescentes, (in arvo existentes), seu per Colonum possessae, seu alteri in censum datae (inhypothecatae); adeoque etiam pomaria, pruneta, lupuleta, canabeta. Silvae tamen et Vineae discrte eximuntur, adeoque in sortem agrorum assignari non possunt. (Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Comit. Zagrab. intimata; et Instr. Ex. Mag. C. II, § 10). – In Slavonia nihilominus Vineae in defectu agrorum in locum horum imputantur, et respective imputari debent. (Urb. Slav. in ingressu; et Res. Reg. de 8-a 8-bris 1813 Nro 12510) – In Banatu plagae silvosae aeque in Constitutivum sessionale imputabantur, arboribus tamen in iisdem existentibus mundandae, quae respectivis Dominis terrestribus cedebant; Subditis vero eatenus compensatio conveniens fiebat. (Urb. Ban. C. III, § 1, 4-o) – Naturam agrorum imitantur Prata in compensationem illorum data (C. I § 3) – Pratum, – Fundus pratensis, Fundus pratalis, Terra Falcabilis, Foenisecium, Foenile passim quoque compellatum – est illud spatium, quod Colono aeque secundum circumstantias loci, et mensuram normâlem hoc titulo occasione primaevae Regulationis, vel etiam Rectificationis aut Regulationis urbarialis posterioris assignatum fuit, vel assignandum est; exceptis tamen Silvis. (Res. Reg. ante paulo citata; et Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o). Naturam Pratorum imitantur Agri in defectu illorum Colonis assignati (C. I, § 3).

Fundi sessionales non debent esse omnino steriles, adeoque inutiles; hi enim et occasione primaevae Regulationis Urbarialis subtrahi debebant a Constitutivo, et alii in locum illorum substitui, vel si hoc fieri non potuisset, praestationes urbariales a proportione imminuti Constitutivi, imminui quoque debebant, et idem etiam in Rectificatione urbariali vel Regulatione posteriori fieri debet. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o; et Res. Reg. de 11-a 7-bris 1771 Nro 5005, Com. Castrif. 7-a 8-bris 1771 Nro 5639 intimata; Res. Reg. de 7-a 8-bris 1771, Nro 5639; Res. Reg. de 28-a 9-bris 1775, Nro 5814; Res. Reg. de 5-a Maji 1780 Nro 2226 Comitatibus Regni Croatiae 11-a e. m. et a. Nro 3078 intimata; Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata 2-o, et 3-o). Idem denique fieri debet, si casu fatali, repletione sabuli, vel innundatione aquarum, fundi urbariales inutiles reddantur, aut etiam pars terrarum urbarialium processibus metalibus amittatur. (Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o; item Res. Reg. de 7-a 8-bris 1771, et 28-a 9-bris 1775 citatae).

Quantitas Sessionis, seu fundi intravillani, et appertinentiarum simul sumtorum dicitur ejus Constitutivum. Constitutivum sessionale et quidem: a) fundi intravillani pendet in Hungaria et Croatia a Qualitate Sessionis; 1) in Slavonia determinatum non est, sed tantum in genere spatium pro domo, area, et horto sufficiens Colonis dari praecipitur; (Urb. Slav. in ingressu) in Banatu absque respectu ad qualitatem Sessionis aequaliter in uno jugero defigitur; (C. I § 1, 2-o) b) Agri (seu Agrorum) a Qualitate Sessionis, Classificatione Locorum, et Glebae in Hungaria et Croatia dependet; in Slavonia a Qualitate Sessionis et Glebae (Urb. cit. loco);

in Banatu vero ab illa tantum; (C. I, § 1, 1-o, 2-o) c) Prati (seu Pratorum) in Hungaria et Croatia a Qualitate Sessionis, Classificatione Locorum (potius a natura pratorum ratione productionis cordi), et quantitate graminis in uno falcastro provenientis; in Slavonia a Qualitate Sessionis, et quantitate graminis; (Urb. Slav. cit. loc.) In Banatu a Qualitate Sessionis solum mensuram accipit. (C. I, § 1, 1-o 2-o) – Constitutivum integrae sessionis concernentis loci Urbarium: cujusvis vero Sessionis Tabella Urbarialis Urbario in fine adnexa, et etiam Liber Fundualis, si adest, exhibet. Urbarium Ban. omnia Constitutiva continet.

Constitutivum igitur sessionale adjunctis memoratis limitatum est. Maximum ut numerus integer consideratur, et hinc sessio, cujus Constitutivum maximum est, intregra vocatur; minimum est una octava, (in Slavonia tamen solum una quarta) Constitutivi maximi, et hinc sessio, cujus Constitutivum est minimum, Octava, (Octavalis) vocatur. Reliqua Constitutiva omnia duas vel plures octavas, (quartas in Slavonia) Constitutivi màximi in se complectuntur; ideoque Sessiones pro numero partium octavarum Constitutivi maximi vocantur Sessiones septem octavae, sex octavae, quinque octavae, et sic porro. Quatvor tamen octavae (in Slavonia duae quartae) per mediam, et duae octavae per quartam exprimi solent. Communiter Sessiones sunt integrae, mediae, quartae, et octavae. In Banatu nec aliae obtinent; quamvis hic improprie ita vocantur, cum media quarta et octava, sessio non medietatem quartam et octavam fundorum intra- et extra-villanorum partem integrae sessionis, sed semper plus, nulla proportione, (ut mihi quidem videtur) in se complectatur, uti infra pau-

lo videbimus. Magnitudo haec Constitutivi sessionis – expressione valde impropria, ut mihi videtur, sed usu etiam valde jam recepta – Qualitas Sessionis nuncupari solet. Et haec est basis omnium praestationum, quibus Coloni Domino terrestri tenentur. Hae in Urbariis (generalibus) solum pro integris Sessionibus exponuntur; pro reliquis (fractis) secundum proportionem qualitatis sessionum intelligi debent, ita ut v. g. Colonus, qui mediam sessionem tenet, praestationum pro integrae sessionis Colono (in Urbario) expositarum medietate teneatur, et sic porro. In Banatu quantitas praestationum aeque secundum proportionem qualitatis sessionum, quae tamen distincta est ab illa in Hungaria, Croatia, et Slavonia vigente, locum habet. – Constitutivum porro maximum aliud est agrorum, et aliud pratorum, pendet utrumque a Classificatione Locorum. Fundi intravillani quoad singulos, et omnes Comitatus, (Hungariae, et Croatiae) singulaque et omnia loca in uno jugero defigebatur, duarum metretarum posoniensium seu 1100 □ viennensium capace. – In Banatu integrae, mediae, quartae, et octavae occurrunt Sessiones, improprie tamen ita vocatae (uti memoravimus supra). Integra Sessio 34, media 19, quarta 11, octava 7 jugera numerat. Ex his unum jugerum absque discrimine sessionis pro fundo intravillano; pro agro integrae Sessionis 24, mediae 12; quartae Sessionis 6 jugera; pro prato integrae Sessionis 6, mediae 4, quartae 3 jugera; demum pro communi pascuo integrae Sessionis 3, mediae 2, quartae Sessionis 1 jugera deserviunt. Octava Sessio 3 jugera pro agro vel pascuo, prout nempe circumstantiae locales desiderant, et 1 jugerum pro pascuo communi numerat. Nonnunquam octava Ses-

sio 8 jugera complectitur in locis nempe planis, in quibus agricultura magis exercetur; quin tamen ideo possessor ejus majoribus praestationibus teneatur, quam alter 7 tantum jugeribus provisus, quia amplior haec dotatio tantum ut ex pura altissima gratia profecta considerari debet, quae adeoque a possessore 7 jugeribus dotato in exemplum trahi nequit. (C. I, § 1 2-o 3-o). Quia vero pascuum constitutivum exiguum esset; Communitatibus in ampliationem ejus fundi quidam extrasessionales. (Überlaudgründe) dati sunt. Nempe in Banatu 5 genera horum fundorum per Resolutionem Camerae R. H. A. 27-a Aprilis 1796 Nro 5776 ad Administrationem Cameralem Temessiensem germanico idiomate exaratam numerantur 1-o) jene Gattung Überlandgründe, welche an Gemeinden, oder Privaten durch öffentliche Versteigerung auf mehrere Jahre in Pacht gegeben worden sind. 2-o die Reservats oder Hütungs-Gründe 3-o die titulo Precarii Gründe. 4-o die Bonifications-Gründe. 5-o die Ausschnitts-Gründe. Ex his 4-i et 5-i generis velut alioquin exiguo numero ultra quoque ex integro, ex 1-i vero, et 2-i generis fundis tantum praeterea, quantum industria Colonorum in agricultura, et re pecuaria desiderat, – (quantitatem desideratam Administratio Temessiensis pro altissima ratificatione referre debuit) – Communitatibus et quidem gratuito, titulo pascui constitutivi relinqui praecipit citata Resolutio. Ne vero in casu Donationis (etiam purae) fundi hi a Communitatibus abstrahantur; eosdem in Instrumento Resignatorio specifice deduci, et singulis Communitatibus peculiare Documentum, quod illi nunquam praestationibus Dominalibus (Contributioni tamen omnino) obnoxiabuntur, sed ut pascuum subsidiarium i-

psis competent, per Testimonium Legale confici jubent Res. Reg. 22-a Febr. 1797. Nro 2569; et 30-a Jan. 1799 Nro 1572 intimatae. – Caeterum Domino terrestri in pascuo constitutivo, aut in ejus subsidium dato, pascere non licet. Contra Colonis in pratis (foenilibus) Dominalibus territorio possessionis ingremiatis, adeoque non praedialibus (in praedio separato existentibus, aut peculiari industria per dominum cinctis,) postquam foenum, aut cordum (ubi illud crescit) avectum est, gratis admitti debet. (Res. Reg. de 28-a Maji 1784 Nro 5625, – 25-a Junii e. a. Nro 13997 Com. Temes. Torontal et Krassó intimata) Sed favor hic manet etiam Dominum relate ad prata colonicalia.

Classificatio igitur Locorum pro objecto habet determinationem Constitutivi maximi Agrorum et Pratorum (in Hungaria, et Croatia) Momentosa haec determinatio quoad singulos Comitatus in Regulatione Urbariali primaeva Deputationi Classificationali incumbebat. Regens principium ejus fuit respectus, ut Colonus et quidem etiam minimo Constitutivo dotatus familiae et Reipublicae necessitatibus plene omnino praeter dominales reliquasque praestationes satisfacere possit, vitamque simul pro ratione conditionis commode transigere, ne pro duro et improbo labore tantum vitam, seu potius hanc tantum propter onera toto ejus curriculo perferenda habere videatur. Ut vero hoc principium eo facilius recte applicari posset, omnia adjuncta Comitatus cujuscunque tam faventia, quam non faventia (Beneficia, et Maleficia) quae in determinationem illam influxum habere posse videbantur; accurate prius per Exequentes Magistratuales notari, per Deputationem vero Classificationalem ad certas Classes genericas redigi debe-

bant. Pro ratione distinctionis genericae horum adjunctorum jam plures jam pauciores, sic v. g. duae in Comitatu Csanadiensi (solo); tres et quatvor in aliis pluribus, quinque etiam in Comitatu Nitriensi, et Bereghiensi constituebantur. Prima Classis adjunctis faventibus plurimis, et non faventibus minimis absolvebatur; secundae circumstantiae faventes pauciores, et non faventes plures erant, et sic porro descendendo usque ultimam classem. Inter Classes has Loca (quae regulabantur) singula Comitatus dispescebantur, ita ut locus quivis ad illam Classem referretur, cujus adjuncta (generica) cum suis (specialibus) maxime conveniebant. Pro singula Classe diversa diversum utique etiam Constitutivum maximum Sessionis defigi debuit; et quidem ratione inversa, ita ut in Classe prima Constitutivum maximum paucissimis absolveretur jugeribus agrorum, et respective falcastris pratorum, in ultima vero plurimis. Quemadmodum Tabella in fine Partis II huj. op. sub NB producta perhibet; observabatur per Deputationes classificationales (in Hungaria stricte tali) fere series arithmetica duplicata memorata inversa ratione in emensione jugerorum et falcastrorum pro singulis Classibus. Quantitas minima jugerorum est sedecim in pluribus Comitatibus, maxima vero quadraginta in Comitatu Arvensi solum. Quantitatem vero falcastrorum minimam constituunt sex, maximam viginti duo in pluribus Comitatibus. Hoc tamen hic notandum est, quod Classificatio secundum praemissam methodum quoad prata saltim, in praxi non peragebatur; quia horum Classes a procreatione cordi desumebantur. Et quia in genere prata aliqua semper, aliqua raro, aliqua tandem nunquam cordum proferunt, etiam 3 Classes generatim assumeban-

bantur; ut adeo pro ratione procreationis Cordi in aliquibus Comitatibus una tantum, in aliis duae, in aliis vero tres classes occurrant. Relate ad procreationem cordi hoc notandum est, quod si illud in pascuum ob ejus defectum convertatur, Prata pro semel tantum falcabilibus, seu non cordiferis haberi debeant, et pro talibus etiam in Conscriptionibus Tabellisque Urbarialibus occasione primaevae Regulationis Urbarialis exponenda erant, et etiam occasione Rectificationis vel recentioris Regulationis exponi debent. Si tamen defectus Pascui non sit, Subditi tamen cordo ut pascuo utantur, vel secus negligentia illorum cordum non falcetur; Prata pro cordiferis haberi, et ut talia in Conscriptionibus, et Tabellis respectivis exponenda sunt. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 14-o) – In Banatu Classificatio Locorum non quantitatem fundorum sessionalium, sed Servitutum et Datiarum determinat, quae ab illis debentur; et quidem secundum tres classes, assumpto pro fundamento earum qualitate glebae, et facilioris vel difficilioris distractionis productorum illius. (C. I § 1, 1-o, § 2, 1-o; C. IV § 1, 1-o).

Quantitas unius Jugeri relate ad agros dependet a Classificatione Glebae, aliter etiam Diverticulorum dicta, quae a Classificatione Locorum probe distinguenda est, quoad Hungariam et Croatiam. Jam ex nomenclatione apparet, quod illa aestimationem glebae, et quia haec communiter in uno eodemque diverticulo eadem, in diversis vero diversa esse solet; aestimationem respective Diverticulorum relate ad qualitatem glebae pro objecto habeat. Nihilominus ad determinationem quantitatis Jugeri ratio etiam vicinitatis ad fundum intravillanum simul influxum habet. Classificatio Glebae tri-

bus absolvitur Classibus. Ad primam referuntur agri et fertilissimi, et ad intravillanum proximi; ad secundam minus fertiles, et magis remoti; ad tertiam tandem minime fertiles, et maxime remoti. Jugerum in 1-a Classe 1100; in 2-a 1200; et in 3-a 1300 □ viennenses in se complecti debet. (Instr. Ex. Mag. C. I, § 3; – C. II, § 9; et Instr. Com. Reg. § 34; Punct. Snpplem. I; Res. Reg. 15-a 7-bris 1767 Com. Sopron. Castrif. Zalad. Toln. et Barany. intimata). In Slavonia contra Classificatio Glebae illa est, quae Constitutivum maximum verum non quoad integra loca, sed plagas tantum majores ejusdem loci defigit; vi cujus illud in terreno possessionis fertili omnino 24, minus fertili 32, minime vero fertili 40 jugera ex agris ad calcaturas juxta situm territorii aequali numero distribuendis, complecti debet. (Urb. Slav. in ingressu). – In Banatu peculiaris Classificatio Glebae locum non habet; qualitas glebae enim fundamento Classificationis locorum est. In Slavonia Jugerum Agri 1000 □; vineae vero in vicem agri datae 275 □, adeoque duo jugera, quae uni jugero agri aequivalent, 550 □ vien. absque respectu qualitatis Glebae computatur (Res. Reg. de 8-a 8-bris 1813, Nro 12510) – In Banatu Jugerum Agri, Prati et Pascui sive in planis sive montosis plagis 1600 □ vien. complecti debet. (C. I, § 1, 5-o).

Quantitas Falcastri prati occasione primaevae Regulationis Urbarialis non in orgiis quadratis, sed pro ratione quantitatis graminis per Exequentes Magistratuales oculorum tantum judicio; successu tamen temporis in orgiis etiam quadratis defigebatur. (Vide Partis II, Sect. II, Cap. I huj. op. de Rectif. Urb.) Est vero falcastrum

unum in genere ejus magnitudinis spatium, in quo unius currus in Regione vel Comitatu concernenti usitati foenum, (foenum tantum, non cum cordo simul sumtum) provenit.

Defectus in quantitate praescripta fundorum intravillanorum et extravillanorum invicem suppleri debebat occasione Regulationis Urbarialis, et debet quoque occasione Rectificationis Urbarialis vel recentioris Regulationis, jugerum fundorum intravillanorum et agrorum pro falcastro pratorum, et vicissim computando. 2) (C. I, § 1, et 3; Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 13-o; et Urb. Ban. C. I, § 2, 5-o). Caeterum Compensatio haec, praesertim pratorum, tantum tunc locum habere potest, si defectus reipsa adsit. (Res. Reg. de 18-a 7-bris 1775, Nro 4283) Fundi ejusmodi in vicem aliorum dati vocantur adjustationales; in specie vero hoc nomine insigniuntur Agri in sortem fundorum intravillanorum, et pratorum dati, qui in Tabellis Urbarialibus peculiarem rubricam (ultimam) habent. Si porro Fundi intra – vel extra – villani in quantitate exsuperent, eadem ratione invicem imputantur. Quantitas tamen infra octavam jugeri, et falcastri (quadrantis metretae pos.) exsuperans negligitur, et non imputatur. (C. I § 1.)

1) In Comitatu Pestiensi sub Regulatione Urbariali primaeva pro singulis Colonis integrae, mediae, quartae et octavae Sessionis unum jugerum mensurae normalis absque discrimine exscindebatur; cultura rei pecuariae inferiorum regni partium generatim majorem fundum intravillanum exposcente.

2) Stricte sumendo prata in sortem agrorum data ejus debent esse qualitatis, ut si in agros convertantur, paria sint quoad classem glebae et vicinitatis ad intravillana cum agris illis, in locum quorum data sunt.

§ 8.

De Consideratione Colonorum ratione Fundorum Sessionalium, et non Sessionalium.

Coloni ratione fundorum sessionalium et non sessionalium in Colonos Sessionatos et Inquilinos abeunt. Coloni Sessionati aliter etiam Coloni simpliciter dicti sunt illi, qui sessione gaudent. Inquilini vero, qui fundum tantum intravillanum, exstructamque in eodem domum, et forte etiam appertinentias, infra tamen quantitatem, quae unam octavam Sessionis constituere solet, possident. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 3-o) His demum accedunt Subinquilini, qui in regula nequidem fundo intravillano provisi sunt; sed apud alium seu Colonum, seu Inquilinum habitant, etiamsi distincto foco, et pane, ut dici amat, utantur. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 5-o).

Si plures Inquilini in eadem domo habitent, distinguendum est, an eodem, vel distincto pane et foco utantur. Si distincto pane et foco utantur, singuli praestationibus Inquilinis incumbentibus obnoxiantur; si eodem, omnes simul sumti praestationes unius Inquilini ferunt. (Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3, 5-o; item Res. Reg. 7-a Jan. 1769 Com. Sopron. intimata; et Decisum hujus Comitatus de 3-a Junii 1783. in conformitate illius) Sed in primo casu per se intelligitur, quod etiam beneficiis competentibus singuli separatim uti possint. Hoc enim tantum fundamentum, et non aliud singularis hujus dispositionis esse potest; quod videlicet Inquilini in eadem domo plures distincto pane et foco

utentes etiam beneficiis distincte utantur; adeoque ut distinctim ab iisdem praestanda praestare debeant.

Sed quomodo distinguuntur Subinquilini apud Inquilinos habitantes ab Inquilinis in eadem domo pluribus? – Praestationes sunt diversae: Subinquilinus sive eodem sive distincto foco et pane utatur, 12 manuales; Inquilinus contra distincto ab aliorum coinquilinorum foco et pane utens censum 1 floreni, et 18 dierum manuales, eodem vero foco et pane cum reliquis coinquilinis utens simul cum illis ad has praestationes in concreto pendendas concurrit. – Certe non aliter, ut mihi quidem videtur, quam quod per Inquilinos plures in eadem domo habitantes intelligi debeant ejusdem familiae homines, pater cum filiis etiamsi uxoratis, (vel filiabus emaritatis); contra per Subinquilinos homines distinctae familiae ab illa Inquilini, in cujus domo habitant. Hoc videtur innuere expressio Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 5-o apud a l i u m habitat, et evincere liberatio a distincta solutione patris cum filio, et vicissim pane eodem viventium (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 6-o); confirmare demum etiam Res. Reg. Com. Soproniensi intimata supra citata eos, qui cum parentibus uno pane vivunt, a distinctis praestationibus aeque eximens.

Si Colonus senio confectus oeconomiam filio resignaret, parte ejus sibi reservata, et separata a filii mensa uteretur, aut vero in distincta a filii domo habitaret; a proportione retenti appertinentiarum beneficii tractari debet. Adeoque ut Colonus sessionatus, si appertinentiae sessionem colonicalem hujus vel illius qualitatis adaequent, si non adaequent, ut Inquilinus appertinentiis provisus; si vero nihil ex appertinentiis sibi retinuisset, ut Inquilinus do-

miciliatus. Contra si parte proventus tantum sibi reservata eadem cum filio mensa utatur, pro Subinquilino reputari debet; si vero nec parte proventus reservata oeconomiam filio resignaret, in considerationem plane non venit, adeoque nec qua Inquilinus, nec qua Subinquilinus praestationibus obnoxiabitur. Hoc idem de filio quoque licet uxorato eodem pane cum patre vivente intelligendum est. (Instr. Ex. Mag. C. II, § 3, 6-o)

Si Colonus fundum intravillanum et appertinentias in diversorum Dominorum terrestrium territoriis possideat; a fundo intravillano ut Inquilinus, ab appertinentiis vero ut Colonus sessionatus 1) considerandus, et secundum proportionem quantitatis earundem tractandus est. (Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3; C. V, § 22, 2-o) Hoc per se intelligitur, quod in casu posteriori Censum annuum praestare non obligetur.

Si tandem Colonus plures fundos intravillanos et extravillanos in ejusdem Domini terrestris territorio teneat, a singulis praestationibus qualitati sessionis vel fundis intravillanis et extravillanis commensuratis tenebitur (Citat. Instruct. Ex. Mag. C. II, § 3; C. V, § 22, 2-o)

1) Stricte loquendo ut Colonus sessionatus considerari nequit; quia ad sessionem pertinet etiam fundus intravillanus.

§ 9.

De Abaestimatione Fundorum Urbarialium.

Abaestimatio vel Exaestimatio Fundorum urbarialium vel a) pro proprio Domini terrestris usu, vel b) causa (culpa) Colonorum locum habet.

a) Pro proprio Domini usu abaestimatio fundorum urbarialium tantum in unico casu, tituli 40-i 1-ae, locum habet. Si nempe Divisione inter plures Condividentes instituta, in defectu fundi allodialis intravillani (curialis) sessionalis condividenti uni vel alteri pro exstruenda in illa domo residentionali obtingat; hic abaestimari potest. (Res. Reg. de 26-a Martii 1774 Nro 1414, Com. Abaujvár 14-a Maji e. a. Nro 2201; – Res. Reg. de 7-a Martii 1774 Nro 1059, Com. Lipt. 17-a Martii e. a. Nro 1249 intimata.) Adeoque in regula tantum intravillanus; quia tantum hic pro exstructione domus residentionalis necessarius est. Caeterum ejusmodi exaestimatio non potest propria Domini terrestris auctoritate fieri; sed eatenus indultus Suae Majestatis expetendus est, et ideo abaestimationis hujus casus per Consilium R. L. H. secundum omnes circumstantias fine obtinendae Resolutionis Eidem substernendi sunt. (Res. Reg. de 20-a 7-bris 1773 Nro 5023, circulariter publicata 1-a 8-bris e. a. Nro 4744) Ut hoc fieri possit in Recursu qualitas sessionis abaestimandae denotari, una vero, ut necessitas abaestimationis etiam edoceatur, adnecti debet Instrumentum divisionale, ex quo portiones (ratae) Cuivis Condividenti obvenientes secundum quantitatem et etiam qualitatem pateant. Cujus vero qualitatis sessio, et an simul cum appertinentiis, vel sine illis, adeoque tantum fundus intravillanus, an item pro pluribus condividentibus una tantum vel plures, et quot sessiones abaestimandae sint; horum pro ratione circumstantiarum determinatio ab arbitrio Suae Majestatis pendet. Adeoque eatenus regulas aliquas dare non possumus. Abaestimatio vero ipsa coram Legali Testimonio per vicinos et commetaneos nuncupato prius juramen-

to fieri debet. Summa quoque investita in casu liberae emtionis venditionis ad pretium meliorationum aestimatione compertum adjicienda et Subdito respectivo in aere parato sine mora exolvenda.

Reliqua adjuncta quaecunque v. g. allodiale terrenum justo magis restrictum, ita ut operae per Colonos praestandae in usum ejus magnam partem converti non possint; melior et statui suo magis conveniens subsistentia Domini terrestris (Res. Reg. 29-a Jan. 1773 Nro 359, Com. Nitr. 12-a Febr. e. a. Nro 706 intimata) et quae sunt reliqua abaestimationi fundamentum non praebent; eo minus vero licet terras Subditorum propria auctoritate occupare (Res. Reg. 28-a Jan. 1780 Nro 6329 intimata). Imo etiam si Subditi cessioni terrarum suarum annuerent, et Contractum eatenus cum Domino terrestri inirent; nihilominus fundi Urbariales (objectum contributionis jam constituentes) ne in parte quidem occupari ab illo possunt (Res. Reg. 18-a 7bris 1775 Nro 4283 intimata; vide etiam Res. Reg. 4-a Maji 1772 intimatam).

b) Abaestimatio causa Coloni vocatur a m o t i o, v e l e l i m i n a t i o ejusdem in specie, et locum habet, si Colonus fundum debite non colat, urbarialibus et publicis praestationibus aut satisfacere non possit, aut illis satisfacere detrectet, aut demum ab excessibus frequentioribus notatus, et incorrigibilis sit. Quaestio de Amotione Colonorum articulo 35, 1791, § 1 ad deputationem regnicolarem (urbarialem) relegata exstitit, cujus opere sanctione legali nondum roborato; Sua Majestas Resolutione 15-a Junii 1802 Nro 12926 circulariter publicata usque stabiliendum diaetaliter systema hanc normam circa eliminationem observandam praescripsit: Ut

nempe parte ex una sumtibus in celebrandas Sedes dominales erogandis parcatur, parte vero ex altera sorti Colonorum plene consulatur; Domini terrestres in casibus amotionis Colonorum Sedem Dominalem celebrari curare non teneantur quidem, sed in locum illius Legale Testimonium (Judicem Nobilium, et Jurassorem) cum Fisco Magistratuali ad faciem loci evocare, quorum obligationis sit auditis pro re nata primoribus loci in causas depellendi e sessione Coloni stricte inquirere, et in casu nonnisi r e a l i u m, et s u f f i c i e n t i u m r a t i o n u m facultatem Domino terrestri, et quidem scripto impertiri, ut Colonus respectivus eliminari possit; simul vero providere, ut in locum exulis Coloni alter idoneus statim post amotionem prioris succedat, ne secus occasio sit Dominis terrestribus fundos concernentes longiori tempore vacuos relinquendi, aut plane terreno allodiali applicandi cum detrimento fundi Contributionalis; et tandem de his omnibus qua ratione executioni mancipatis scriptam Comitatui relationem praestare Protocollo Urbariali inferendam. Postquam ita Coloni eliminatio determinata est, obligatur Dominus terrestris eidem adhuc 3 mensium moram concedere, et eandem ipsi denunciare, ut intra hos partim debita sua privata et publica depurare, partim etiam de novo domicilii loco sibi providere possit. Abaestimatio superaedificatorum et reliquarum meliorationum, sicut in casu migrationis liberae Colonorum locum habere debet. (Art. 35 1791; Urb. Ban. C. I, § 2, 3, 4.) Hanc dein Resolutionem erga remonstrationes nonnullorum Comitatuum alia 31-a Maji 1803 Nro 13874 intimata ita Sua Majestas interpretatur, quod methodus praescripta in favorem Dominorum terrestrium ad temporis et

sumtuum compendium praescripta fuerit; adeoque a libero eorundem arbitrio dependeat, an praescripta vel vero legali et hucdum usu firmata methodo, Sede nempe dominali, uti velint. Tandem eadem illa Resolutio alia 26-a Martii 1811 Nro 7194 ita explanata exstitit, quod sphaera agendorum (activitas) exmissorum Legalis Testimonii, et Fiscalis pure ad quaestionem illam, num fundamentum amotionis Subditi adsit extendatur, negotio abaestimationis, seu compensationis superaedificatorum et aliarum meliorationum, (investitionumque) reliquarum item inter Dominum, et Subditum praetensionum e Nexu Subditelae promanantium, penes priorem provisionem relicto. Ne autem Coloni prius sedes suas relinquere cogantur, quam justis eorum praetensionibus reipsa satisfiat; id quoque injunctum exmissis, ut eadem occasione Subditum amovendum interrogent, num quoad praetensiones suas per Dominium plene excontentatus fuerit?, et si negative responderet, rem inter Dominum, et Subditum amicis pactis, initoque inter illos computu complanare studeant, compositione vero non succedente Dominum ad servandam Sedem Dominalem admoneant, in qua negotium controversum sua forma decidatur, et juxta decisionem hanc Subditus plene omnino excontentetur, neque ante excontentationem plenam amovendus. Tandem Exmissis imponitur, ut rationes amotionis et modum complanatarum inter Dominum, et Subditum praetensionum relatione brevi perstringant Extractibus Protocollaribus inferenda. Hac Resolutione prioribus (v. g. de 24-a Julii 1778 Nro 3789, intimata Com. Zalad. 3-a Aug. e. a. Nro 4189) quae praecipiunt, ut Eliminatio per Sedem Dominalem dictanda et per Sedriam approbanda abs-

que altiori ratificatione in effectum non deducatur, derogatum est.

CAPUT III.

DE BENEFICIIS URBARIALIBUS.

§ 10.

a) De Usu Pascui Communis (Pascuatione) et b) Sufficientia ejusdem.

a) Pascuum commune (cespes communis) est illud terrenum (plaga) gramine utile, quod pro proprio et dominali usu servatis Colonorum. (urbarialium) et in quantum his sufficiens est, etiam Domini terrestris, Officialium ejusdem, sacrorum item Ministrorum, et Ludirectorum pascendis pecoribus et pecudibus pro ratione circumstantiarum loci et industriae Colonorum in territoriis Oppidorum et Possessionum etiam Praediorum impopulatorum et incorporatorum, ac Locorum curialium jam in minori, jam in majori quantitate peculiariter excisum est. 1)

Proprietas Pascui communis est Domini terrestris, sed usus ipsi cum Subditis (excepto Banatu C. II § 7 huj. op.) communis; ita tamen, ne per excessivum dominalium pecorum, pecudumque numerum illud quaqua ratione coarctetur, eo minus autem hoc titulo secretio (privatisatio) terreni pro parte Dominii locum obtineat (Nro aul. 759 1811). Idem ab analogia intelligendum est etiam quoad pecora Officialium, et reliquorum

communi Pascuo utentium. – Ad querelam nonnullorum Subditorum, quod Officiales Dominales, Servitores, et Opifices, Notarii item, et Ludimagistri excessivum servent pecorum numerum, Resolutio circularis (vide Punct. Supp. 3-um) emanavit hujus tenoris, ut siquidem Ludimagistri et Notarii per ipsas Communitates constituantur; hae iisdem per ipsam Conventionem regulam ponere possint: Officialibus Dominalibus, et Servitoribus vero usus Pascui, ubi hoc sufficiens est, eodem modo ut aliis Colonis concedatur, adeoque major numerus pecorum, quam incolae intertenent, ipsis servari nullatenus admittatur; si nihilominus in praejudicium Communitatis numerum illum excederent, haec eatenus ad Dominum terrestrem, et hoc malo non medente, ad Comitatum se convertat. Ne vero superiores, et inferiores Officiales, ac Servitores dominales, Parochi, Ministri religionis, et Popae (fungentes), qui omnes quidem Pascuo communi gaudent, sed tantum in loco habitationis (domicilii), per excessivum numerum pecorum Subditis Pascuum praeripiant; servandorum per eosdem pecorum, et pecudum numerus ita accuratius adhuc definitus est, ut superiores Officiales dominales, Parochi, Ministri atque Popae singillatim non majorem numerum pecorum, quam integrae sessionis Colonus; inferiores vero Officiales, et Servitores dominales, ac Ludimagistri singuli non ampliorem, quam mediae sessionis Colonus in loco eodem degens in communi Pascuo servare audeant. Quia vero numerus pecorum et pecudum pro Colonis secundum qualitatem sessionum determinatus non est, Exequentes Magistratuales (occasione primaevae Regulationis urbarialis) jubebantur sex integrae, vel si non existebant, mediae aut quar-

tae sessionis Colonos de numero pecorum et pecudum per ipsos servatorum examinare, et haec in unam summam addere, per sex dividendam, itaque medium arithmetice proportionalem eruere, qui numerum praebuit pecorum et pecudum per superiores Officiales et Parochos omnis religionis servandorum. Eadem ratione procedebatur etiam relate ad determinandum numerum quoad inferiores Officiales, Servitores, et Ludimagistros, hoc tantum discrimine, quod hic loco integrarum 6 mediae et sic porro sessionis Colonorum pecora in calculum sumebantur ita, ut quantum fieri poterat, numerus ille in prioris medietate defigeretur. Haec determinatio numerica una cum rationibus ejusdem Commissario Regio referebatur, et Executionalibus in separato puncto inserebatur (Instr. Ex. Mag. C. V, § 22; et Instr. Com. Reg. § 46) 2) Species vero non alias pecorum et pecudum officiales et reliqui nunc memorati ad Pascuum immittere possunt, quam quae ab ipsis Colonis ali solent, nec privative, sed simul cum Communitatis pecoribus et sub eodem pastore (citati §).

Pascui communis usus tantum ad propria, et in usum domesticum, (proprium) vel dominalem adhibenda pecora restringitur, adeoque pecora, quibuscum quaestus exercetur, in communi Pascuo ali non possunt, bene vero succrescentia, in locum elustratorum substituenda. Pecora quaestuaria, cum quaestus in genere tantum pro dica contributionis assumi consvevit, adeoque ab illis dicas peculiariter haud ingressis peculiariter nihil etiam contribuatur, in communi Pascuo gratuito alere vetatur, verum Coloni (incolae) ad procurandum his alia ratione Pascuum obligantur. (Instr. Ex. Mag. C. V, § 22, 5-o) Sensu hujus dispositionis Resolutio Regia (de

26-a Maji 1780 Nro 3406 Com. Turocz. intimata) praecipit, Communitatem oves per nonnullos Colonos (incolas) pro quaestu coemtas in communi Pascuo gratuito tolerare non teneri, salvum interim esse Domino terrestri, cum incolis illis ratione Pascui sui privati eisdem cedendi conventionem inire. Si tamen in communi Pascuo alerentur, ab illis Dominium nec decimam, nec titulo ejus, aut alio quocunque taxam desumere potest, salva agnellorum a quaestuariis his ovibus provenientium legali nonatione et decimatione.

Coloni 3) e Pascuo communi pro jugalibus suis pecoribus cum praescitu et indultu dominali partem aliquam, Pascuum prohibititium, quia videlicet ab illa reliqua pecora prohibentur, dictam, excindere 4) possunt, ita tamen, ut ad hoc quoque pascuum propria Domini terrestris jugalia non vero armentalia pecora accessum habeant. (C. II § 3) 5)

Pecora quaecunque Colonorum in unum ubique cogenda, et sub uno pastore pascenda, privati igitur Colonorum pastores haud tolerandi sunt. (Instr. Ex Mag. C. II, § 22, 6-o; et Instruct. Com. Reg. § 45).

Usus Pascui communis in genere non habet praestationem directe, et unice sibi correspondentem, cui videlicet Colonus titulo tantum illius satisfacere teneretur. Solum (in Hung. et Croat.) usus Pascui intuitu vaccarum cum praestatione butyri conjunctus est, ut adeo, si Coloni vaccas ob defectum Pascui servare non possent, nec praestatione butyri teneantur. (Instr. Ex. Mag. C. V § 22, 7-o) In Banatu quidem butyrum aeque praestatur, sed nulla expressa ad Pascuum correlatione; in Slavonia vero Pascuum est gratuitum (P. I, 8-o).

Ut autem Pascui usus, a quo utique oeconomia ruralis Coloni multum pendet, certus et stabilis reddatur, cavetur Urbario, et Instructione Exequentium Magistratualium, ne Pascuum praesertim ubi alioquin nimis restrictum esset, seu Dominorum terrestrium, sive Subditorum nova subaratione, aut alio modo magis restringatur 6) (C. II § 3; Instr. Ex. Mag. C. V, § 22, 1-o).

b) Dominus terrestris Colonis suis pro pecoribus et pecudibus illorum (bobus, vaccis, equis, juvencis, vitulis, hinnulis, setigeris, etiam pro ratione loci ovibus, et capris) sufficiens Pascuum dare tenetur (C. II § 3; Urb. Slav. P. I 8-o; Punct. Reg. 6-um) Quantitas Pascui communis in Hung. Croat. et Slav. 7) nec ratione numeri pecorum sive singillatim per Colonos intuitu qualitatis sessionis, seu generatim per totam Communitatem intertenendorum, nec ratione jugerorum pro sessionibus singulis, vel Communitate in concreto sumta exscindendorum determinata habetur; „quod (ut habet Instructio „Ex. Mag. C. V, § 22, et Punct. Suppl. 2-um) „in omnibus ferme locis alia sit qualitas et quantitas Pascui, aliae item sint vires, et facultates populi, in aliis adsit, in aliis vero desit „huic necessitati succurrendi modus; Pascuum „autem vel debito plus restringere, vel debito „plus extendere consultum haud foret.“ – Igitur an Pascuum sufficiens sit, vel minus, in facie loci prudenti, circumspecto, et discreto judicio definiri debet, unde etiam Exequentibus Magistratualibus injunctum, ut Pascuum (oculate) inspiciant, et ductu conscientiae suae habita (conservandae) contribuentis plebis ratione in facie loci ita quantitatem ejus defigant, ut secundum Urbarium (C. II § 3) pro peco-

ribus Subditorum, in quantum situs territorii admiserit, sufficiens sit; si vero intertenendis rusticorum pecoribus insufficiens esse observarent, cum Domino terrestri, vel ejus officialibus agant, ut defectum suppleant, nullatenus autem admittant, ut contribuentes ad certum fixumque numerum pecorum restringantur, (Instr. Ex. Mag. Cap. V, § 22 1-o) Commissariis Regiis, et Exequentibus Magistratualibus eo etiam (Instruct. Ex. Mag. C. V, § 36; et Com. Reg. § 45) injuncto, ut in locis, in quibus exigua sunt foenilia, et sterilia Pascua, Subditos ad inseminationem trifolii rite invient. (Res. Reg. 9-a Julii 1774 Nro 2622 circulariter publicata) Quoad Inquilinos nihilominus numerus pecorum ita determinatus est, ut in locis in quibus Pascuum largum non est, non major quam octavae Sessionis Colono (octavalistae) numerus pecorum et pecudum (propriorum tantum) in commune Pascuum impellendorum admittatur; in locis vero Pascuum abundans habentibus major etiam numerus (occasione Regulationis urbarialis arbitrio Commissarii Regii determinatus) in communi Pascuo interteneri indulgeatur. (Instr. Ex. Mag. C. V, § 22, 3-o) In Banatu quantitas Pascui secundum qualitatem sessionis accurate determinata habetur. (vide Cap. II huj. op.).

Sed neque species pecorum per Colonos in communi Pascuo intertenendorum determinatae sunt; pendent hae a circumstantiis, et consvetudine loci. De Ovibus (Instructio Exequent. Magistr. C. V, § 22, 3-o) hoc praecipit, ut in illis locis, in quibus Pascuum tam pro cornutis pecoribus, quam etiam ovibus sufficiens est, Subditi a servandis ovibus non arceantur; sensu igitur contrario, ubi Pascui arctitudo commode ovium pastionem haud admitteret, has Colonis

intertenere cautum est. 8) Dominis vero terrestribus neutiquam licet Subditos a servandis tuguriis (quae praesertim in collibus et montibus ad fimandas terras arabiles eriguntur) inhibere, et eosdem cogere, ut oves suas ad dominale tugurium pellant; verum Colonis liberum est, oves seu domi, seu in tuguriis suis pascere (Res Reg. de 1-a Martii 1776 Nro 951 – 7-a e. m. et a. Nro 1324 Com. Scep. intimata) Caprae, quarum morsus nemori noxius imo exitiosus est, a Pascuo in silvis existente (in regula) penitus arcendae sunt. (Regul. Silv. § 25) Si tamen Subditi capras pro oeconomia sua necessarias intertenere deberent, plaga separata, (extra silvam) pro Pascuo illarum exscindatur, oportet. (Res. Reg. de 1797 Nro 17789) Ubi vero nullae silvae praesertim succrescentes, quibus Caprae noxam inferre possent, existunt, caprarum intertentio non est prohibita. (Res. Reg. 2-a 8-bris 1783 Nro 9526 circulariter publicata, qua prior in hoc merito (1778) edita Caprarum intertentionem, et multiplicationem vetans modificata est). Articulus 21 1807 (Regul. Silv. § 6) admittit, ut ubi jurisdictio (concernens) capras noxias esse judicaverit, earum intertentionem sub poena confiscationis praeter refusionem illatorum damnorum inhibere possit.

1) Definitio haec eo praeprimis tendit, ut Pascuum commune per antonomasiam ita dictum distinguatur a Pascuo illo aeque communi tam Colonorum inter se, quam et cum Domino terrestri, ac reliquis in Definitione attactis, quod in locis, ubi divisio terrarum arabilium in 3 vel 4 calcaturas obtinet, in vervacto (arvo) tam dominali quam colonicali, a primo vere usque novam subarationem (finem Maji communiter) locum habet; porro ut distinguatur a Pascuo in agris post messem (stipuletis) et in foeniseciis

tam Domini quam Coloni, post avectum foenum, et respective cordum, ubi crescit, secundum usum fere regni (excepto tamen Banatu (vide C. II § 7 huj. op.) exercito.

Quod attinet Pascuum in agris frugibus autumnalibus inseminatis, et frigore jam constrictis (congelatis) autumno exercendum, hoc nonnisi mutuo consensu (coalitione) inter Dominum terrestrem, et Colonum, in utriusque segetibus locum habere potest, secus et Domino ab agris colonicalibus, et Colono ab agris dominalibus abstinendum est. (Intimat. de 21-a Febr. 1784, Nro 3407 Com. Castrif. sonans) A pascuo vero in vineis (a festo S. Martini usque festum S. Georgii per vinicolas communiter exerceri solito) Domini terrestres penitus prohibentur Res. Reg. de 26-a Aprilis 1773.

2) Exequentes Magistratuales in Comitatu Pestiensi pro superiori Officiali, et Ministro in Possessione

	boves.	vaccas.	equos.	oves.	setigeros.
Pétzel)	6	2	3	20	2
Monor)	8	4	4	50	10

pro inferiori Officiali et Ludimagistro

	boves.	vaccas.	equos.	oves.	setigeros.
Pétzel)	2	1	2	10	1
Monor)	4	2	2	25	5

in communi Pascuo intertenendos determinarunt, numero hoc Executionalibus quoque inserto.

In Banatu Popis graeci ritus non unitis pro domestica necessitate in communi Pascuo pascendi admittuntur: boves 6, — vaccae 2, cum uno alterove vitulo, — equi 2 — oves 18, setigeri 8, (citra pendendam ab iisdem contributionem, numerum tamen hunc excedentes juxta repartitionem per Communitates institui solitam ad solutionem adstringuntur) (Res. Reg. de 16-a 10-bris 1784 Nro 14391 — 5-ta Jan. 1785 Nro 262 Com. Temes, Torontál, et Krassó intimata).

3) Quaeritur, an si in donationalibus regiis (quod omnino aliquando obtinet) usus Pascui communis — ad aliquod dominium a pluribus (compossessoribus) possessum pertinentis eorum Colonis quoque in collatis portionibus habitantibus conferatur (pro quo Coloni in recognitio-

nem juris dominalis unum laboratorem, et praeterea butyrum in quantitate Urbario defixa praestare solent) — pro censualistico, vel urbariali haberi debeat, praesertim, si unius laboratoris praestatio Executionalibus illata non sit? Aliqui eum pro censualistico, alii pro urbariali absque discrimine, alii demum ratione praestationis butyri pro urbariali, intuitu praestationis vero laboratoris pro censuali habent; ego vero pro privilegiali.

4) Praxis (Usus) hic per Colonos intelligit Colonos sessionatos, cum exclusione Inquilinorum, ex eo fundamento, quod tantum illi jugales robotas Dominio praestent. Hinc Inquilini pascuo gratuito tantum quoad pecora armentalia gaudent. An hoc sensu legum Juris Georgici? — Id certum, quod dum de numero pecorum et pecudum Inquilinis concedendo mentio est, (Instr. Ex. Mag. C. V, § 22, 3-o) distinctio, et restrictio haec nullatenus attingatur, prout nec alibi.

5) Saepe Pascuum prohibititium, et illud pro armentalibus pecoribus distincto sunt loco.

6) Consilium Regium die 31-a Maji 1771 erga querimoniam Possessionis Pellér Comitatui Baranyensi intimavit, ut ubi sufficientia Pascui communis adesset, si aliqua particula per Dominum terrestrem pro agro vel prato ex illo occupetur, haec apud eundum relinqui debeat. — Sententia Sedis Dominalis Dominii Soproniensis in Causa urbariali contra Communitatem Possessionis Loiperspach, plagam certam Ebenholz dictam fruticibus, et dumetis consitam ex 61550 □ constantem ob implantationem, et succrescentiam arborum a Pascuo prohibendam statuens per Sedem Judiciariam rejecta est ideo, quod per ademtionem quaestionatae plagae Pascuum Colonorum omnino (effective) coarctaretur, eosdemque in praehabito plagae illius usu ultra quoque relinquendos determinavit; quae sententia etiam per Consilium R. approbata exstitit 22-o Octob. 1816 Nro 30848.

7) In Slavonia quidem communiter 3 jugera ad integram sessionem calculari solent, nihilominus si adjuncta Colonorum amplius desiderent pascuum, ultra 3 jugera extendendum est in de-

fectu alterius etiam per excisionem partis silvarum (observatis tamen dispositionibus Regulationis silvarum) (Punct. Reg. 6-um)

8) Virtute Resolutionis Regiae de 22-a 8-bris 1799 ad Comitatum Castriferrei intervenientis lata in Processu urbariali Compossessorum Oppidi Mihály et Possessionis Kisfalud contra locorum horum Colonos suscitato, per Sedem Judiciariam sententia, ut intertentio ovium ob Pascui arctitudinem Colonis interdicatur, ea cum modificatione approbata exstitit, ut siquidem ipsi Compossessores vigore certae coalitionis in processu exhibitae ita se obligaverint, ut cuilibet Colono 12 ovium intertentionem admittant, Coloni a servando hoc numero Ovium non impediantur. — Comitatus Soproniensis (1785), cum gremialia loca plerumque arcto provisa sint territorio, oviumque intertentio multis utique obnoxia periculis, cornutorum pecorum ad praestandos publicos labores necessariorum intertentionem impediat, adeoque Colonis contribuentibus, qui propter ovium intertentionem persaepe foenum pro militari intertentione aere parato comparare debent, damnum potius, quam lucrum adferat, oves Colonorum pro ratione majoris vel minoris extensionis territoriorum, vel penitus sufferendas, vel ad minorem numerum reducendas disposuit.

§ 11.

A) De Lignatione, et quidem a) in Silvis privatis dominalibus, b) in Silvis Communitatis, et ad Sessiones excisis. B) De Glandinatione, et Gallarum Collectione. C) De Super inspectione et Cura Silvarum Domino Terrestri competente.

A) Lignatio est facultas Colonis (urbarialibus sessionatis, et Inquilinis, ac Subinquilinis) illis, in quorum territoriis, etiam praedialibus (praediis impopulatis, et incorporatis)

ac curialibus silvae dominales existunt, competens, jam gratis, jam vero erga obligationem sectionis vel convectionis certae quantitatis, lignis pro foco, et aedibus, saepe etiam pro instrumentis oeconomicis, ac quaestu necessariis modo praescripto fruendi.

a) Si in territorio loci silvae (dominales) existant, Colonis e deciduis et aridis (vel jam dudum succisis (Regul. Silv. § 15 17) lignis, et in horum defectu ipsis etiam vivis arboribus, (ita tamen ut primum nodosae, curvae, aut alteri usui minus idoneae adhibeantur (Regul. Silv. § 5 15 17) non tamen fructiferis, (C II § 4; Urb. Slav. P. 1, 8-o Punct. Reg. 8-um) Colono Banatus tantum ex aridis, et humi jacentibus (C III, § 1, 1-o) pro propria necessitate Lignatio focalis competit; et si in territorio loci silvae Colonis de necessaria lignorum focalium quantitate providendis non sufficerent, defectus hic ex aliis ejusdem Dominii supplendus esset. 1) Quod tamen in Slavonia et Banatu non obtinet. (Urb. Slav. et Ban. cit. loc.) Silvae porro non justo remotiores assignentur, ita ut Coloni fere vix usum Lignationis capere possint (C II § 6; Res. Reg. 27 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata). Si in territorio loci nullae plane silvae existunt, Dominium nonnisi erga taxam conventam Colonis ligna dare obligatur. (Res. Reg. de 30-a 7-bris 1776, - Com. Castrif. Nro 5173 intimata) Propria vero necessitas Colonorum relate ad ligna focalia intelligi debet salva quantitate lignorum, quae pro milite in hospitiis (quarteriis) pro reparatione viarum, pontium, contuberniorum (casarmarum) et hospitiorum militarium nec non pro ollis (crematoriis), et pinsendo pane venali Subditis hucusque submi-

nistrata fuit. Jus determinandi quantitatem lignorum focalium habita et necessitatis Colonorum, et silvarum conservationis ratione, prout etiam jus definiendi tempus 2) relate ad certos dies per hebdomadam, determinatam quantitatem caedendi, est penes Dominium. (Reg. Silv. § 47; Punct. Reg. Urb. Slav. 9-um) Urbarium Banaticum (C III, § 1, 1-o a) unam, duasve dies per hebdomadam arbitrio Dominii determinandas pro Lignatione Colonis tribui vult, extra quas silvas sine speciali dominii indultu ingredi cautum sit. 3) Si quantitas suo modo determinata, et tempus quoque hanc caedendi statutum est, ultra illam, et extra hoc Subdito ligna succidere cautum est sub poena (exemplari Regul. Silv. § 47) pro ratione circumstantiarum 3 dierum manualis laboris, 24 baculorum aut scuticarum, 3 dierum carceris, vel etiam graviori, si illis non deterreretur, auctoritate Sedis Dominalis vel Comitatus infligenda praeter refusionem damnorum nefors illatorum. (Reg. Silv. § 47; C VIII § 8.) Tempus caedendorum lignorum focalium per Regulationem Silvarum (§ 45) in menses Novembrem, Decembrem, Januarium, et Februarium defigitur. (Instr. Exequ. Mag. C V § 30; ab analogia Res. Reg. de 5-a Maji 1812 Nro locum. 10610)

Aedilia ligna Dominium Colonis tantum pro tectorum, portarum, fenestrarum, et quae sunt reliqua, non item parietum structura suppeditare tenetur; nam hi ex limo, terraque constipata, aut crudis tegulis, vel etiam caemento et lapidibus erigi debent. (Reg. Silv. § 32; 1807 a. 21 § 17; et Res. Reg. de 21-a 10-bris Nro 5231) Porro ligna aedilia tantum ex silvis in territorio loci, non vero extra illas sitis Subditis competunt, etiam si illae sufficientes non essent,

et quidem ita, ut a Dominio prius assignatio peti debeat, et hac impetrata nonnisi arbores per illud (ejus Officiales) designati caedi possint (C II § 5; citata Res. Reg.; et Reg. Silv. § 47) sub poena una vel altera e memoratis secus incurrenda. Tempus caedendorum lignorum aedilium est in regula mensis December, et Januarius. (Regul. Silv. § 45). Pro saepibus etiam vivas arbores, aut virgulta absque indultu dominali succidere sub eadem poena vetitum est. (C. VIII § 7) Urbarium Slav. Punct. reg. 9-um Lignationem aedilem ad summam necessitatem restringi, adeoque pro superiore tantum tecti parte, nequaquam vero pro trabibus aliisque ad aedificium requisitis ligneis materialibus concedi praecipit. Urbarium vero Ban. (C III § 1, 1-o, b) ligna aedilia non gratis, verum pretio taxa silvanali, quae pro fundamento aestimationis assumi solet, determinato, vel inter Dominum, et Subditos conveniendo leviori, in quantum status silvarum admittit, his tribui jubet.

Relate ad Ligna pro instrumentis oeconomicis necessaria Resolutio Regia de 22-a 9-bris 1773. Nro 5836, – 6-a X-bris 1773 Nro 5659 Comitatui Liptoviensi relate ad querimoniam incolarum Possessionis Vichodna intimata haec habet: praeter ligna aedilia et focalia vi Instructionis Magistratualium Cap. V, § 30-i Subditis competentia, ligna etiam pro reparandis curribus, aratris, occis, trahis, pecorum jugis, aliisque instrumentis oeconomicalibus necessaria, ex eo etiam, quod ejusmodi instrumenta a potiori in laboribus dominalibus atterantur, per Dominia concedantur, fabris autem pro conficiendis, reparandisque Colonorum instrumentis oeconomicalibus, proque exurendis carbonibus, cum his utique pro suo labore in reparationem aut con-

fectionem instrumentorum impenso, justum pretium persolvatur, exustio praeterea carbonum, quae e vegetis, et junioribus arboribus fieri solet, damnosa foret, necessaria ligna Dominia terrestralia gratis suppeditare non teneantur, adeoque hi ad comparanda aere parato a Dominiis terrestralibus ligna, pro praemissis usibus necessaria invientur. – Haec Resolutio ita tamen intelligenda est, si videlicet Colonis ligna pro instrumentis oeconomicis conficiendis suppeditata hactenus fuere, ut itaque nonnisi Colonis usum Lignationis hujus remonstrare valentibus competat. (Res. Reg. in Causa Dominii Vichodna, et Arva (in Com. Liptov.) ad Nrum loc. 1308 11801 3-a 7-bris; Urb. Slav. Punct. reg. 9-um) *4)* In Banatu idem de hac Lignatione quod de aedili tenendum est. (C III, § 1, 1-o b).

Tam Lignatio focalis et aedilis, quam instrumentalis ad propriam tantum Colonorum necessitatem restringitur. Igitur quaestus lignorum e Silvis dominalibus procurandorum nonnisi indulgente Domino a Subditis exerceri potest; speciatim perticas pro circulis, et palos hoc fine (quaestus) succidere, sub poena 3 dierum manualis laboris praeter refusionem damni, hac vero non sufficiente 24 baculorum, aut scuticarum, vel 3 dierum carceris, et demum auctoritate Sedis Dominalis (vel magistratuali comitatensi erga requisitionem Domini) pro qualitate delicti graviori ad exemplum aliorum quoque vetitum est (C VIII § 7 et 8). A quaestu tamen lignorum per Subditos ubicunque emtorum, hi nullatenus per Dominum terrestrem (vel ejus officialem) impediri possunt (Instr. Ex. Mag. C V § 30) *5)*.

Obligatio Colonorum (in Hung. Croat. et Slav.) juri (beneficio) Lignationis tam focalis,

et aedilis, quam instrumentalis correspondens est lignorum orgialium (focalium) pro Domino terrestri sectio et convectio (C III § 13; Urb. Slav. P. 1 3-o). Non tamen utrumque hoc onus unum eundemque Colonum titulo concessae Lignationis manet, verum ut a se invicem distincta, distinctos quoque Colonos feriunt. Sectio M a n u a l i s t i s seu Inquilinis, qui etiam lignis focalibus, et aedilibus fruuntur, adeoque minime ad classem pauperum referri possunt, quibus juxta Reg. Silv. § 46 duabus diebus per hebdomadam ligna arida et decidua in dorso domum portare licet, sub his enim pauperibus mendici intelligi debent (Instr. Ex. Mag. C V § 30); convectio vero Colonis sessionatis incumbit. (Urb. C III § 13; Decisio Com. Castrif. (Sedriae) per Res. Reg. 30-a 7-bris 1776 Nro 5173 intimatam approbata; Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata 5-o – Clarificatio per Consilium 21-a Febr. 1786 Nro 2128 Suae Majestati data) 6) Si igitur et sectio, et convectio a Colonis sessionatis praestita fuisset, dies in consectionem lignorum insumpti Colonis in robotas hebdomadales imputari debent. (citata Decisio) Idem quoque ab analogia de Inquilinis intelligi debet. – Quantitas lignorum per Manualistam consecandorum est $\frac{1}{2}$ orgia posoniensis mensurae, ita ut tam in latitudine, quam altitudine orgia posoniensis 6 pedum accurate observetnr, in longitudine vero justa proportio non excedatur. (C III § 13; et Instr. Ex. Mag. C V § 22) Si igitur Manualistae ultra quantitatem praescriptam ad lignorum orgialium consectionem adhiberentur, ea aeque in robotas hebdomadales imputari debet. (Decisio Com. Castrif. de 1771 per Res. Consilii 28-a X-bris 1772 Nro 5596 intimatam approbata) – Quan-

titas vero lignorum focalium per integrae sessionis colonum 4 *jumentis provisum* 7) vehendorum est una orgia aeque mensurae posoniensis (cit. loco) etsic porro a proportione qualitatis sessionis (cit. loco) – Tenetur vero Colonus e silvis per Officialem dominalem designandis (in Slav. e silvis in *territorio Possessionis* existentibus (P. 1. 3-o) ad curiam, vel allodium dominale, aut quemcunque alium intra territorium dominii destinandum locum quantitatem praescriptam convehere (cit. loco). Tempus hujus convectionis est circa festa natalitia (Nativitatis Domini), dum videlicet tempus est caedendorum lignorum (Instr. Ex. Mag. C V § 22). Licet tamen Domino terrestri convectionem et sectionem hanc in aliam aequivalentem per Colonum praestandam operam mutare et quidem Convectionem integrae orgiae in jugalem unius diei laborem, sectionem vero mediae orgiae in unius diei laborem manualem hyeme perficiendos, observata quoad jugales labores proportione secundum qualitatem sessionum. 8) (Instr. Ex. Mag. C III § 14) Quod vero exactio operarum a Subditis, qui Lignatione non fruuntur, illegalis adeoque illicita sit, exactaeque compensari debeant, per se intelligitur. (Nro $\frac{10692}{18240}$ 1806; Pctum suppl. 15-um; Res. Reg. de 25-a July Nro 2369 Com. Arv. intimata) Colonus Banatus (C III § 1, 1-o et 3-o) ab obligatione sectionis et convectionis immunis Lignatione focali gratis fruitur.

b) Si in aliquo loco silvae ad rationem Communitatis, vel vero ad singulas sessiones excisae sunt, (occasione Regulationis urbarialis primaevae arbitrio Colonorum deferebatur, num Lignatione ex illis potius uti hactenus, quam silvis privatis dominalibus frui velint), in illis

Lignatio focalis, et aedilis Colonis absquê ulla sive convectionis, et sectionis, seu alia praestatione, 9) ad propriam eorundem necessitatem libera est, ita tamen, ut tunc ex silvis dominalibus privatis (in regula) 10) non competat (C II § 8) et pro foco decidua et arida aut jam pridem succisa ligna, ac nonnisi his deficientibus vivae etiam arbores (non tamen fructiferae) et prius curvae, nodosae, alterique usui minus idoneae adhibeantur; (Urb. Ban. C III, § 1, 1-0, c; Reg. Silv. § 5 15 17) pro aedibus autem necessaria ligna nonnisi speciali Dominii indultu decutiantur, quemadmodum id de Lignatione in silvis Dominalibus stricte talibus diximus. Quantitas lignorum focalium, uti et tempus illa caedendi, etiam in silvis his, quemadmodum in dominalibus (stricte talibus) per Dominium determinatur. (C II § 8; Res. Reg. de 25-a Julii 1774 Nro 2369 Com. Arv. intimata; item Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata) Subditis, – qui tantis Communitatum, aut juxta sessiones excisis silvis provisi sunt, ut absque harum devastatione quaestum cum lignis exercere, neque illo sine subsistentiae suae praejudicio carere possint, – moderatus quaestus sub discreta Domini terrestris superinspectione, et Magistratus etiam Comitatensis ad avertendam omnem silvarum devastationem vigilantia admittitur. (Punct. suppl. 13; vide etiam Instr. Ex. Mag. C V § 30; et Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagr. intimatam) Casus tamen ejusmodi occasione Regulationis Urbarialis primaevae medio Comitatus Suae Majestati pro impertienda Resolutione referri debebant, (Instr. Ex. Mag. C V § 30) quod modo quoque observandum est.

B) Glandinationis beneficium Colonis (urbarialibus sessionatis, Inquilinis, et Subinquilinis) in Hungaria et Croatia in silvis dominalibus in territorio loci (incolatus) sitis (quorsum etiam praediales in praediis impopulatis et incorporatis existentes referuntur 11) competit, et quidem in silvis stricte dominalibus erga pretium a singulo sabellico 6 cruciferorum minori, 12) quam extranei solvunt. (C II § 7) — In Banatu in silvis ejusdem Dominii, (etsi igitur in territorio loci Silvae non existerent). Glandinatio Subditis competit, et quidem a sue majori 6 xrorum, a minori vero 3 xrorum pretio, ita tamen, ut glandes spatio 3 mensium suibus in silvam admissis sufficiant, secus damnum non sufficientibus glandibus illatum, Dominus terrestris Colonis refundere obligatur. (C III, § 2, 1-o 2-o) Urbarium Slav. (P. 1, 10-o) Colonis Glandinationem aeque generatim in Silvis dominalibus admittit, ita ut si illa 8 hebdomadibus sabellicis sufficiat, a majore sabellico 12 xros, a mediocri 9, a minori vero 6 xros titulo census Domino terrestri solvere obligentur. Ab arboribus tamen glandiferis extra complexum silvarum in hortis, campis, aut secus vias existentibus censum aliquem exigi vetat. In silvis vero sessionalibus, vel Communitatis absque ulla praestatione, ad propriam tamen necessitatem solúmmodo, et ita ut Coloni silvis his provisi Glandinationem in silvis dominalibus privativis (pretio 6 xrorum leviori aut determinato in Banatu et Slavonia) praetendere haud possint. (C II § 8. Urb. Ban. C III § 2, 1-o.) Si nihilominus (in Hung. et Croat.) in Silvis Communitatis, aut sessionalibus Colonorum nullae penitus glandes procrearentur, tunc prae extraneis (praeferenter) quidem, pre-

tio tamen eodem, quod hi solvunt, Dominus terrestris in silvis suis glandinationem iisdem admittere debet. In silvis dominalibus extra territorium loci adjacentibus, (prout etiam praedialibus in praedio non impopulato aut incorporato sitis) Glandinatio nonnisi erga censum cum Domino terrestri paciscendum, Subditis admittitur. (C II 8) Dolosa in silvis dominalibus Glandinatio duplicata taxa plectitur.

Gallarum Collectio Colonis (urbarialibus sessionatis, Inquilinis, et Subinquilinis) nonnisi in silvis Communitatis, vel ad sessiones excisis competit. (C II § 8; Urb. Ban. C III, § 2, 3-io) In silvis vero dominalibus privativis (etiam praedialibus seu incorporatis, seu separatis) vetita est sub poena confiscationis, et 3 dierum manualis laboris; (C VIII § 11) Urbario Slav. (P. 1, 10-o) sub moderata castigatione praeter refusionem damnorum. Adversus extraneos Subditos in collectione gallarum deprehensos, via legali ordinaria praescripta. (Res. Reg. 17-a Maji 1773 Nro 2253 circulariter publicata)

Silvestrium demum fructuum Collectio tam in silvis dominalibus (etiam praedialibus seu incorporatis, seu separatis) quam sessionalibus et Communitatis Colonis pro domestica necessitate admitti debet. (Instr. Ex. Mag. C V § 30) Colonis tamen Slavoniae hic favor expresse negatur (P. 1, 9-o).

C) Superinspectio et Conservatio silvarum, etiam sessionalium et Communitatis immediate Domino terrestri, (C II § 8; C VIII § 7 et 8; Urb. Ban. C III, § 1, 2-o) mediate vero Comitatui quoque respectivo (1791 75 et 1807 21) incumbit. 13)

1) Resolutio Regia 21-a Julii 1766, Nro 1179 in Processu urbariali contra Colonos Dominii Németh

Ujvár Comitatui Castriferrei intimata inter reliqua etiam id praecipiens, ut focalia, non secus aedilia ligna erga assignationem, et designationem Dominii gratis nonnisi in eodem territorio Colonis concedantur, velut Regulationem urbarialem 23-a Januarii 1767 publicatam praecedens etiam eidem, Lignationem focalem, si in territorio loci silvae non essent sufficientes, etiam ex aliis Dominii ejusdem silvis Colonis concedendam esse statuenti, derogare posse non videtur.

) Resolutio Regia de 24-a Martii 1786 27-a Aprilis e. a. Nro 1804 circulariter publicata in concursu Comitatus certos pro Lignatione dies fine conservationis efficatioris silvarum defigi vult, ita tamen, ut si nefors propter nivium copiam, aut viarum molestiam (impracticabilitatem) defixis diebus ligna e silvis devehi non possent, Dominia terrestralia alios determinare obligentur.

) Determinatio haec non propria, sed Sedis Dominalis auctoritate tantum locum habere potest, et revisioni Sedriali semper subest; quia quae Subditorum conditionem e nexu subditelae fluentem relate ad fundos urbariales eorumque accessoria, respiciunt, auctoritati Domini terrestris soli non subsunt, nisi in casibus diserte per dispositionem legum illi subjectis. Secus solet etiam exmissio Magistratualium a Comitatus concernentis universitate peti, qui cum influxu Domini terrestris normam quoad rationem caedendorum lignorum focalium et aedilium ponunt.

) Pro palis vinaceis, circulis, ponendisque aedificiis promontorialibus necessaria ligna Domini terrestres Subditis gratis subministrare non tenentur, cum vineae ad Constitutivum sessionale non pertineant, nec Urbarialis Regulatio, Lex, aut Resolutio Regia ulla id praecipiat, usus vero praevigens contrarium doceat. Ita fere vulgus practicorum argumentatur, sed non usquequaque recte. Resolutio Regia de 26-a Aprilis 1771 Com. Zalad. intimata quaestionum practicarum dives, et saepe in hoc opere citata ita inter caetera habet: „in quantum tamen ex iisdem Promontorialistis nonnulli Subditi simul dominales forent, iisdem tam palisatio-

nem quam vero pro circulis necessariorum lignorum desectionem citra ullam pecuniariam praestationem in conformitate Urbarii Puncti 8-i § 7, aedilium vero, et focalium in conformitate B Instr. Ex. Mag. C V § 30 praestandam venire. In quantum porro a talibus Dominium post introductam urbarialem Regulationem hos 15 denarios desumsisset, eorundem bonificationem etiam pro praeterito iisdem qua proprii Subditis per Dominium procurandam. Si autem extranei, et non proprii Subditi fuerint, hos a libero Dominii arbitrio ultro quoque quoad praestationem palorum, lignorumque pro circulis dependere debere, adinveniri." — Nec quis putet, male enim putabit, hanc Resolutionem contradictionem involvere, quod fundet se in Urb. Puncti VIII § 7, qui perticas pro circulis, aut palos absque speciali dominii indultu secare prohibet, statim enim subjicitur, hosque et illas in aliud terrenum transponere et vendere, ac per consequens quaestum cum lignis exercere licitum (non) erit, ex quo manifeste patet, quod sectio perticarum pro circulis, et palorum, tantum si ea quaestus gratia fiat, absque indultu dominali interdicatur, non etiam si pali, et circuli in propriam necessitatem convertantur; et utique ex eo, quod indultus peti debeat, adhuc non sequitur, quod ligna pro usu memorato Colonis non competant, secus ex eadem ratione nec aedilia ligna ipsis competerent; nec quod vineae non pertineant ad Constitutivum sessionale, quidquam officit, quia v. g. nec exustio Cremati, viae, pontes illuc pertinent, et tamen ductu Instructionis Exeq. Mag. C V § 30 si Subditi hactenus in usu fuerunt, ligna pro illis Dominium suppeditare tenetur. Caeterum non nego usum plerumque contrarium vigere.

5) Usus arborum in pratis (Instr. Ex. Mag. C V, § 30) et subvinetis (fundis subvinealibus) existentium, Colonis liber est. (Res. Reg. 26-a Aprilis 1773 intimata.)

6) Ita videlicet Clausulam in Clarificatione illa contentam interpretari cogor, postquam usus et etiam Resolutiones quaedam (Resolutio 30-a 7-

bris 1776 Nro 5175 Comitatui Castriferrei intimata) illam ita interpretantur. Clarificatio autem tota ita sonat: obligationem sectionis ab onere convectionis distinguendam venire, nec utramque unum eundemque titulo concessae Lignationis manere; verum vecturam Colonis sessionatis, sectionem vero Manualistis (seu illi sint coloni pro hoc manuali labore applicandi, seu Inquilini aut etiam mercede conducendi, seu demum Subditi, et Inquilini ita, ut eorum opera in robotam imputetur, diserte imponi. — Ut vero lector benevolus de illa judicium congruum ferre possit, has reflexiones velim perpendat: Instructionis Exeq. Mag. Capitis V. § 23 ex professo recensens praestationes Inquilinorum, praeter servitutes manuales dierum 18, nonam in natura vel aequivalenti ab appertinentiis, si quas possident, pendendam, censum item annuum, nullas alias memorat, imo diserte in verbis: „reliquae autem omnes rubri„cae (Tabellae urbarialis) veluti Inquili„nos nulla ratione concernentes, du„ctis ubique per transversum lineo„lis absolvantur" omnes alias excludit, adeoque et sectionis lignorum obligationem. Resolutio Regia relate ad Regulationem Urbarialem (primaevam) Comitatus Zagrabiensis 27-a 9-bris 1780, Nro 7145 eidem intimata per Manualistas intelligit Colonos sessionatos jumentis destitutos, et his obligationem sectionis lignorum imponit: „et ubi subditi bene„ficio Lignationis fruuntur, illi, qui „jumentis provisi sunt, nonnisi ad „convectionem, his vero destituti „ad solam a proportione sessionum „suarum lignorum orgialium conse„ctionem teneantur." Sed replicatur: si Inquilini non tenentur obligatione consectionis lignorum, neque Lignatio focalis, aedilis, et reliqua ipsis competere potest; cum Lignationis beneficium correspondentem convectionis vel sectionis lignorum obligationem habeat, aequumque esse, ut qui beneficio fruitur, et onus illi correlatum ferat, neque Inquilinos plus juris in hac re praetendere posse Colonis sessionatis. — Ad haec responderi vicissim potest:

Inquilinis Lignationem quemadmodum Coloni sessionatis per Urbarium tributam, obligationemque Dominis hanc eis concedendi impositam fuisse vel illud evincit, quod Urbarium (C II § 4, 5) absque distinctione (quam utique non neglexisset secus) inter Colonos sessionatos, et Inquilinos, Lignationem subditis (colonis) in genere, sub quibus etiam Inquilini continentur, licitam esse statuat; rem vero conficit Instr. Ex. Mag. C V, § 30, qui Inquilinis Lignationem competere diserte asserit. Quod attinet argumentum ex aequitate depromptum, illud potius militat pro liberandis Inquilinis ab obligatione sectionis; quia videlicet Inquilini communiter appertinentiis destituti, solumque fundos intravillanos possidentes praeter censum domalem 1 floreni (et nonam ab appertinentiis, si quas habent) 18 dierum manualem laborem praestant, contra Colonus octavae sessionis tantum 6 1/2 dierum jugalem, vel 13 dierum manualem adeoque 6 diebus breviorem praestat, et hic tamen beneficio Lignationis (et reliquis) fruitur, erga convectionem 1/8 orgiae, Inquilinus vero ad mediam orgiam consecandam, adeoque unius diei laborem praestandum stringitur; aequissimum itaque videtur ipsum ab hac obligatione immunem pronunciare, et certe non aliam ob causam Urbarium, quod in omnibus praestationibus proportionem arithmeticam religiose observat, longiorem 6 dierum laborem Inquilino, quam Colono 1/8-ae sessionis injunxisse censendum est, quam quod illum ob majus hoc onus ab omnibus praestationibus pro usu beneficiorum Pascui, et Lignationis liberum simul esse voluerit, prout Instructio Ex. Mag. Capite et §pho citato diserte innuit. Et hinc etiam intelligi potest, quare Compilator Urbarii singulari vocabulo Manualista, quod nullibi secus occurrit, usus fuerit, si enim Inquilinos designare voluisset, certe hoc nomine illos compellásset, sed recte quia Colonos sessionatos, qui ad sectionem ob defectum jumentorum applicantur, designare, onusque vectionis ab onere sectionis distinguere volebat, illos Manualistas vocabat. Idem quoque de Subinquilinis esto judicium, et quidem jure potiori, hi enim duo-

decim dierum manualem robotam, adeoque fere aequalem, cum Colono octavae sessionis praestant solum propter usum aedium ad Colonum, vel Inquilinum alium spectantium, pro quibus seu potius fundo, cui superstructae sunt, jam hi censum annuum 1 floreni Domino terrestri solvunt. Sententia Practicorum nonnullorum, quod Inquilinis, nisi ante intoductionem Regulationis urbarialis primaevae, quod Examen ad 9 Puncta exhibet, in usu lignationis focalis praefuerint, eadem non competat, nullo plane innititur fundamento. In Slavonia tantum Colonis sessionatis et quidem jumentis gaudentibus vectionem illis vero destitutis sectionem impositam Inquilinosque penitus ab utraque absolutos esse, patet ex Urb. Slav. P 1, 3-o,,A quavis integra sessione per annum Colonus tenebitur Domino terrestri ad Allodium suum ex sylvis, quae in territorio Possessionis, quam incolit, sunt, convehere unam orgiam lignorum, per eosdem tandem Incolas,qui jumentis destituuntur,ultra praescriptum laborum numerum, servata tamen inter hos proportione consecandorum."

7) Urbarium (C III § 13) ita habet: ,, Ex ratio-,,ne Lignationis tam focalis quam aedilis Subdito gratis admissae, singulus Colonus inte-,,grae sessionis 4 jumentis provisus — unam or-,,giam lignorum — — devehere teneatur, et sic ,,a proportione mediae, quartalis, et octavalis ,,sessionis Coloni." — Cur Compilator Urbarii adjecerit 4 jumentis provisus, non satis liquet; Voluitne ille hanc obligationem a numero jumentorum mensam haberi, ita ut Colonus integrae sessionis, et sic a proportione tantum tunc teneatur unam vel mediam orgiam convehere, si 4 jumentis gaudeat. Certe si voces 4 jumentis provisus, non penitus inanes sunt, aliterlocum hunc vix interpretari possumus. Caeterum quod usus illam non ita interpretetur, perbene scio, hic videlicet nullam reflexionem vocum memoratarum habet, et absque respectu ad pecora, quibus Colonus gaudet, ab integrae sessionis Colono, integrae, et sic porro. imo saepe absque discrimine qualitatis Sessionum integrae orgiae Convectionem exigit. Ne tamen

voces citatae 4 jumentis provisus inanes penitus videantur, aliqui usum earum capiunt ita, ut Inquilinos etiam jumentis provisos ad vectionem in locum sectionis adstringant; quod tamen tolerari nisi volentibus Inquilinis non potest, cum Urbarium citato loco diserte vectionem tantum Colonis sessionatis injungat.

8) Urbarium ita tenet: „devectio quidem jugali unius diei labore; ligna vero caedentium „duorum manualistarum singillatim itidem unius diei labore manuali hieme perficiendo „peragatur." — Quod Resolutio Consilii L. H. 21-a Febr. 1784 Nro 3407 Com. Castriferrei intimata ita intelligit; ut cum Urbarium absque ulla qualitatis sessionum distinctione admittat, ut in locum sectionis, et devectionis urbarialium lignorum unam jugalium, et duas manualium robotarum dies Dominium exigere valeat, et alioquin ex Lignatione unum idemque beneficium percipiat integrae, mediae, quartalis, et octavalis sessionis Colonus, ex cujus beneficii motivo nimirum orgialium lignorum praestatio determinata habetur; hinc Dominio admittendum esse, ut a' cujuscunque demum qualitatis seu quippe integrae, seu mediae, seu quartalis, aut octavalis sessionis Colono unius diei robotam jugalem praemisso titulo desumere possit. — Quod tamen cum spiritu Urbarii minus convenire videtur, cum et obligatio convectionis mensuram accipiat a qualitate sessionis ita, ut Colonus integrae sessionis integram orgiam, mediae mediam, quartae (quartalis) sessionis Colonus quartam orgiae tantum convehere obligetur, secundum claram dispositionem ejusdem (C III, § 13), adeoque commutata vectione lignorum in aliam speciem robotae, haec quoque qualitati sessionis approportionanda sit. Et hoc idem de sectione intelligendum est. Ratio, quod absque respectu qualitatis sessionis Coloni Lignatione fruantur, nec adaequata est, eo minus vero contra claram dispositionem Urbarii valere potest. — Sensu hujus interpretationis Comitatus Castriferrei (Anno 1773) determinavit, ut quoniam titulo consectionis unius quartae orgiae lignorum nonnisi mediae diei manualis robota Dominio competeret, si plus ex-

actum fuisset, eatenus imputatio in robotas hebdomadales fiat. Communiter tamen citata Resolutio pro directione (in praxi) adoptatur.

9) In aliquibus Comitatibus Usus (!) Colonos etiam a Lignatione in silvis sessionalibus aut Communitatis exercita sectioni et respective convectioni lignorum subjicit.

10) Si videlicet silvae sessionales, aut Communitatis usui Colonorum pro ratione circumstantiarum loci sufficiant. Resolutio Regia in Processu Urbariali Colonorum Possessionis Gyanó Comitatui Castriferrei 1-a 8-bris 1799 Nro 22789 intimata inter caetera ita habet: „dignata est sua Majestas resolvere. ut in quantum Coloni e silvis suis privativis post sessiones suas admensis debitam provisionem habituri non essent; Dominia respectiva suis Colonis e privative sibi admensis subvenire teneantur. "

11) Et sub hac modificatione intelligenda est dispositio Urbarii C II § 7 „in praedialibus vero silvis beneficio hoc Glandinationis fruentur (Coloni) erga censum cum Dominio pactandum: "

12) In praxi communiter beneficium Glandinationis Communitatibus in concreto sumtis in censum in inter Dominum et Subditos conventum datur, aut vero auctione (Licitatione) plus offerenti cedit, ut adeo Coloni Glandinatione ut beneficio vix gaudeant.

13) In Ordine Silvanali (Regulatione Silvarum) de 22-a X-bris 1769, 15-a Martii 1770 circulariter publicato, relate ad superinspectionem, et conservationem silvarum, quae ad propositum nostrum faciunt, haec occurrunt, hic loci memoranda:

1-o Vivae arbores, quae successive in altum excrescunt, et facile distrahuntur, pro cingendis agris, pratis, et pascuo in illis solum locis adhibeantur, quae lignis caeteroquin abundant, beneficio vero distractionis eorundem carent. Caeterum pro ejusmodi cincturis neque asseres, neque ligna fissa bifissa, verum frutices et semipigmeae arbustorum species adhibeantur, vel vero loco complexorum e virgis saepimentorum murus, vel vivae saepes ex genista spinosa, vel pruno silvestri etc. etc.) ponantur.

2-o Tempore messis manipuli (capetiae) non succisis in hunc finem virgultis, sed stramine ligentur. (§ 33)

3-o Arbores pro solennitatibus primae Maji, Ecclesiarum item et Processionum (praesertim ubi defectus lignorum est), porro apices arborum praesertim pinorum pro hederis non adhibeantur, sub poena gravissima (§ 34)

4-o Succensio arescentium herbarum, et deciduorum ex arboribus foliorum vere, et autumno, quae per pastores praeprimis, partim ut gramen in usum pascui aestivi laetius crescat, partim et saepius ex petulantia solum institui solet, sub gravissima aeque poena prohibeatur, et in majorem securitatem silex, chalybs, et fomes ac pipa (tubus pro hauriendo fumo tabacae) his interdicatur. Eo magis succensio arborum vivarum, vel etiam arescentium, aut truncorum, jacentiumque hinc inde lignorum interdicatur. Taedae vero ligneae pro lychnis, et candelis, ac facibus nonnisi erga expressum indultum Dominii adhibeantur. (§ 36) **

5 o Plaga, in qua arbusculae sponte sua innascuntur, et spem futurae silvae praebent, a pascuo pecorum inhibenda, illudque alibi si fieri potest, exscindendum, non tamen (quod per se intelligitur) in succrescente silva. (§ 39)

6-o Domos vel Gazas in silvis absque indultu dominali Colonis struere non liceat. (§ 40)

7-o Silvae controversiae obnoxiae a devastatione tueantur. (§ 42) Modum tuendi praescribit articulus 21 1807.

8-o Cujusque domus incola circa domum, aream, hortum, horreum, aut prata singulis annis arbores solo convenientes adminus 20 plantare teneatur. Quem in finem in singulis Communitatibus seminarium seu schola arborum constituatur, unde arbusculae transplantationi aptae petentibus gratis suppeditentur, interea autem ex silvis aeque gratis concedantur. (§ 50)

9-o Silvae pluribus Compossessoribus communes aut inter hos proportionate juxta praescriptum legis (1807 21) dividantur, aut vero conventione inter illos inita silvarum usus se-

cundum normam ordinis silvanalis determinetur. (§ 53)

10-o In succisione arborum in locum securis serra adhibeatur, praesertim ubi penuria lignorum. Succisio vero ipsa proxime ad terram instituatur. (§ 9, 17, 52) Cum vero arbores adultae non facile amplius pullulent, (germinent) harum trunci una cum radice evellendi. (§ 4) Frondes demum caesarum arborum colligentur, et in usum convertantur. (§ 10)

11-o Ligna focalia usque finem Martii aut 15-am Aprilis e silvis devehantur, ne si id serius fiat, per pecora et currus arboribus pullulantibus jam, et frondescentibus teneris virgultis noxa inferatur. (7, 16)

12-o Silvarum jam nimis desolatarum arbores reliquae etiam caedantur, et si defectus lignorum est in territorio loci, plagae succisae noviter implantentur. (§ 24)

13-o Silvae novellae (in quibus arbores elapso sexennio ad radices sedulo repurgandae (§ 8) a pascuo pecorum, praesertim caprarum (quae auctoritate Magistratus Comitatensis a silvis penitus arcendae essent) donec arbores in tantum excreverint, ut pecora frondes attingere non possint, inhibeantur. Viae (quae quantum fieri potest rectae sint, et si publicae 4 orgiarum latae) in silvis non multiplicentur, verum antiquae conserventur. (§ 25, 28, 38)

14-o Succisio ramorum frondescentium (frondosorum) pro pabulo pecorum hyemali (hyberno) tamquam silvis noxia sub exemplari poena vetita sit; verum ut hoc beneficio silvarum possessores ultra frui valeant, celerioris incrementi arbores (populi, salices etc.) circa septa hortorum aliisque opportunis locis extra nemus plantentur, quorum frondes facile utique restaurandae pecoribus praebeantur. (§ 26) Urbarium Ban. (C III, § 3, 3-o) succensionem silvarum, si studio fiat, ut delictum criminale considerari, si vero culpa accidat, poena legali plecti vult.

15-o Metae silvarum etiam sessionalium vel Communitatis omni decennio revidendae, et reparandae. (§ 42)

16-o Si silvae communes vel ad sessiones excisae tam vastae fuerint, ut subdivisionem in

plures annos patiantur, haec non negligenda, et juxta illam, non vero promiscue ligna debito tempore caedenda. (§ 12, 29, 45 47)

17-o Exstirpaturae (etiam in silvis Communitatis, vel ad sessiones excisis) sine indultu dominali non fiant. (1807 21, C VIII § 6)

18-o Silvae stagnosae etiam sessionales, vel Communitatis per ducendos opportuno loco canales siccandae. (§ 48)

19-o Ut haec et reliqua in Regulatione silvarum contenta puncta accuratius observentur, in quovis Comitatu uni ex Magistratualibus peculiari eatenus salario providendo cura deferenda est. (§ 24)

20- Ubi lignorum defectus est, plagae vacuae nec segetibus, nec vitibus aptae, arborum seminibus conserendae, si situs admittat. (§ 21)

21-o Decorticatio arborum, velut silvis exitiosa sub poena severa vetetur. (§ 35)

Haec tamen Regulatio silvanalis ita observanda est, ut per illam praescripto Urbarii quoad ligna focalia, et aedilia reliquaque Colonis sessionatis, et Inquilinis (ac Subinquilinis) competentia nullatenus derogetur, verum potius utrique, si vexandi et damnificandi studium absit, invicem compatibili plene omnino satisfiat. Comitatus vero, et in specie ille, qui per eundem ad Regulationem silvarum in effectum deducendam constitutus est, sollicitam curam gerat, ut dispositio Urbarii reliqua inter etiam relate ad Lignationem focalem, et aedilem Colonis competentem accurate observetur, omnisque horum querela eatenus investigetur, et (pro ratione circumstantiarum) Consilio Regio Locumtenentiali referatur. (Instr. Ex. Mag. C V § 30)

* Huc accedit Resolutio Regia de 1-a Martii 1776 Nro 951 7-a e. m. e. a. Nro 1324 Com. Scepusiensi intimata, ad praecavenda damna per frequentiorem saepium mutationem silvis inferenda, pro tuguriis et cingendis per tempus nocturnum ovibus crates portatiles ex asserculis confici praecipiens.

** Resolutio Regia 4-a Januarii 1771 Com. Sümeghiensi intimata, observato ex Investigationibus urbarialibus per dictum Comitatum repraesentatis, quod Taedae hae nonnisi erga unum ma-

nualem laborem per quemlibet hospitem praestandum pro lychnis concedantur, rescripsit, ut Resolutioni Regiae relate ad Taedas ejusmodi pro lychnis non difficultandas, jam prius intimatae insistatur, adeoque Taedae hae, ubi hactenus in usu fuerunt, deinceps quoque citra peculiarem aliquam praestationem Colonis concedantur.

§ 12.

A) de Educillatione (Epocillatione) et quidem a) de determinatione juris Educilli Domino et Subditis competentis, b) de modo exercendi illius B) de Quaestu cum vinis Colonis competente.

A) Educillatio (Educillum) est facultas Colonis (urbarialibus) competens, vinum in minutis legalibus mensuris certo et determinato tempore ac modo distrahendi.

a) Educillum est Jus regale minus seu curiale, quod facultatem involvit non tantum vinum, verum omnis generis potus spirituosos minutis mensuris vendendi, et ita Dominis terrestribus ex lege competit, (1550, a. 36; 1567, 38; 1655, 31) aliis vero praesertim Curialistis et Communitatibus 1) ex privilegio usu roborato, vel etiam praescriptione legitima (1598, 35). Colonis vero tantum vinum 2) (in Comitatu Sirmiensi tamen etiam Crematum, praeter facultatem Commitatibus formalibus Diversoriis provisis tributam intervenientibus (peregrinis) cibos quoque praebendi, Punct. Reg. 15-um) determinato tempore, et tantum in territorio loci, in quo habitant (incolatus) educillare Leges et Urbaria permittunt (1550, 36; 1655, 31; 1559, 51; 1553, 12; et C II § 1;

Urb. Ban. C II, § 1, 1-o; Urbar. Slav. P. 1, 6-o, et Punct. Reg. 15-um) Annus nempe ratione educilli vini inter Dominum et Subditos divisus est (citatae leges, Instr. Ex. Mag. C V, § 3o) ita videlicet:

1-o) Subditis seu parvam seu magnam Communitatem constituentibus, si in territorio suo promontorium, quod vineae hortenses tamen non sunt, sive amplum sive exiguum habeant, educillum vini a festo S. Michaëlis usque festum S. Georgii militis et martyris seu medii anni 3), si autem in territorio suo promontorio careant a festo S. Michaëlis usque festum nativitatis Domini, seu quadrantis anni (quartalis anni, angaricale) competit, etiamsi hactenus in usu Educilli non fuissent. (ductu Res. Reg. 8-a Martii 1771 ad quaestionem eatenus per Com. Zol. motam intimatae) Hinc dispositio articuli 31 1655-i „Ubi vero hactenus juxta eosdem etiam terminos rustici in usu educilli non fuissent, talibus nec imposterum liberum sit Educillum" sublata est, neque tantum vi citatae Resolutionis, sed argumenti illius quoque, quod Urbarium (C II, § 1) absque discrimine usus praevigentis vel non praevigentis Colonis Educillum vini determinato per provocatum articulum 3o-um 155o tempore tribuat. Communitatibus montanis (montanisticis) aeque quemadmodum in plano existentibus et promontorio gaudentibus, Educillatio vini medio anno competit 4); Colonis tamen singularibus, dispersim in promontorio degentibus 5) etiam extra periodum legalem, tempore videlicet culturae vinearum suarum (sed non alio) et hominibus culturae huic vacantibus (neque aliis) vinum educillare licet. (Citatae leges; C II §

; Instr. Ex. Mag. C V, § 30; Punct. suppl. .6-um; Res. Reg. relate ad Processum Execu- ionalem Dominii Csáktornya 5-a Sept. 1771, Nro 5016, Com. Zalad. intimata) Si vineae in praediis existant, distinguendum, an praedia haec int impopulata, vel loco (oppido possessioni) pro meliori Colonorum subsistentia adjecta et eidem incorporata, an vero non impopulata nec ncorporata, verum libero Domini terrestris arbitrio subjecta. In praediis impopulatis vel incorporatis promontorium habentibus Colonis medii anni educillum competit; in praediis vero non incorporatis vineas possidentes angaricale tantum Educillum exercere possunt. Etsi vero locus aliquis in praedio ad Dominum terrestrem privative) pertinente nullas terras sessionales aut pascuum) sed tantum vineas baberet, adeoque praedium hoc incorporatum dici nequiret, tamen si locus ille (tempore Regulationis urbarialis) medii anni Educillo gaudebat, cum vel hoc ipso praedium respectu Educilli incorporatum censeri debeat, medii anni Educillo ulterius quoque gaudebit. (Instr. Ex. Mag. C II, § 3)

2-o) Dominus terrestris in Diversorio suo, pro recipiendis intinerantibus instructo, sive illud jam existat, 5), sive primum erigatur, jure educillandi non tantum vinum, verum et reliquos potus spirituosus gaudet per totum annum, adeoque et tempore Educilli Subditis competentis; extra hoc Diversorium educillum nonnisi praeterlapso tempore, quo Coloni educillant, ipsi competit, nisi Colonos vina adhuc ante tempus deficerent, quo casu Dominus statim Educillum inchoare potest, non exspectato lapsu periodi pro Colonis definitae. (C VI § 4; a. 36, 1550, § 5; Urb. Ban. C VI, 4-o; Urb. Slav. P 1, 6-o et Punct. Reg.

15-um) Haec tamen facultas per legem tantum Domino et non alii (arendatori) tribuitur. (1550, a. 36, § 5) – Aliorum potuum spirituosorum praeter vinum, uti cremati, cerevisiae etc. quemadmodum praeparatio, ita et educillatio soli Domino terrestri per totum annum competit, (C VI, § 4; 35, 1598; 51, 1559) Subditis vero sub poena confiscationis (contrabandae) et 3 dierum manualis laboris vetita est. (C VIII, § 13)

Durante tempore Educilli, Subditis secundum legem competentis, tam Communitati in concreto, quam Subditis singillative vinum non tantum ex vineis suis, sive in territorio promontorii ad eundem Dominum terrestrem spectantis, seu extra illud sitis, sed undecunque comparatum educillandi jus est. Si tamen Communitas ex Contractu cum Domino terrestri inito ultra tempus legale Educillum exerceret; nihilominus Subditis singularibus tempore tantum legali invectio vini unde unde competeret. (Instr. Ex. Mag. C V, § 30; Res. Reg. de 13-a Maji 1772 – Com. Toln. 29-a Maji e. a. Nro 2383 intimata; Res. Reg. de 17-a Maji 1777 Nro 1956 – 26-a Maji e. a. Nro 2801 Com. Zemp. intimata; Res. Reg. Com. Pest. intimata 3-a Julii 1795 Nro 13887) Hinc effatum legis, articuli nempe 36-i 1550 „In illis vero lo-„cis, in quibus promontoria sunt vinearum, ha-„bentque Coloni vina sua ex promonto-„rio eodem provenientia, conclusum est, „ut a festo S. Michaëlis, usque ad festum S. „Georgii Coloni sua vina hujusmodi pos-„sint educillare", quo Colonis vinorum tantum in promontorio in territorio loci sito procreatorum educillatio conceditur, antiquatum est. Neque obstat, quod articulus citatus per Urbarium (C II, § 1) confirmatus sit, confir-

matio enim haec tantum ad tempus referri debet, quo Colonis Educillum competit. Et secus etiam sors Colonorum promontorio in territorio suo gaudentium saepe multo esset deterior illis, qui promontorio destituuntur, si dispositio legis illius valeret; cum enim Domino terrestri juxta eam jus competat, (Urbario non sublatum) si Colonos vina deficiant, etiam ante constitutum pro Subditis terminum vina sua educillandi; si vel ob defectum procreationis nonnullis annis, vel ob minorem extensionem promontorii vina ex illo non sufficerent ad Educillum non per medium, sed nec forte per quadrantem anni continuandum: Coloni respectivi vel beneficio Educilli quadrantis anni privarentur. Si igitur Subditi ob invectionem vinorum etiam extraneorum tempore Educilli ipsis competentis mulctati fuissent, satisfactio ipsis per Comitatum eatenus procurari debet. (Res. Reg. citata Com. Toln. intimata.) – Sub tempus Educilli dominalis Subditis vinum epocillare sub poena coufiscationis, et trium dierum manualis laboris toties quoties vetita est. (C VIII § 13; Urb. Slav. P. 1, 6-o; Punct. Reg. 15-um) Qua dispositione Urbarii sanctio Legis articuli 31-i 1655-i „De termino porro Educillationis vini inter rusticos currente renovatur articulus 36 1550-i, quibus educillatio vini post praescriptos ibidem terminos contra dominos terrestres usurpanda sit interdicta, sub poena violentiae" derogatum est. Colonis tamen singillative (in individuo) vina e promontoriis in territorio dominali sitis (non aliis nisi quaestus gratia (Res. Reg. de 13-a Jan. 1778, Com. Csanad. intimata.) etiam tempore Educilli Domino competentis pro propria necessitate (non distractione in loco nam extra

illum licita est) invehere licet. (C VIII, § 13; Res. Reg. citata 3-a Julii 1795 intimata.) Vina vero extra, hoc est, sive in propriis Colonorum vineis extra tamen territorium dominale sitis procreata, sive aliunde comparata pro domestica consumtione (quod Urbar. Ban. C II, § 1, 4-o admittit) invehi non possunt, (sub poena confiscationis et 3 dierum manualis laboris toties quoties desumenda (a sensu contrario C VIII, § 13; citata Res. Reg.; poena vero ab analogia C VIII, § 13; Res. Reg. Com. Toln. intimata cit.) In casibus nihilominus extraordinariis, (necessitatis) uti sunt infirmitates, nuptiae, si Dominium, apud quod Coloni se insinuare tenentur, in desiderata quantitate, et pretio currenti vinum non suppeditaret, illud undecunque invehi per Colonos potest. Relate ad nuptias quantitas vini, ultra quam Dominium dare non tenetur, ad duas urnas limitata est, quas si currenti pretio a Dominio accipiunt, aliunde vinum ipsis invehere non licet, ad praecavendas excessivas potationes. (Res. Reg. de 5-a Aug. 1771 Nro 3972 – 5-a Sept. e. a. Nro 5016 quoad Processum urbarialem Dominii Csáktornya Com. Zal. relate ad Oppidum Nedelitz intimata; Res. Reg. de 17-a Maji 1777 Nro 1956 citata; Intimatum Cons. Reg. de 23-a Xbris 1784 Nro 18639 ad Com. Torontal. interveniens; Res. Reg. Com. Pest. intimata 3-a Julii 1795 Nro 13887) Citatis Resolutionibus modificatur Resolutio 9-a Februarii 1769 quoad Processum urbarialem Dominii Znio-Várallya interveniens, ad evitandas Colonorum excessivas compotationes vinum pro nuptiis, et enceniis aliunde adferre absolute vetans. – Si in loco quodam ad plures Dominos terrestres (Compossessores) pertinente, plura etiam Educilla adsint, Colonis licet quidem alterius etiam Do-

mini terrestris Educillum capiendi haustus gratia ingredi, sed vinum (per medias, mediatim) ex alio praeterquam sui Domini educillo adferri curare Colonis non licet. (Res. Reg. de 30-a Julii 1768 - 1-a Sept. e. a. Com. Tol.; item Res. Reg. 3-a Julii 1795 Nro 13887 Com. Pest. intimatae)

b) Modus exercendi juris Educilli Domino terrestri competentis ab ejusdem arbitrio dependet; potest vinum et reliquos potus vel per suos domesticos, constitutos caupones, aut etiam arendatores, (quod fere ubique fit) vel demum Subditos suos epocillari curare, ita tamen, ut Colonus potum dominalem epocillans ab hebdomadalibus servitutibus liber sit, donec epocillat, praeterea pro singulis urnis (mensurae Posoniensis) vini epocillati 4 denarii per Dominum ipsi solvantur (C VI, § 5; a. 36, 1550) - Urbarium Slav. in dando singulis locis libello quantitatem et pretium distracti vini cremati etc. etc. inscribi, et a quovis floreno percepto duos grossos Colono pro mercede tribui jubet (P 1, 6-o) Vinum, Crematum, aut alter potus Colonis pro epocillatione (vel etiam distractione vasatim) per Dominos terrestres datus non debet esse corruptus, de illo enim Colonus respondere non tenetur. (C VII § 15) Ut vero hoc praecaveatur, Judex loci vinum praegustare et epocillandum per Colonos approbare debet. (art. 12, 1553) Neque si vinum vel crematum fato apud Colonum pereat, hic vel Communitas pretium ejus refundere obligatur; quod jam per se intelligitur, (Casus nocet domino) et Urbario Slav. (P. 1 6-o) peculiariter adhuc cavetur. Eo magis vetatur, vinum Colonis pro certo pretio vi obtrudere (1550, 36)

Coloni vinum epocillant vel in Educillo Communitatis, vel vero juxta seriem domorum. (1559, 51, 1598, 35) Resolutio Regia de 7-a Februarii 1785 Nro 1376, (Pauly $\frac{1376}{23528}$) 3-a Maji e. a. Nro 5079 universis Regni Comitatibus intimata praecipit, ut jus Educilli Communitatibus rusticanis tempore legali competens in bonis cameralibus universis per auctionem (licitationem) plus offerenti elocetur, et census in commodum totius Communitatis convertatur; hoc idem vero etiam in Communitatibus ad privatos Dominos terrestres pertinentibus (ne secus inaequalitate hac in re vigente motus Colonorum subsequantur) observetur, ita tamen, ut elocatio plus offerenti in praesentia Magistratualium (Comitatensium) fiat, eoque res agatur, quo convocatis omnibus incolis Communitatis, et de utilitate hujus elocationis edoctis, communis eorum consensus obtineatur. — Numerus Educillorum (domorum educillarium) nulla Resolutione generali determinatur. In casibus concretis ratio habetur impopulationis certi loci, commoditatis incolarum, et utilitatis in Communitatem ex majoribus proventibus redundantis. (usus) Locus (Localitas) educillorum, habita tamen publicae securitatis ratione, ab arbitrio Communitatis dependet (sensu Instr. Ex. Mag. C V, § 30)

B) Quaestum cum vino Colonis tempore educilli tam sibi quam et Domino competentis exercere, vinumque hoc fine undecunque comparare jus est; vinorum tamen extraneorum sive in vineis promontorii ad distinctum Dominum terrestrem spectantis productorum, sive emtorum invectio, et in domibus aut educillis depositio vetatur, (excepta quantitate pro usu domestico deserviente,

tempore videlicet Educilli colonicalis) Si nihilominus circumstantiae loci, (locales) aut casus (casuales) depositionem hano deposcerent, id praevie Domino terrestri, aut ejus Officiali insinuandum est per Colonum, ut vina haec per eundem sigillo muniri (obsigillari) et sic distractio minuta, aut usus proprius (tempore videlicet Educilli dominalis) praecaveri valeat. Vina haec ne vasatim quidem loci incolis, sed tantum extraneis distrahi possunt. Inspectio nihilominus vinorum et praeservatio a corruptione per Officiolatum Dominalem impediri non potest. – Caeterum per se intelligitur, quod haec omnia tantum de vinis extraneis in promontoriis haereditariarum provinciarum ad imperium austriacum pertinentium, non vero etiam de vinis extra illud productis intelligi debeant; cum ratione invectionis horum Benignae Resolutiones commercium respicientes pro norma observari debeant. (Res. Reg. Com. Pest. intimata 3-a Julii 1795 Nro 13887; – Vide etiam Res. Reg. quoad Processum Executionalem Dominii Muraköz Com. Zalad. 5-a Sept. 1771 Nro 5016 intimatam.) Vina vero in promontoriis in territorio dominali existentibus procreata tempore etiam Educilli dominalis inferre, et in domibus deponere sine praevia insinuatione et obsignatione licet, vendere etiam vasatim non tantum exraneis, verum etiam locí incolis Coloni possunt. (a sensu contrario cit. Res.) Quaestus hic vinorum in Hungaria ad praecedentem usum restrictus non est, sed generatim Colonis competit absque respectu, an antehac usum quaestus hujus habuerint nec ne; verum in Croatia vigore Resolutionis Regiae de 19-a Maji 1780 Nro 2535, Comitatibus Croatiae 24-a Maji e. a. Nro 3494 intimatae quaestus vini ea ratione

limitari praecipitur, ut nonnisi ubi ejusdem praehabitus usus per Subditos remonstrari valuerit, intra tempus etiam Educilli dominalis iisdem admittatur. Caeterum etiam hic, si vina extera in domibus aut cellariis Colonorum deponantur in casu inevitabilis necessitatis, insinuatio Domino aut ejus Officiali fieri debet, per quem vina assignari possunt, nonnisi extraneis distrahenda. Igitur et hic vinorum in promontoriis Domini terrestris provenientium invectio, et in domibus depositio, sine praevia insinuatione ac incolis loci quoque venditio admittitur a sensu contrario citatae Resolutionis. Urbarium Ban. (C II, § 1, 4-o et 5-o) vinorum in alterius Domini terrestris promontorio provenientium sub tempus Educilli dominalis invectionem quaestus (distractionis in vasis) vel etiam conservationis gratia admittit sub conditione insinuationis apud Dominum terrestrem quantitatis invectae. Urbarium demum Slav. absque insinuatione Colonis imposita quaestum non tantum cum vino verum etiam Cremato (Rakya) durante Educillo dominali iisdem indulget (P 1, 6-o)

1) Tabula Septemviralis „Oppidis privilegiatis E-„ducillum (Macellum, Venationem, Piscatio-„nem, Aucupium, aliaque idgenus Jura Rega-„lia nisi expresse privilegiis inserta sint, et „penes talismodi privilegia in usu eorundem „beneficiorum praeexstiterint, non competere „decidit; quia similia beneficia tamquam im-„mediate ad eminens jus terrestrale pertinen-„tia a Dominis terrestribus abstrahi non pos-„sunt.“ Contra Tabula Regia non obstante eo, quod Educillum etc. etc. in specifico Privilegiis inserta non sint, si tamen Beneficia Curialia in genere collata sint, et Oppidani in usu illorum praeexistant, iisdem illa competere judicavit, cum usus sit optimus Privilegiorum interpres (Vide Planum Tabulare Editionem 1-am

pag. 211-a) — Agit vero ad sublationem ejusmodi Educilli incompetenter per Colonos (Communitatem) exerciti vel Fiscus Regius vel Dominalis coram Tabula Regia. Si autem Privilegium novum impetraretur per Colonos (Communitatem), cui contradictum fuit, etiam ad recipiendam Contradictionis rationem agere potest Fiscus Dominalis coram eadem Tabula Regia, coram qua et Coloni procedunt ad reddendam Contradictionis rationem. Secus vero in usu turbati ad repositionem via summaria vel ordinaria procedere debent, assistente ipsis Fisco Magistratuali.

2) E legibus tamen solis deduci minime potest, quod Colonis Educillatio vini tantum et non alterius quoque potus spirituosi competat; quia leges nec directe et expresse nec indirecte et tacite Colonis alios praeter vinum potus epocillare vetant. Quod tantum de Educillatione vini loquantur, ex eo concludi non potest ad denegationem indirectam Educillationis reliquorum potuum spirituosorum, sequeretur enim inde, quod etiam Dominis terrestribus Educillatio solum vini et non aliorum potuum quoque competat; nam etiam dum de epocillatione Dominis terrestribus competente sermo est, vinum tantum memoratur. In genere leges nostrae tantum de Educillatione vini, tamquam praecipua specie loquuntur, reliquas subintelligunt, et vel ideo Subditis quoque epocillationem harum etiam tamquam accessoriorum indulsisse recte inferri potest. Hanc consequentiam etiam Decisio Curialis (ad subl. Ben. Cur. 3-a) legitimat: „Cum praecitatus articulus 35 1598 praecise E„ducillationem vini pro objecto habeat (id de „reliquis quoque articulis valet), idcirco usus „Braxatorii, vel etiam vasatim fienda vinorum „distractio sub sensum ejusdem legis non ca„dit; quia omnia jura possessori favent, et o„dia potius restringi, quam ampliari convenit". Igitur Coloni ad Educillum vini exclusis reliquis potibus per Urbarium nonnisi restricti sunt.

3) Si tamen successu temporis vineae in agros, prata, pomaria etc. etc. convertantur, ita ut promontorium in territorio loci cesset, Educillatio

medii anni Sudditis hactenus competens quoque cessabit, et tantum quadrantis anni locum habebit. (Res. Reg. 27-a Martii 1775, Nro 1356 Comitatui Castriferrei intimata)

4) Resolutio Josephina de anno 1787 ad Nrum aul. 2410, et alia de 12-a Martii 1787 ad Nrum aul. 2810, — virtute quarum Colonis epocillatio vini in vineis suis seu in promontorio dominali, seu extra illud sitis procreati tam in majori mensura (vasatim, al in grosso) quam in minori etiam (alla minuta) per totum annum conceditur, ita tamen, ut haec posterior tantum trans plateam (über die Gasse) nullatenus vero erectio formalis Educilli aut Diversorii in domibus licita sit; Colonis cultura vinearum semet non occupantibus ultra quoque penes usum urbarialem relictis, — hae inquam Resolutiones, contra quas Status et Ordines etiam (1791 ad Nrum aul. 982/983) Suae Majestati repraesentarunt, — Resolutione eatenus (Nro aul. 1003, 3835, 1791) elargita promiscuam Epocillationem Colonorum usque futura Comitia in statu quo relinquendam disponente, — claro effato Legis et Urbarii derogare non possunt.

5) Quaestio an vinicolis (montanistis) singulis, (sparsim habitantibus) singula vel unum omnibus Educillum tempore legali a festo nempe S. Michaëlis usque festum S. Georgii exercere liceat? in specie relate ad Promontoria Dominii Muraköz per Resolutionem Regiam 5-a 7-bris 1771 Nro 5016 Comitatui Zaladiensi intimatam ita decisa est, ut cum Promontoria Insulae Muraköz (Csáktornya) in longitudine ad 3, in latitudine vero ad 2 milliaria protensa in 7 districtus montanos dividantur, (qui 4 montanis magistratibus subsunt) montanae bene formatae Communitates a ruina suorum Educillorum praeserventur, et dispersis montanistis etiam commoditas vina sua distrahendi praebeatur, singulis Districtibus unum Educillum legali tempore exercendum concedatur, singularibus promontorialistis jure in vineis suis operas praestantibus tempore culturae vinearum suarum vinum educillandi in salvo relicto.

6) Si igitur Diversorium pro recipiendis itinerantibus instructum non existat adhuc in loco ali-

quo, Domino terrestri non competit jus educillandi vini per totum annum in alio Educillo; quia Urbarium Hung. et Croat. C VI § 4; Ban. C VI 4·o; Slav. P 1, 6 et Punct. Reg. 15 facultatem hanc diserte tantum ad Diversorium pro recipiendis itinerantibus instructum restringit. In hac re igitur modificata est dispositio legis 1550 a. 36-i per dispositionem Urbarii, vim legis utique habentis, adeoque tamquam posterioris priorem modificare absque dubio queuntis; citatus enim articulus absque restrictione illa Domino terrestri jus Educilli (vini) per totum annum exercendi concedit. Nec obstat, quod C II Urbarii § 2 dicatur: „Colonis juxta articu-„lum 36 1550 Educillatio vini a festo S. Michaëlis usque ad festum nativitatis Domini vel S. Georgii militis, et martyris libera erit"; nam per hoc articulus citatus non ex integro, sed tantum quoad tempus confirmatur.

7) Hoc per se intelligitur, quod Coloni (Communitas) quoque in Educillatione vini, legali id est posoniensi mensura (22. 1807) uti debeant, eaque non adulterata, secus actione Fisci Dominalis coram Sede Dominali 12 florenis toties quoties mulctantur (1588, 16; 1655, 31; 1715, 63; 1807, 22; et antiquiores Sigism. D II, a. 1; D III, a. 6; et Ulad D V, a. 17)

§ 13.

De Cremati Exustione, et quidem a) de determinatione Juris exurendi Cremati Domino et Colonis competente b) de Censu ab exercitio illius per Colonum Domino solvendo.

a) Exustio Cremati est facultas Subditis 1) (Colonis sessionatis, Inquilinis, et Subinquilinis) competens, Crematum ex racemis aliisque fructibus per se productis, in cacabis seu ollis (ahenis) pro-

priis, pro usu domestico vel quaestu, erga certum censum Domino terrestri persolvendum praeparandi.

An Colono Hungariae et Croatiae haec facultas competat lex tacet, Urbarium vero dubium relinquit; Capite enim II-o, quo beneficia Colonis competentia ex professo recensentur, Exustionis Cremati nulla mentio fit. Capite IV-o § 7 statuitur quidem: „Ab olla crematoria, si hac Subditus realiter et effective usus fuerit, solvet Domino terrestri annuos duos florenos;" sed conditio, si hac Subditus realiter et effective usus fuerit jus absolutum urendi Colono tribuere, adeoque liberum arbitrium Domini, ut vel Colono facultatem urendi concedat, vel eidem hanc deneget, excludere non videtur, eo a fortiori, quod Capite VI, quo Jura, Beneficia, et Regalia Dominio competentia enumerantur, § 4 aperte dicatur: „in diversorio (pro recipiendis „itinerantibus instructo) cujusvis potus Epocil-„latio per totum annum salva manebit, prouti „etiam omnis cremati, et cerevisiae edu-„cillatio, ac ejusmodi liquorum prae-„paratio praecise ad jura dominalia „pertineat" (Urbarium Croaticum eadem ratione se exprimit) 2). E contra si spectetur hoc, quod Jura regalia exclusive Domino terrestri competentia certo et determinato, quem illi excedere non liceat, censui non sint alligata, ita ut quoad hunc cum Subditis sibi paciscendum arbitrium illius nullatenus restrictum sit; jam ex eo, quod relate ad exustionem Cremati census sit per Urbarium defixus, quem Domino transgredi non licet, recte concluditur jus exurendi Crematum unice et exclusive Domino terrestri non competere, adeoque nec ar-

bitrium ei liberum esse exustionem hanc Colonis concedendi vel negandi. Nec obstare videtur, quod Urbario (C VI § 4) praeparatio Cremati praecise ad jura dominalia pertinere statuatur, cum illa pro epocillatione tantum exclusive Dominum terrestrem concernere videatur, non vero etiam usu privato et domestico, vel quaestu. Huc accedit, quod Instructione Exeq. Mag. C V § 30 praecipiatur, „ne illud lignorum quantum quod – pro ollis crematoriis – Subditis hucadusque subministratum fuit, a necessariis pro illorum usu, ac competentibus focalibus lignis defalcetur," quod etiam abunde innuit, quod exustio Cremati Subditis concedenda vel deneganda non a libero Dominorum arbitrio dependeat; cum secus et a subministratione lignorum pro ollis crematoriis semet dispensare possent, quod tamen non licet. Hinc ergo patet, quod Urbarium quaestionem hanc, an Colonis jus exurendi crematum competat, absolute, vel vero conditionate, domino videlicet id permittente, in dubio relinquat. Resolutiones vero Regiae circa materiam hanc elargitae Colonis facultatem exurendi crematum ex propriis racemis (fecibus, brisis, vinaciis) vel aliis fructibus, in propriis ollis, et pro usu domestico, vel quaestu competere, 3) generatim agnoscunt quidem, in casibus nihilominus specialibus jus hoc Colonis negant 4), imo illos ab usu ulteriori exerciti juris arcent, per impositam ipsis divenditionem ahenorum intra certum terminum, et vetitam novam illorum procurationem; dum videlicet in detrimentum potius illorum, quam emolumentum vergebat, v. g. quod Coloni ultra modum se exustioni Cremati ex racemis, frugibus, aliisque dediderint, et reliquos ramos Oeconomiae suae longe uti-

liores, fere neglexerint; per immoderatam exustionem silvarum desolationem ac ruinam adduxerint; immodico Cremati usu ad rixas, aliosque graviores excessus, et immoralitatis actus prolapsi fuerint; quod mensuram et limites domestici usus epocillatione excesserint, ideoque continuis mulctationibus, et hinc ortis collisionibus inter se, et Dominum suum ansam praebuerint. E contra ubi Subditi vel in praehabito exercitio juris exurendi cremati sine fundamento turbati et impediti extitissent, vel etiam census 2 florenorum sine ratione legitima per Dominos terrestres auctus fuisset; Coloni in usum praevigentem reponi et indemnes reddi praecipiebantur. (Nro aul. 8652, 1806; — Intimatum de 5-a Maji 1812, Nro 10610) — Urbarium Banaticum (C IV § 4, 2-o) aeque dubia intuitu juris hujus utitur expresione „Von „den Brandweinkesseln zahlen die Unterthanen „in den Jahren, in welchen si wirklich Brand„wein brennen, dem Grundherrn jaehrlich zwey „Gulden." Caeterum, cum Urbarium Ban. non tribuat jus Domino exclusivum praeter vinum reliquos potus spirituosos praeparandi; jus vinum adurendi Colonis competere nullum dubium esse potest. Idem hoc ex eadem ratione quoad Colonos Slavoniae intelligendum est. Punctum Reg. 14-um statuit praeterea, ut cum Dominis ex Urbario obligatio non incumbat, Subditos lignis pro exustione cremati gratuito providendi, crematum exurere volentes ad ineundam eatenus conventionem invientur.

b) Census, quo Subditus Domino terrestri pro jure exurendi Cremati tenetur, est 2 florenorum pro toto anno, et absque respectu ad magnitudinem ipsius ollae, aut quantitatem exurendi cremati (C IV, § 7; Urb. Ban. cit. loc; Urb.

Slav. Punct. Reg. cit.) intelligendorum. Census hic, quemadmodum Urbarium expresse (citato loco) dicit, tantum in casum eum, si Colonus crematum exurere velit, et revera (realiter et effective) exusserit, Domino terrestri competit, adeoque non est census ordinarius et absolutus, sed tantum extraordinarius et conditionatus. Census porro hic per Urbarium stabiliter (determinate) defixus est, ejus auctio ab arbitrio Domini terrestris non dependet, nisi forte Coloni fructus ab extraneis quoque consensu utique Domini terrestris accedente emerent, et exurerent, quo casu libera conventio inter Dominum, et Subditum circa censum locum habere debet. (Res. Reg. de 1812, ad Nrum loc. 10610) Lignum tamen pro exurendo cremato Dominium Subditis tantum illis suppeditare tenetur, qui in usu hujus Lignationis praefuerunt; reliqui eatenus private cum Domino terrestri convenire debent. (Intim. de 5-a Maji 1812, Nro 10610) Si quis sine persolutione census hujus crematum clancularie exurere tentet, et cremati exusti, et ollae jacturam pro poena facit. (Res. Reg. de 6-a X-bris 1784 Nro 14206 Com. Lipt. intimata) Caeterum jus exurendi in proprio tantum aheno ita intelligi debet, quod Subditus proprio carens cacabo ex propriis brisis, faecibus, vel vinaciis, in alterius Coloni aheno, (cacabo) crematum exurens a solutione census liber haud sit, verum aeque 2 florenos pro anno praestare teneatur, sub poena amissionis aheni et cremati, si in alterius cacabo clancularie crematum urere praesumeret. (Res. Reg. de 6-a X-bris 1784 citata; et alia relate ad Possessiones Chlebnitza, Kriva, Dluba, Dubova etc. etc. 14-a Aprilis 1785 Nro 9523 intimata) Eadem haec poena ab analogia locum ha-

bet, si Subditi non ex propriis, verum alienis vinaciis, faecibus, aut brisis crematum sine consensu peculiari Domini terrestris exurere praesumerent.

1) Beneficium exurendi Cremati, non quemadmodum reliqua tantum Colonis urbarialibus, sed etiam non urbarialibus competit.
2) Argumenta haec adferuntur etiam in Resolutione Regia de 6-a Decembris 1784 Nro 14206, et vi illorum jus exurendi crematum ad indubitata regalia beneficia solis dominis competentia pertinere asseritur, cui tamen Resolutioni in hac parte subsequentes plures Resolutiones et Intimata adversantur, et consequenter derogant. (Res. Reg. de anno 1806, Nro aul. 8652)
3) Aliqui volunt jus hoc exurendi Crematum tantum ad proprium usum restrictum, et non ad quaestum etiam extensum haberi. Sed nullo plane argumento assertum hoc fulciri potest; si enim jus exurendi cremati Subditis tribuamus, nulla videtur ratio, qua a quaestu cum eodem arceri deberent, imo forte negato ipsis jure exurendi tamen quaestus cum Cremato undecunque emto prout et reliquis liquoribus (exceptis stricte mercantilibus (Instr. Com. Reg. § 36) ipsis negari non deberet; Urbarium enim Capite VII, § 4 ita habet: „Quemadmodum monopolia po„sitivis legibus vetita sunt, ita nec arendationes „rerum et naturalium ad quaestum pertinentium „cum exclusione aut restrictione Subditorum fi„eri possunt" § vero 3-o ejusdem Capitis: „In „libera emtione — — naturalium — Subditi per „Dominum nullo modo turbentur."
4) Per propugnatores liberi arbitrii dominalis, quoad jus exustionis cremati Colonis concedendi vel negandi adferri solent: Resolutio Regia 6-a Decembris 1784 Nro 14206 Com. Liptoviensi intimata; — Resolutio Regia de anno 1800 erga Instantiam Szkalitziensium, et Csernensium emanata cum indorsata Consilii; — Intimatum Consilii R. L. H. de 15-a Decemb. 1795, ad Com. Zoliensem directum. — Intimatum Consilii R. L. H. de 6-a Decemb. 1793, Comitatui Baranyiensi sonans, etc.

CAPUT IV.

DE JURIBUS REGALIBUS ET DOMINALIBUS RESERVATIS.

§ 14.

a) De Venatione, Aucupio, Piscatione, b) de damnis per feras inferendis quomodo praecavendis.

a) Venatio et Aucupium, quae libere ante exercere potuisse videntur Coloni (rustici), ob neglectum agriculturae et religionis externae, quem justo major in venando sedulitas post se traxit, primum articulo 18-o 1504-i restricta sunt, ita videlicet, ut cervos, damulas, lepores, et apros venari; phasianos, perdices, et atagenes (Caesareos, Császár madara) aucupari sub poena trium florenorum per Dominum terrestrem, aut eum, in cujus territorio Colonus in venatione deprehenderetur, irremissibiliter exigendorum, prohiberetur ita ut si non exegissent, ipsi tribus florenis per Vice-Comitem et Judices Nobilium, seu Universitatem Comitatus actione Fisci Magistratualis mulctandi essent. – Post seditionem rusticanam articulo 60 1514 Rusticis sclopos (pixides) gerere aut servare sub poena amputationis dextrae interdictum fuit. – Articulo 22-o 1729-i

prior, 18-us 1504, confirmatus est, una statutum, ne rustici canes venaticos, ut essent vertagi, et sagaces, aeque sub poena trium florenorum intertenere ausint. Haec Leges circa Venationem et Aucupium; de Piscatione vero nihil usque introducta Urbaria constituerunt. Haec et quidem Hung. et Croat. Lege Articuli 60 1514, circumstantiis temporum illorum accommodata, a nostrorum vero spiritu aliena, nec per posteriores leges confirmata, imo indirecte, quod rusticum ob Venationem, quae sine sclopo (pixide) non facile locum habere potest, tribus florenis mulctent, abrogata, - sensu articuli 18-i 1504 (Ulad. D. V) et 22-i 1729 omnis generis Venationem, Aucupium, et Piscationem in quibusvis piscosis aquis Subditis strictissime interdicta, eaque exclusive ad jura Domini Terrestris spectare volunt. Poenam vero citatorum Articulorum (Art. 18, 1504; et 22 1729) et quidem relate ad venationem dictandam auctoritati deferunt Sedis Dominalis (C VIII § 1), relate vero ad canum venaticorum intertentionem, prouti et armorum gestationem in aliam trium dierum manualis laboris commutant. (C VIII § 12) Urbarium Ban. (C VI, 3-io) et Slav. (P I, 14-o) Venationem, Piscationem, et Aucupium, aeque ad jura regalia (dominalia) exclusiva generatim referunt; Urbarium tamen Ban. (cit. loc.) excipit paludes (Moraeste), quae Communitatibus pro Arundinatione concessae sunt; in hisque Piscationem Colonis admittit. - Articulus demum recentissimus 24-us 1802 Rusticis Venationem aeque generatim, Aucupium vero tantum specierum in articulo 22-o 1729-i seu ad quem hic provocat 18-o 1504-i contentarum, additis quoque Urogallis quacunque arte exercendam,

una etiam canes venaticos, ut sunt vertagi, et sagaces intertenere vetuit; circa poenas vero nihil mutavit. Hinc ergo recte concluditur, quod Subditis Venatio et Piscatio in genere, illa sub poena trium florenorum in Sede Dominali dictanda, haec arbitraria secundum mensuram poenarum (C VIII) legalem jam propria Domini, jam Sedis Dominalis auctoritate infligenda; Aucupium porro tantum phasianorum, perdicum, atagenum, et urogallorum, aeque sub poena trium florenorum, dicto modo luenda Colonis interdicta, reliquarum vero specierum licita; demum, canum venaticorum intertentio et armorum gestatio sub poena trium dierum manualis robotae propria Domini terrestris auctoritate desumenda vetita sit.

Ast sicut una ex parte leges Venationem (in sensu stricto sumtam) 1) Colonis prohibuerunt, ita parte ex alia omnes etiam excessus Dominorum terrestrium et aliorum in Venatione cum damno Subditorum conjunctos praecautos esse voluerunt. Articulus 22 1729 (Instr. Com. Reg. § 9) ut damna, quae in agris (campis) per Venationem inferri secus possent, evitentur, praecipit, ut nemo Dominorum Terrestrium (et reliquorum Nobilium) canes anglico venaticos Sinkorán nuncupatos intertenere, eo minus cum iis Venationem exercere ausit. Articulus vero 24-us 1802-i uberius Colonis consulere volens Venationem in agris (satis) usque finem messis, in pratis a 24-a Aprilis usque collectionem foeni et ubi crescit cordi terminatam, in vineis a tempore, quo leporum foetificatio initium sumit (1-a Februarii, 22 1729) usque finem vindemiae, ne pediti quidem, eo minus equiti, seu Domino Terrestri, seu aliis admittit. (citatus articulus § 5) Si ca-

nes in persecutione ferae constituti hoc tempore vineas ingrederentur, trajici, agros (sata) vero et prata ingressi non quidem trajici sed intercipi possunt, interceptis proprietario restituendis. (citatus articulus § 6) Damnum Venatione illatum per inferentem resarciendum est; si resarcire nollet, actore Fisco Magistratuali, si videlicet Dominus Terrestris illud intulit, si vero alter, vel actione Domini terrestris (Fisci Dominalis) una cum poena violentiae vel hoc detrectante aut negligente aeque Fisci Magistratualis, vel etiam privata, si nobilis sit Colonus et ipse agere velit, una cum poena violentiae ad id stringendus est (citatus articulus § 10) Sclopum tamen venanti nobili adimere, in hominem dirigere, vel plane explodere cautum est (citatus articulus § 9)

b) Ut vero damna, quae per feras agris (segetibus) et vineis Colonorum inferri possunt, praecaveantur, curam eatenus immediatam lex (cit. 24 1802) Domino terrestri imponit, mediatam vero si videlicet et in quantum hic obligationi suae non satisfaceret, Comitatibus concernentibus, facultate iisdem tributa, multiplicatarum ferarum diminutionem, vel ad vivaria (theriotrophia) reclusionem Dominis terrestribus imponendi, (citatus articulus § 10) et ad rapacium ferarum noxiarumque segetibus et vineis avium exstirpationem (alia secus, quacunque ratione procurandam) si necessaria videretur, Venationem quoque contra illas (non vero alias) more solito instituendi. (citatus articulus § 11) Colonus tam Domino terrestri quam et Comitatui adjutorio esse debet in exstirpatione et concisione ferarum, adeoque si Communitates, in quarum ambitu ferae ultra modum multiplicantur, publica Comitatus respectivi deter-

mination ad persecutionem et venationem ea-
rundem provocentur, huic provocationi Coloni
illarum indiscriminatim morem gerere obligan-
tur. Adjutorium Domino terrestri praestandum
ne in abusum trahi possit, in Hungaria, Croa-
tia et Slavonia Urbariis (C III 17; Urb. Slav. P
1, 14-o) (Banaticum de illo tacet) accurate deter-
minatum fuit. Vi hujus determinationis obligatur
Colonus Sessionatus, Inquilinus, et Subinquilinus
ad exstirpandas feras rapaces acceptis
(gratis) a Domino terrestri plumbo et pulvere
pyrio 2) Venationem triduo singulos per annos in
stituere. Quia vero obligatio haec conditionata
est, videlicet ad existentiam rapacium ferarum
adstricta, hinc si ferae rapaces non existant,
suapte cessat; quia vero simul si ferae existant
in territorio loci, absoluta est, in aliam obli-
gationis aut praestationis speciem, etiam volen-
tibus Colonis (quid enim a misero Colono im-
petrari non potest?), transmutari vel ut aere pa-
rato aut naturalibus redimant ab illis desiderari
nequit.) 3) (C III, § 17) Caeterum haec obligatio
Colonorum non est urbarialis e nexu subdite-
lae profluens, quae videlicet pro usufructu vel
dominio utili fundi per Dominum Colonis suis
concessi in emolumentum illius praestari debe-
ret; sed est obligatio, quae per Administratio-
nem publicam in subsidium solum obligationis
Domini Terrestris feras rapaces exstirpandi, qua
hic principaliter ut Dominus fundi tenetur, Co-
lonis imposita est, et quae pro objecto non
lucrum aliquod a Domino percipiendum, sed
securitatem publicam et privatam personarum,
rerumque habet. Ideo hac obligatione non tan-
tum Coloni urbariales, sed omnes alii tenen-
tur per Comitatum vel respectivam Jurisdictio-
nem provocati. Ex eo quod ferae trajectae sint

Domini terrestris, adeoque emolumentum quodpiam omnino eidem accedat, ad Venationem ut praestationem Urbarialem pro usu fructu vel dominio utili fundi colonis impositam, ita concludi non potest, sicut non valet conclusio delicta, quia mulctas post se trahunt aerario inferendas, Civitati lucrosa in emolumentum ejus adesse.

De damnis per feras illatis Dominus terrestris secundum aestimationem (per Judicem et Juratos loci ejusdem vel vicini, non vero Officiales Dominales indilate peragendam) plene satisfacere obligatur; quod si renueret, actione Fisci Magistratualis sub poena violentiae adigitur (articulus 24 1802 § 10) Colonus porro feram in fundis per se cultis damna inferentem intercipere vel interimere potest, interceptam tamen vel interemptam Domino terrestri actutum exhibere debet, qui ad damnum illatum refundendum dicta ratione obligatur (citatus articulus § 7)]

1) Venatio in sensu lato sumitur pro venatione stricte tali, piscatione, et aucupio simul.

2) Et etiam Sclopis, quia plumbi et pulveris pyrii sine illis usum capere non potest. Coloni vero, quibus gestatio armorum interdicta est. sub poena trium dierum manualis laboris, sclopos habere non debent, adeoque nec habere obligantur. Caeterum vide eatenus reflexionem sub 3)

3) Quamvis haec clari juris sunt, tamen aliqui Practicorum controvertunt, asserentes, quod reluitio triduae Venationis saltem tunc locum habere possit, et debeat, si omnino adsit necessitas instituendae Venationis ob existentiam (majori numero) ferarum rapacium, et Dominus terrestris per conductos homines (circulatores, sylvarum custodes, et venatores) obligationem Colonorum expleri curet, ita ut Coloni illa liberentur. Ratio enim, ob quam Urbarium citato loco Subditorum arbitrium relate ad relui-

tionem hujus obligationis restringit, vel potius penitus suffert, certe non alia est, quam ut finis, quem Urbarium intendit, exstirpatio videlicet ferarum noxiarum eo certius imo certissime obtineatur; jam autem finis hic obtinetur aeque, si Dominus terrestris sufficientes silvanos et venatores interteneat, ita ut Subditi obligatio venandi minus necessaria evadat; justum etiam esse, ut si Colònus ab obligatione sibi incumbente sublevetur, et quidem cum onere Domini terrestris, qui nempe plures silvanos et venatores servare, plusque in intertentionem illorum erogare debet, justum etiam esse ajunt illi, ut eatenus compensationem convenientem Domino praestet; dein ejusmodi reluitionem cum commodo Colonorum conjunctam esse, cum intertentio in sylvis triduo commorantibus longe gravior et molestior accidere debeat, quam si singulis diebus ex robota domum reverti possint. — Pauly pro argumento sententiae hujus adfert etiam dupplicis ordinis Resolutiones (pag. 281) de 22 Junii 1804 Nro aul. 6147, et 19 X-bris e. a. Nro 9966, virtute quarum, et quidem primi ordinis relate ad Possessionem Zajeczfalu, secundi ordinis vero quoad Possionem Sirovnicza (Com. Castr.) reluitio Venationis urbarialis admissa exstitit; hae duae Resolutiones mihi notae non sunt, adeoque de applicatione illarum ad quaestionem praesentem nihil certi statuere possum. Sed utique omnia haec rationum momenta disertae Urbarii dispositioni praevalere non possunt; postquam enim leges latae, non de illis, sed secundum illas judicandum est. Et quod Dominis terrestribus minus dictamen conscientiae audientibus, quam proprii lucri studiosis semper campus aperiretur abutendi hac commutatione vel reluitione, illud quoque certum est. — Meo judicio maxima, quae obligationem hanc ferit, difficultas est illa, quod ab hominibus, quibus vel arma gestare prohibitum est, qui igitur sclopos, quibuscum venatio communiter instituitur, nec tractare norunt, vix magnus effectus Venationis sperari possit, imo iisdem, velut non exercitatis nec sclopi, nisi cum periculo vitae traderentur, ideo fere tantum ex-

ceptis paucis scloporum tractandorum peritis ad agendas feras (Treibjagd) adhibentur, Venationem Venatoribus, Silvanis, Officialibus Dominalibus, et aliis exercentibus.

4) Relate ad damna in Dominio Csáktornya per feras illata Resolutio Regia de 9 a Aprilis 1769 — 1-a Julii e. a. Nro 2165 Com. Zalad. intimata praecipit, ut nimia copia ferarum concidatur, Subditis vero in vineis et segetibus a feris damna passis juxta Comitatus aestimationem indemnitas procuretur, et ut re ipsa procuretur, Vice-Comites accurate invigilent. — Similis Resolutio 14 Julii 1769 Com. Posoniensi intimata exstitit. — Resolutio Regia intuitu Processus Urbarialis Dominii Csáktornya 5-a 7-bris 1771 Nro 5016 intimata (quoad generalia postulata ad 1-um) in conformitate Sententiae Sedis Judiciariae eatenus latae, ad facilius procurandam aprorum in silvis apertis concisionem, concisorum numerum Comitatui quotannis referri jubet (investigatione damnorum per feras causatorum, et utrum adaequate compensatorum investigantibus Magistratualibus occasione annuarum visitationum delata) Caeterum Circularis Dispositionis quoad praecavendam noxiam ferarum multiplicationem editae effectum procurandum Comitatui injungit. — Resolutio Regia 26-a Aprilis 1773 intimata Sententiam Sedis Dominalis, ut vinearum custodes et montium Magistri invigilent, ne per pecora in vineis damna inferantur, Dominium vero feras noxias in Promontoriis exstirpet (neque Promontorialistas secus, quam in actu venationis deprehensos sclopis suis privet) pro futuro approbavit, pro praeterito vero relate ad damna per feras et sues culpa Hajdonum et Venatorum in vineis nefors illata et per montanistas in specifico comprobanda illos ad praestandam bonificationem, Dominium vero ad restringendas vi Resolutionum Regiarum feras obligavit.

§ 15.

A) De Decima Clericali in genere B) in natura C) in pecunia D) de modis jura ratione illius competentia seu activa seu passiva vindicandi.

A) Relate ad jus Decimae Clericalis ita se exprimit Urbarii Hungarici et Croatici (Slavonicum et Banaticum de illa penitus tacent) Caput V, § 5: „Quantumvis quaestio Decimarum, „an, et cui, et ex quibus competat, ad Regulationem (Urbarialem) non pertineat; in quantum nihilominus Decima ab illis rerum speciebus, quae articulo 1, 1481 non specificantur alicubi nefors exacta fuisset, haec omnis „aboletur, et praecise ad species praecitato articulo denotatos, ita restricta manet, ut de „his unice, nullatenus autem de aliis ibi non „nominatis speciebus desumatur.“ 1) – Quamvis vero Jus Decimae, cum non e nexu subditelae profluat, objectum Juris Georgici non constituat, nihilominus cum praestatio Decimae momentosa certe sit, administratio publica (legislatio politica) attentione sua non omnino indignam esse reputans, pleraque omnia, quae relate ad quaestiones essentiales de illa occurrere possunt, partim Urbario et Instructione Ex. Mag. partim subsequis Resolutionibus Regiis sensu legum eatenus sancitarum determinavit, ut hac ratione omnem injuriam, et oppressionem Colonorum anteverteret. Has determinationes hic commemorare operae pretium omnino est.

B) Materia de Decima in natura commode his quaestionibus absolvitur: a) a quibus fundis b) a quibus objectis Decima competat? c) an Colonus Decimam convehere d) et decimatores

intertenere teneatur? e) an et quando Colonus et quota messoriali Decimam, vel in locum ejus Pecuniam Messorialem, an et quando Pecuniam Christianitatis praestare obligetur? f) quomodo, et quo tempore Decima desumi debeat? g) an Colonus jus praearendandi Decimam, et quomodo habeat?

a) Decima juxta systema constitutionis nostrae modernum solummodo a fundis rusticanis (colonicalibus) 2) praestanda est; quiscunque fundum ejusmodi possidet, sine respectu conditionis (status) civilis ad praestandam Decimam obligatur 3), nisi ipsi privilegium, aut praescriptio suffragetur 4). Verum regula haec generalis exceptiones quasdam patitur, nempe Decima non competit:

1-o) a fundis intravillanis et pratis, ac quae in locum horum Colonis assignantur, adeoque et naturam imitantur, agris (terris adjustationalibus) (C V § 3; Intimat. Consilii L. H. de 11-a Febr. 1800 Nro 2938 ad Com. Castrif. directum; Res. Reg. de 6-a 9-bris 1773 Nro 5336 – 22-a e. m. e. a. Nro 5442 Com. Scep. intimata) A sensu contrario praestatur a fundo intravillano et pratis in locum agrorum Colonis assignatis.

2-o) a fundis illis, aquibus jam semel Decima praestita fuit, si videlicet anno eodem iterum semine fruibili inseminentur. (C V, § 3)

3-o) a fundis illis, a quibus Decima hactenus (potius nunquam) in usu fuit; (Instr. Ex. Mag. Cap. V, § 12, 3-o; vide etiam Res. Reg. de 6-a 9-bris 1773 Nro 5336 – 22-a e. m. et a. Nro 5442 Com. Scep. intimatam) Praelatus enim sive ex lege seu ex privilegio ad acquisitionem Decimae procedat, usum praehabitum docere debet. 5) (Dec. Cur. 1-a. 4-a Plan. tab. pag. 83, 84, Editio 1-a) Si tamen ex usu excidit,

dummodo probare possit, ad illum iterum instituto ad acquisitionem Decimae ex jure reponitur.

4-o) a fundis juxta methodum culturae vigentem pro vervacto (arvo) ante relictis, si Coloni pro meliori subsistentia sua eosdem inseminare incipiunt; in specie vero a fundis campum (calcaturam) tertium constituentibus. (ab analogia C V, § 3; et Instr. Ex. Mag. C V, § 12, 3-o; vide etiam Res. Reg. 23-a 8-bris 1771 Nro 5451 Com. Lipt.; item de 28-a Jan. 1774 Nro 382 – 7-a Febr. e. a. Nro 647 Com. Scep.; item de 11-a Julii 1774 Nro 3371 – 18-a e. m. e. a. Nro 3199 circulariter intimatas) Immunitas tamen tertiae calcaturae a Decima ita intelligenda est, ne per inseminationem ejusdem Decimae ex prima et secunda calcatura provenienti quoquo modo derogetur. (Res. Reg. de 11-a Jul. 1774 Nro 3371 citata) Resolutio Regia de 16-a 7-bris 1806 Nro 16372 ad secundum eodem anno procreationem immunitatem hanc restrinxit.

5-o) a fundis exstirpatitiis (exstirpaturis) in genere, absque videlicet respectu, an agri sint vel prata. Nisi ejusmodi fundi natura exstirpaturarum amissa jam pro sessionalibus (urbarialibus potius) haberentur, a quibus praestatio Decimae usu immemoriali invaluit; nam secus utique usus ejusmodi abusus, adeoque sufferendus esset. (Res. Reg. 6-a 9-bris 1773 Nro 5336 – Com. Scep. intimata; Dec. Cur. sub rubr. Decimales ex usu 2-a et 8-a) Si tamen Praelatus in usu Decimae ab ejusmodi fundis exstirpatiis est, via facti ei Decimam denegare impune non licet; quia lite ad poenam dupli promota, in usum priorem (in quo proximis ante denegationem annis praefuit) reponitur; usum enim pacificum quamvis illegalem alterius, non propria,

sed auctoritate judicis turbare, et ita jura amissa revindicare oportet. (Dec. Cur. citata 8-a)

6-o) a fundis olim promontorialibus (vineis) recenter vero in agros, pomaria, aut pruneta aliosque usus conversis, adeoque naturam vinearum exuentibus; quemadmodum enim ab agris his amplius Jus Montanum, vel Nona, ita nec Decima exigi potest. Considerantur ejusmodi agri ut Exstirpaturae, a quibus Domini terrestres censum, ab aliis etam Exstirpaturis pendi solitum (in 30 cruciferis a singulis jugeribus Instr. Exeq. Mag. Cap. V § 8 defixum) exigere possunt. (Res. Reg. 27-a Martii 1775 Nro 1356 Com. Castrif. et 21-a Aprilis 1784 Nro 8776 Com. Zalad. intimatae) Idem quoque obtinet, si vineae incuria possessorum vel alia ratione desolentur. (Res. Reg. 21-a Aprilis 1784 Nro 8776 Com. Zalad. intimata)

b) Quaestionem hanc decidit articulus 1 1481, qui etiam in excitato Urbarii Capite V, § 5 provocatur. Sunt vero in Corpore Juris duo imprimis notandi articuli, qui objecta, a quibus Decima locum habet, recensent; nempe nunc memoratus, qui omnia et singula objecta, et 51-us 1498, qui tantum terrae nascentias Decimae obnoxia referunt. Prior ita habet: „Imprimis quod Domini Praelati, et caeteri Ecclesiastici Decimas habentes, de nullis aliis rebus, praeterquam vinis, frugibus, agnellis, apibus, milio, siligine, hordeo, et avena juxta antiquam regni consvetudinem Decimas exigant"; posterior vero: „Quoniam autem jam saepius contentiones exortae sunt, dequibus rebus terrae nascentibus Decimae exigi debeant, ad tollendas igitur omnes hujusmodi altercationes, placuit, ut tantummodo de his rebus, videlicet: frugibus, vinis, siligine, hordeo, avena, et spel-

„ta vulgo Tenkely, et non aliis Decimae per to-„tum Regnum Ungariae exigantur." – Posterior igitur articulus praeter objecta in priori contenta etiam Speltam (Triticum Speltam Linnei) memorat; nihilominus Instructio Exequentium Magistratualium hos objecta Decimae secundum priorem articulum expresse provocatum, adeoque exmissa Spelta 6) ad praecavenda quaevis subterfugia, et antevertendos excessus, tam Dominis terrestribus eorumque Officialibus, quam etiam Subditis ita diserte (nominative) enumerare jubet: „Sunt autem „species hae sequentes: Vinum, 7) A-„gnelli, 8) Apes, purum aut Siligine „mixtum Triticum, Milium, Siligo, „Hordeum, Avena." Et ita simul vox Fruges in citatis articulis occurrens vagae interpretationis determinatur, et ad Triticum purum vel Siligine mixtum refertur. Hinc Decima ex haedis (haedulis, capreolis) una cum legibus illam memorantibus (articulo 54 1498 et reliquis) abrogatae haberi debent. Fagopyrum seu Triticum Turcicum (Zea Mays Linnei) quamvis illud inter species recensitas non contineatur, adhuc tamen peculiariter excluditur ex sphaera objectorum Decimae, ita ut nequidem in contractibus urbarialibus locus ipsi dari possit. (Instr. Ex. Mag. Cap. V, § 12)

c) Colonus Decimam secundum Urbarii Caput III § 15 convehere non tenetur, nisi in robotam secus ipsi incumbentem imputetur, vel alia ratione Dominus terrestris cum illo conveniat. (vide etiam Res. Reg. de 9-a Julii 1773 Nro 3386 – 19-a e. m. e. a. Nro 3347 Com. Sopron. intimatam) Igitur dispositio legis (51, 1498) „Et unusquisque Colonorum teneatur De-„cimas ex se provenientes ad illum locum, quem

„ decimator in facie ejusdem possessionis disposuerit, importare, et pro hoc labore decimam partem accipiat", ita intelligi debet, si Colonus ad convectionem hanc (pro decima parte) libere accedere velit; cogi enim non potest 9) Ita quoque alia dispositio legis (1613, 20) „Decimarum vectura in superiori Ungaria pro mercede tolerabili fiat, juxta consvetudinem antiquam" prout omnes posteriores leges, priores citatas confirmantes (1618, 45; 1630, 20; 1635, 23; 1647, 95; et 1655, 89) eadem ratione intelligendae sunt. Eo minus vero Coloni ad triturationem, aut acervi compositionem, aliasque operas decimatori praestandas tenentur, etiamsi usus antiquus adesset, in quo casu Commentatores aliqui juris privati communis exceptionem faciunt; usus enim antiquissimus etiam non potest dispositioni legis recentioris (licet tantum interimalis) Urbarii Capitis III § 15 refragari.

d) Intertentio decimatorum tollitur 10) Urbarii Capite VII § 16. Itaque Lex (7, 1481) „Item quod decimatores deinceps non apud Villicos, sed Plebanos Parochiales descendant; verum tamen Villicus loci ubi decimatores ipsi aut prandium, aut coenam fecerint, teneatur mittere duo fercula, duos cubulos, aut duo quartalia Budensia avenae, duas tortas, sive duos panes circulares, et duas pintas vini. Hoc etiam adjecto, quod villici villarum vicinarum, in quibus scilicet tales decimatores prandium, aut coenam non fecerint, nihil eisdem decimatoribus solvere teneantur, sed totaliter exemti habeantur, ex eo potissimum, quod illi etiam alias in exactione, et collectione ipsarum Decimarum satis laborare habeant;" Lex item alia

(42, 1495) „Quod Villici propter hospitalita-„tem; quam exhibere solent decimatoribus, ad „exactionem, et administrationem Decimarum „non dicentur, nec de capitibus dicarum quid-„quam ab eis exigatur;“ Lex tandem tertia (18, 1609) „Decimatores etiam majori (quam „par est numero) et superfluo victu miseram „plebem non opprimant;“ Leges inquam hae omnes una cum effatis Commentatorum Juris privati communis in illis fundatis cessant; adeoque nec Villicus seu Judex loci, nec alter sive descensum (hospitium) seu victum decimatori praebere, seu eundem in collectione Decimae adjuvare inviti tenentur, sed tantum Decimam quemadmodum alii praestare.

e) Taxa (pecunia) Messorialis (Sarló pénz Sichelgeld) aeque suffertur Capite Urbarii VII, § 16. Igitur articulus 52 1498-i, qui pietate temporibus illis propria ita fatur: „Sunt au-„tem quam plurimi rusticorum, qui nec vine-„as habentes, neque etiam araturas facientes, „de quibus Dominis Praelatis Decimae prove-„nire deberent, absque solutione ullarum De-„cimarum in plerisque locis commorantur, se-„que christianos esse praedictis Prae-„latis Eclesiarum, sub quarum Dioe-„cesibus degunt, minime recogno-„scunt. Quare ut de caetero inter ipsos Prae-„latos Ecclesiarum, et Christicolas debitus or-„do observetur, statutum est; quod a modo „imposterum omnes et singuli Rustici, seu Job-„bagiones quorumcunque, qui sive de vinis, „sive de frugibus, et biadis (synonimon frugi-„bus) ipsorum in dioecesi quorumcunque Domi-„norum Praelatorum, et virorum Ecclesiasti-„corum Decimas solverint, tales nec pecunias „Christianitatis, nec etiam messoriales solve-

„re debeant. Messores autem de portionibus „sibi pro labore eorum (ab his tantummodo, „qui Decimas solvere hucusque consveverunt, „et non nobilibus) provenire debentibus, De- „cimas solvant: Pecunias autem Christianitatis „aut messoriales non solvant, nec interim por- „tiones eorum de campo abducere seu excipe- „re audeant, donec eorum portiones una cum „rebus decimalibus Colonorum decimabuntur. „Illi autem, qui nec ex vinis, nec ex frumen- „tis seu biadis Decimas solverint, pro pecuni- „is Christianitatis 12) sex tantummodo dena- „riis teneantur“: articulus inquam hic ea cum modificatione intelligendus est, quod quidem pecunia messorialis in genere exigi non possit, sed neque Decima quotae messorialis alias, quam si fundus ille, ex quo, et persona, ex cujus fundo Quota Messorialis provenit, Decimae subjecta sint. (sensu Res. Reg. de 21-a 9-bris 1770 Nro 5228 – 3-a Xbris e.a. Com. Borsod. intimatae) Quod igitur ab aliquibus Commentatoribus juris privati (communis) adstruitur, quod messores ratione quotae messorialis, si haec obtingat ex rebus oneri Decimarum non subjectis, e. g. nobilitaribus, aut ipsi messores domi suae, ex aliquibus, uti: agnellis, apibus etc. se Decimam praestare doceant, a Decima ex quota messoriali desumenda liberi sint, secus vero ex eadem Decimam, vel pecuniam messorialem pendere obligentur; partim non satis adaequatum est, partim vero fundamento caret. Pecunia Christianitatis per Regulationem Urbarialem non abrogata, ultra etiam, ubi hactenus in usu fuit, in quantitate lege hac determinata, et ab anologia Decimae, in cujus locum debetur, ab integra familia, non singulis ejus individuis pendenda exigi potest. (vide etiam 45, 1625)

f) Decima in capetiis (manipulis) non vero granis (extrituratis) exigi debet, sub poena violentiae secus incurrenda. (45, 1625) In bonis secularibus Nona ante Decimam, in ecclesiasticis haec ante illam exigenda. (1351, 6; 1495, 44; 1500, 29) – In decimando vino mensura Posoniensis (Budensis) velut sola legalis adhibenda est, (1807, 22; ab analogia etiam C V, § 6) Tempus desumendae Decimae est idem, quod Nonae. (1802, 7) Si agnelli aut alvearia apum decimum numerum non attingant, a singulis agnellis aut alvearibus apum denarius desumetur, et non plus. (54, 1498) Hinc colligitur, quod numerationis continuatio animalium horum nonum numerum non attingentium in futurum annum, quod in Germania (imperio condam Germanico) usitatum (das Fortzaehlen) in Hungaria locum non habeat. (vide C V huj. op. Tractatum de Nona)

g) Haec vero omnia observanda sunt, seu ipse Praelatus (in Comitatu Scepusiensi Parochus) seu vero Dominus terrestris aut alter titulo videlicet conductitio (arendatitio) Decimam exigat. Leges enim in hac re non distinguunt. Jus vero praearendandae Decimae Dominis terrestribus, salvo vero eorundem jure, etiam Colonis, a quorum fundis videlicet Decima desumitur, competit, in qua praerogativa nec per Inhibitiones aut Statuta Comitatus impediri possunt, quia directe ex lege promanat; Statuta vero invitis partibus contra legem publicam condita non tenent. – Debent tamen Coloni in hunc casum conditioni lege praescriptae satisfacere, et summam conventam aut Contractu, aut a Comitatu determinatam integram persolvere intra 15 dies a Contractu inito, vel admonitione per hominem Praelati eatenus ad faciem loci (circa

festum S. Georgii) exmissum peracta (stricte loquendo a festo S. Georgii, ante hoc festum enim et intra 15 dies post illud exarendatio alteri fieri non potest) computandos; secus jure hoc cadunt. (1547, 35; 1655, 89; 1546, 55; 1659, 54) Si nihilominus praescripto legis satisfacere volentes praetereantur, possunt deposita praevie apud Vice-Comitem summa arendatitia Decimam libere colligere; et turbationem omnem, vel ereptionem Decimae poena dupli vel violentiae per Dominum terrestrem vel Fiscum Magistratualem vindicare. (ab analogia 1547, 35; 1548, 61; 1574, 22; 1655, 89; 1715, 11; et Dec. Cur. 6-a sub rubrica Decimalis ex Privilegio)

C) Ratione desumtionis Decimae in pecunia articulus 72, 1563 ita habet: „Statutum etiam est, „ut in quibuscunque regni partibus Decimae ex „antiqua regni consvetudine vel libertate non in „specie, sed in pecuniis exigi fuerunt solitae, im„posterum quoque non aliter exigantur. Si quid „tamen aliud juris Praelatus Decimarum habere „se praetendit, liberum ei sit jure quaerere.“ Articulus hic per alium 1647, 95-um confirmatur: „Ubi vero hactenus Decimae non in specie, sed in „pecuniis exigi fuerant solitae, ita imposterum „quoque exigantur, renovaturque in eo Arti„culus 72, 1563.“ – Cum his legibus Decisio Curialis (sub rubrica Decimales ex Privilegio 2-a) quae sic habet: „Tametsi in processu ad acquisitionem Decimarum ex jure promoto incattus remonstare possit, quod antehac Decimas non in natura praestiterit, verum loco illarum modo plus, modo minus ex pecunia dependerit, nisi attamen probare valeat, pensionem illam pecuniariam fuisse pactatam, obligatio praestandarum in natura Decimarum eidem

imponi solet. Cum enim jus Decimas in natura exigendi Praelatis ex lege competat; hinc nisi a beneficio hoc per particularia pacta sponte recedant, eodem frustrari non possunt;" non cohaeret. Leges enim pactum inter Praelatum et decimandum non exigunt, sed ipsam consvetudinem antiquam sufficere diserte affirmant, ut Decima ultra quoque in pecunia praestetur. Si praestatio pecuniaria non fuit constans, sed successu temporis mutationi obnoxia, et Praelatus ac decimandus inter se de quantitate illius convenire non possent; ab analogia legum de locatione (exarendatione) Decimae latarum Comitatus eandem determinare deberet. Et analogia haec etiam quoad non mutandam summam usu constantem semper, auctam vero sine consensu decimandi post annum 1647 (vide articulum 95 hujus anni) reducendam iterum valet allegarique potest.

D) Si Decima denegatur Praelato (aut ejus arendatori) p o e n a d u p l i v e l v i o l e n t i a e denegantem manet. Est autem poena dupli mulcta pecuniaria, quae ex duplicato pretio denegatae Decimae resultat. Denegatio Decimae est vel d i r e c t a, si decimandus Decimam praestare abnuat, vel i n d i r e c t a, si desumtionem ejus quaqua ratione impediat. (Dec. 7, rubr. Decimalis ex usu) Sed ut haec poena locum habere possit, praecedens usus pacificus probari debet. (Dec. 9, sub rubr. Decimalis ex usu) Vindicatur vero denegatio contra Colonos coram Sede Dominali (contra nobiles coram Vice-Comite, vel Judice Nobilium 1729, 35). Si Praelatus ex jure procedat ad desumtionem Decimae contra Colonos, foro tabulari agere debet. Si decimator Colonorum (praesertim stricte talium) immunitatem a Decima per violentam e-

jus desumtionem laedat, vel praescriptum Legum (et Ordinationum Urbarialium) excedat, Dominus terrestris, vel Fiscus Magistratualis (Coloni non stricte tales proprio actoratu) contra eum ad poenam violentiae procedunt, ex legibus de violentia sonantibus, et aliis ad meritum actionale se referentibus. Si Communitas vel Coloni singulares jure praearendandi gaudentes (deposita ad manus Vice-Comitis summa arendatitia) in desumtione Decimae turbentur, vel eadem ipsis praeripiatur, coram Vice Comite, aut Judice Nobilium aeque ad poenam dupli vel violentialem, et quidem si Communitas sit stricte colonicalis, aut Coloni singulares stricte tales, Domini terrestris vel Fisci Magistratualis (secus proprio) actoratu procedunt. – Dum Communitas vel Coloni singulares praestationi Decimae subjecti immunitatem a Decima ex privilegio quaerere volunt, coram foro tabulari (Tabula Regia) procedere debent; et quidem si Communitas sit colonicalis (stricte talis) item Coloni singulares aeque proprie tales, Dominus terrestris, vel Fiscus magistratualis pro illis agit, secus proprio actoratu procedunt. Saepe etiam pro Communitate et Colonis non stricte talibus, si videlicet Advocatum conducere non possint, Dominus terrestris, vel Fiscus Magistratualis agit. – Si demum usum praevigentem Decimae in pecunia praestitae vindicare volunt, et Contractus inter Praelatum et se initus existat; coram Foro districtuali (Tabula Distinctuali) (1715, 28) secus vero ad repositionem via summaria, vel ordinaria, aut etiam, si desumtio Decimae violenta intervenit, ad poenam simul violentiae foris, et legibus concernentibus agere debent. Horum Processuum uberior enucleatio ad jus privatum commune per-

tinct; hic solum essentialia momenta eorum indicasse suffecerit. Et haec sunt, quae de Decima Clericali, in quantum objectum correlationis juris inter Praelatum, ejusve condutorem (arendatorem) et Subditum intercedentis constituit, seu in quantum Subditum concernit, dicenda mihi videbantur. Quamvis vero haec respectu praecipuo Hungariae dicta sunt; ligant nihilominus Slavoniam quoque et Banatum, non aliam hac in re normam sequentes.

1) Ex hoc principio processit administratio politica in Resolutione sua (Regia) circa Processum Regulatorium (Executorium) Dominii Csáktornya de 5-a Aug. 1771 Nro 3972, — 5-a 7-bris e. a. Nro 5016 Comitatui Zaladiensi intimata, dum ita fatur: „ut si Dominium praeter Nonam „(quemadmodum declarat) etiam in usu Decimae praefuit, cum Urbarialis Regulatio Decimam velut Jus Cleri in substantia non afficiat; Dominium in speciebus solum Lege praescriptis etiam quoad „exstirpatitias terras in usu Decimae (uti exponit) hucadusque continuato relinquatur." — Serius nihilominus Administratio politica curam suam non tantum eo restrinxit, ut Decima tantum a speciebus in Articulo 1, 1481 denotatis desumatur, verum generatim eo extendit, ne legum (et ordinationum urbarialium) de Decimis sanctio quaqua ratione laedatur; quod etiam palam facit Resolutio (de 1802 Nro aul. 13109) explanatoria Urbarii in specie citati Cap. V, § 5, effectum legum de Decima latarum ad administrationem (pertractatiouem) politicam, decisionem vero casuum (quaestionem) singularium de Decimis occurrentium ad judiciaria fora legalia pertinere statuens, et ita limites potestatis Judiciariae, et Politicae relate ad objectum Decimae definiens. — Hinc jam alia Resolutio Regia de anno 1803, et 1804 Nro 2293 et 5915, intuitu querelarum Colonorum quorumdam memorati Dominii Csaktornya, quod praeter censum conventum Decima quoque a terris exstir-

patitiis per Dominium desumatur; Decimam clericalem ab Exstirpaturis locum non habere decidit, et querentibus relate ad ea, quae ultra Censum pactatum ab illis exacta sunt, refusionem praestari jussit. — Haec vero cura, ut Decima (et Nona) legibus (et ordinationibus urbarialibus) convenienter praestetur et exigatur, non tantum fora politica superiora, sed et inferiora Comitatus nempe respicit, ad quam peculiarem adhibendam etiam iterato auctoritate altiori provocata sunt et quidem sub onere responsionis concernentes Magistratus singulares (in individuo) etiam mansuro, qui detectis sibi circa illegalem Decimae exactionem excessibus remedium congruum non illico adferunt, ita ut excedentes Domini terrestres non modo ad satisfactionem praestandam adigantur, sed etiam commensurata poena afficiantur. (Resolutiones Regiae de 15-a 8-bris 1813 Nro aul. 12845 de 13-a Januarii 1815 Nro aul. 1815)

2) Hinc etiam Nobiles in fundis alienis ante quoque Decimae subjectis (adeoque titulo colonicali) degentes sensu etiam articuli 69-i 1563-i oneri praestandae Decimae obnoxiantur. (Dec. 6-a sub rubr. Decimalis ex Privilegio) Si tamen Nobilis in possessorium Fundorum Colonicalium) (apertinentiarum sessionalium) jure suo (proprio) deveniat. v. g. vi tituli 40-i 1-ae; a praestanda Decima liber utique erit. (Decis. 4-a sub rubr. Decimales ex usu) Et hac ratione duae istae decisiones, quae secum ipsis pugnare videntur, conciliari debent.

3) Excipiuntur Rasciani, et caeteri hujusmodi schismatici (schisma graecanicum sequentes, Rutheni, Valachi) ut orthodoxa pietas antiquorum Legislatorum nostrorum illos vocat, sed in locis tantùm illis, ad quae condam illocati fuere (1481 3, 1495 45, et aliae leges). — Excipiuntur item servitores Ecclesiarum (Ecclesiastici, Scholares) uti Cantores, Aeditui, et alii, relate tamen ad fundationales tantum terras. (1458, 10; 1574, 22; 1647, 95)

4) Si privilegium vel praescriptio obvertatur contra Praelatum, cum hic fundatam intentionem in lege habeat, adeoque praesumtio juris pro ipso pugnet; allegantem privilegium vel prae-

scriptionem, illud usu firmatum producere, hanc vero legitiman docere debere plerique omnes censent Commentatores juris privati communis, nec aliud ego, sed addo, si Praelatus prius usum Decimae relate ad fundum actionalem docuit, nam actor actoratum probare debet; ad probam autem ejus sive ex lege seu privilegio procedat Praelatus, usum praecedentem legitimare obligatur. (Decisio 4-a pag. 84, Editio 1-a) Si Communitas vel singularis quidam ex privilegio immunitatem a Decima praetendat, etiam Foro Tabulari contra Praelatum procedere debet.

5) Hinc patet, quod apud nos Decimae praediales (Novalium), quae a fundis, de quibus memoria nec humana (ad 60 annos juxta leges nostras se extendens) nec litteris commendata exstat, quod culturam subivissent, nunc de novo (denuo) culturae subjectis, desumi solent, locum non habeant. Dixi notanter (ut verbőczianismo utar) nec litteris commendata, quia si litteris saltem cultura eorundem et usus Decimae demonstrari possit; intercidens serius cultura, et usus Decimae acquisitioni ejus non obest. (vide etiam Decisiones ad acquisitionem Decimarum ex jure)

6) Etiam Resolutio Regia de 8-a Martii 1771 Nro 1137 quaestionem inter caeteras illam Comitatus Hontensis, num Spelta objectum Decimae constituat, convenienter Capiti Urbarii V § 5, et articulo 1-o 1481 adeoque negative decidit, quae 14-a Martii e. a. Nro 1378 Comitatui illi intimata est. — Usus tamen fere ubique viget contrarius.

7) Decima vini habita etiam faecium ratione, seu illis quoque in quantitatem vini imputatis, non tantum puro vino desumatur. (Vide Res. Reg. de 29-a 9-bris 1773 Nro 5580 — 10 X-bris e. a. Nro 5090 Com. Zaladiensi intimatam)

8) Seu ex foetificatione, non vero matribus (ovibus), vide Res. Reg. de 12-a Maji 1780 Nro 2381 26. 9-bris e. a. Nro 3406 Com. Thurocziensi intimatam. — Ad quaestionem vero illam (incolarum Possessionis Valkány) utrum praeter arendam pascui ovium et Decimam ab agnellis earundem Domino terrestri competentem, beneficium Decimae etiam illi competat, a quo pascuum ex-

arendatur, Res. Reg. de 14 April. 1785 Nro 9683 Com- Torontaliensi ita rescriptum, quod Decima in quaestione vertens tunc tantum locum habeat, si praeter arendam etiam illa stipulata fuit.

9) Et in hunc sensum modificari debet etiam Decisio 7-a sub rubr. Decimales ex usu, quae Officialem dominalem, si circa mèrcedem convectionis, alium usum, quam qui vigebat, facto proprio inducere tentet, adeoque Subditos a convectione prius practicata inhibeat, in poena dupli convincit.

10) Haec jam per articulum 51 1498 § 7 abrogata fuit: „Compositorem autem acervi so„lus decimator disponat, et in expen„sis suis vivat.“ Sed dein iterum, ut leges posteriores citatae testantur, inducta fuit.

11) Decimae personales, quarum Matthiae D 1 a 3 § 5 meminit, quaeve ex objectis et professionibus lucrum fundentibus desumi solent, uti v. g. quaestu, opificio etc. apud nos locum non habent. Hae etiam in Germania jam pridem exoleverunt. (vide quodcunque systema Juris privati Germanici)

§ 16.

a) De Telonio, Naulo b) De Macello c) De Jure Fori, et Nundinarum d) De Beneficio Arundinationis et e) Molae f De Jure Detractus g) De Quaestu cum productis, et artefactis mercantilibus, et jure praeemtionis h) De praeparatione Liquorum, ac tandem i) De invento Thesauro in fundo colonicali.

a) Urbarium (C VI, § 6) Telonium et Naulum legitime constitutum, hoc est, praeterquam quod privilegio, aut praescriptione legitima (velut fontibus duobus, ex quibus illud promanat) acquisitum, non siccum (1715 15), seu abs-

que utilitate omni exercitum; (Macellum item jam ex lege Domino terrestri competens, ac jus Nundinarum, et Fori, privilegio impetrandum) nisi illa prout etiam reliqua Domino terrestri secus exclusive competentia, ita dicta jura et beneficia regalia, et dominalia stricte talia Communitatibus (oppidis privilegiatis) et quidem in specie collata fuissent, aut hae illa praescripsissent. (Decis. 5-a ad Subl. Benef. Cur.) Domino terrestri, quod alioquin per se intelligitur, salva manere asserit. Urbarium Ban. (C VI, 5-o) et Slav. (P 1, 7-o) idem quoad Jus Fori et Nundinarum disponit; Slavonicum addit, quod aeque per se intelligitur, Dominum terrestrem publicum carne sufficienti providere absque ullo Colonorum onere obligari, his vero pecora et pecudes pro domestica necessitate mactare vetitum non esse, ita tamen, ut emacillare, et libratim vendere carnes non praesumant. Porro Urbarium Hung. et Croat. (C III, § 18) Colonos generatim a solutione Telonii, et Nauli etiam, (quamvis enim tantum Telonium memoretur, nihilominus Naulum quoque sub illo in sensu lato sumto comprehenditur, significatione et grammatica, et etiam juris, seu analogica) in casibus his eximit:

1-o) Si in servitio (negotio) qualicunque Domini terrestris constituantur, tam in itu, quam reditu; Passualibus tamen in casum hunc providendi. (1492, 86; 1618, 59; 1625, 36; 1635, 71)

2-o) Si ad molam fruges suas, adeoque non alienas pro mercede, commolendas vehant. (vide etiam 1492, 86)

3-o) Si ad perficiendos labores suos (non alienos) oeconomicos per Telonium transeant. Labores oeconomici (oeconomicales) autem o-

mnes intelligi debent, qui circa oeconomiam propriam Coloni occurrunt, seu qui ad promovendam illam necessarii, aut utiles sunt, adeoque non tantum operae ad culturam fundorum requisitae, sed et relique omnes; Urbarium enim inter labores oeconomicos non distinguit.

In his casibus, excepto ultimo Coloni non tantum in Teloniis et Naulis suorum Dominorum terrestrium, sed et aliorum quorumcunque sensu legum citatarum immunes sunt a solvenda taxa. In tertio tamen casu haec immunitas, velut in Urbario correlationes solum inter Dominos Terrestres et Colonos determinante fundata, his etiam tantum in Teloniis illorum competere potest. 1)

Quae de immunitate in casibus memoratis adducta sunt, generatim quidem ut studio dixi de omnibus Colonis intelligenda sunt, sine respectu videlicet, an Coloni proprie vel improprie tales sint; in specie vero de illis tantum valent. Colonorum non stricte talium immunitas non semper a certi generis negotiis commemoratis, sed a conditione (statu) civili dependet, adeoque etiam immunitas non in certis tantum casibus, sed in omnibus personam propriam, cui immunitas competit, concernentibus locum habet. Verum uberior hujus rei enucleatio ad jus civile privatum commune spectat. Id solum hic loci tanquam singulare quid commemorari debet, quod Coloni Archi-Episcopatus Strigoniensis juxta antiqua eorum privilegia, ut lex (41, 1899) dicit, a solvendo Telonio et Naulo per totum regnum et in omnibus casibus personam ipsorum concernentibus exemti habeantur. – Coloni igitur generatim, nisi quoad personam suam exemti sint; exceptis casibus supra enumeratis ad sol-

vendum Telonium et Naulum obligantur. Regulatio tamen Urbarialis hanc ipsorum obligationem absolutam in conditionatam mutavit, ita videlicet, ut ipsis facultatem tribueret, vel Telonium et Naulum solvendi, vel vero utrumque redimendi proportionato concursu ad reparationem et conservationem viarum et pontium telonialium. (C III, § 18) Haec alternativa ad lubitum Colonorum occasione Regulationis Urbarialis primaevae delata, tunc simul sufferri debebat, ita ut Coloni semel pro semper se determinare debuerint vel ad Telonium solvendum, vel concursum proportionatum laborum ad reparationem Telonii vel Nauli. Prout unum, vel aliud praeelectum fuit, ita etiam Urbaria relate ad Capitis III §-um ultimum accommodabantur. (Instr. Ex. Mag. Cap. V, § 10) 2)

b) Quoad Macellum Urbarium (C VIII, § 5) tantum poenam in casum involationis Coloni in jus hoc dominale per inductionem carnium aliunde, vel emacillationem earundem determinavit; in utroque casu poenam amissionis (contrabandae) carnium inductarum vel emacillatarum et emacillandarum, ac simul triduani laboris manualis in utilitatem Domini terrestris peragendi. (vide etiam Res. Reg. de 30-a Julii 1768 Com. Tolnensi 1-a 7-bris e. a. intimatum) Haec tamen poena tantum in casum eum locum habere potest, si Dominium obligationi quae Colonos et alios in territorio loci, vel dominii habitantes, illucque advenientes (publicum generatim uti dici amat) carnibus necessariis providendi satisfaciat; secus enim emacillatio carnium Subditis libera est, quin Dominus terrestris pensum aliquod sive a singulis emacil-

latis pecoribus, sive generatim pro emacillatione praetendere possit. (Res. Reg. de 19-a Maji 1780 Nro 2535, Com. Sáros. 29-a e. m. e. a. Nro 3494 intimata) 3) Et in hunc sensum intelligi debet Resolutio 9-a Febr. 1769 respectu Oppidi Znio Várallja Comitatui Barsiensi intimata, praecipiens, ne Subditi carnes (et vinum) pro nuptiis, et encaeniis aliunde adferre praesumant. Urbarium Slav (P 1, 7-0) tantum poenam confiscationis in Jus Macelli dominalis involantibus dictat.

c) Relate ad jus Nundinarum, et Fori nihil peculiare Regulatione Urbariali statutum habetur, adeoque haec dispositiones juris privati (Colonis una cum aliis) communis, sine exceptione sequuntur.

d) Circa Arundinationem (vide inscriptiones ad spatia vacua Urbar. in specie ad Cap. III § 13) haec sunt tenenda: Coloni in locis illis, quorum territoria silvis carent, arundine tamen abundant, indultu Domini Terrestris illa in vicem lignorum frui solent. Hoc beneficium stricte est dominale, et ideo ejus usum Subditis admittere, vel non admittere occasione Regulationis Urbarialis primaevae ab arbitrio Dominii pendebat; concessum tamen in Urbarium inferebatur, et hac ratione perpetuum reddebatur, non amplius denegandum, nec praestationes obvenientes alterandae. Usus Arundinis ab analogia Lignationis, cujus vicem subit, tantum ad propriam Coloni necessitatem in regula locum habere potest. Neque tamen pro foco solum, sed etiam pro tectis domuum, aliorumque aedificiorum, sub iisdem conditionibus, quibus Lignatio relate ad hos usus adstricta est, competere videtur. Praestatio ex parte Colonorum correspondens est sectio 40 Manipulorum Arundinis, et eorum simul ad allo-

dium, vel alium in territorio Dominii locum per Officialem Dominalem designandum convectio. Haec tamen sectio et convectio, quemadmodum de Lignatione dictum est, dirigit se juxta qualitatem Sessionum, expositae quantitatis sectione et convectione Colono integrae Sessionis incumbente. In Banatu Communitatibus quibusdam paludes assignatae habentur pro Arundinatione. (C VI, 3-io)

e) Beneficium Molae est jus regale stricte tale, adeoque Domini Terrestres ad id cogi non possunt, ut molas apud Colonos relinquant; modo tamen legitimo abaestimari debent, et pretium aestimationale iisdem accurate persolvi, antequam recipiantur. Si Coloni illud levare nollent, ad manus judiciarias deponendum est (Res. Reg. de 25-a Aprilis 1774 Nro 2082, Com. Ugocs. 5-a Maji e. a. Nro 2055 intimata) Quo casu tamen detractio vigesimalitatis locum non habet; quod lex (Wlad. Decr. I, a. 95, § 14; 1609, a. 74, § 14; 1638, a. 31, § 2) de retentione vigesimalitatis pecuniae ad manus judiciarias depositae ad negotium inter Subditum contribuentem, et Dominum terrestrem vertens referri haud possit. 4) (Res. Reg. de 22-a 7-bris Nro 11798, Com. Toln. 13-a 8-bris e. a. Nro 20348 intimata) Subditi tamen non obligantur, adeoque nec stringi possunt ad id, ut Molis dominalibus utantur (Mühlzwang), sed liberum est iisdem fruges suas ad quamlibet Molam devehendi. (C III, § 5) Neque possessores molarum in Hungaria, Croatia, et Banatu taxam aliquam pro usu illarum; in Slavonia contra a singula rota molae cochlearis 1 florenum, ordinariae fluvialis excepta danubiali et dravana florenos 2, danubialis demum et dravanae florenos 8 solvere obligantur.

f) Quoad Jus Detractus ad postulatum oppidi Mosony (Com. Moson.) reliqua inter illud quoque, - ut a substantiae Subditorum extra regnum migrantium singulis florenis 6 cruciferi, ad aliam vero provinciam intra regnum concedentium singulis fnis 3 xri titulo juris Detractus (Abfahrtsgeld) solvantur, - et Consilii R. L. H. opinionem eatenus Suae Majestati depromtam, quajustitiam postulati hujus relate ad illos, qui e regno migrant Colonos agnovit; Sua Majestas ita rescripsit: Quoad pendendum jus Detractus relate ad illos, qui e regno emigrant, nullam quidem reflexionem subversari. Quia tamen juxta etiam legum patriarum omnem incolis regni emigrationem vetantium sensum Jus Detractus neutiquam privatis, sed Regi competeret; illud ad aerarium regium (camerale) inferatur, una vero dispositio haec non tantum Dominis terrestribus Comitatus Mosoniensis, sed etiam reliquorum Comitatuum generatim normam positura, his quoque intimetur. (Resol. Reg. 14-a 8-bris 1771 Nro 3567 Com. Moson. intimata; alia quoque sub 28-a 9-bris e. a. interveniens inductionem juris Detractus confirmavit) Resolutio haec Regia 28-a 8-bris 1771 Nro 5923 omnibus Comitatibus intimata exstitit.

g) Quaestus 5) inter Dominum et Colonum relate ad objecta, 6) quibuscum exercetur, divisus est. Ut autem circa materiam hanc magni utique in correlatione juris, inter utrumque vigente momenti, nec tamen satis elucrubratam, eo majori cum fundamento, et claritate sensa nostra depromere valeamus; juvabit ipsum textum Legis, et Urbarii citare. Artic. 75, 1723 ita fatur: „Pro conservando, et augendo quorumcunque materialium, et manu-

„facturarum libero quaestn statuitur, „ut praeemtiones diversarum rerum venalium, „si et in quantum legitimus earum usus „adesset, eaedem deinceps quoque continuari „valerent. – Ad propriam tamen nonnisi neces„sitatem restringuntur. – Non autem eo, ut „deinde aliis cariori iterum pretio venales e„jusmodi res distrahantur, extendendae." Hinc apparet, quod quaestus quemadmodum aliorum ita et Colonorum quoad objecta vel loca certa non restringatur, sed potius cum quibuscunque materialibus et manufacturis exercendus concedatur; illi solum conditioni quoad hos (Colonos) alligatus, ut Domino terrestri in usu praeemtionis rerum, quibuscumque quaestus exercetur, constituto, eadem ultra quoque ad propriam necessitatem non autem ulterioris quaestus gratia salva maneat. Hinc etiam articulus 15-us 1723-ii § 10 ita habens: „Pro justo pre„tio Dominorum terrestrium praeemtione pro „iisdem salva permanente;" sensu prioris adeoque praeemtio tantum sub conditione praehabiti usus intelligi debet. – Urbarium Hung. Cap. VII § 3-o et 4-o ita habet: § 3-o „In libera tabacae, mellis, cerae, butyri, lini, canabum, aliorumque naturalium, cuicunque, et a quocunque voluerint, emtione, et venditione Subditi per Dominum nullo modo turbentur; multo minus contrabanda, vel aliis mulctis pecuniariis, sive vero in corpore ob venditas res sudore, et industria quaesitas puniantur. Salva duntaxat ad sensum Articuli 75, 1723 pro Dominio praeemtione deposito illo, quod libere conventum fuerit, pretio, nec per imputationem futuri census, sed praesentis pecuniae numeratione. Praeemtio quoque haec sensu praeallegati articuli ad pro-

priam Dominii necessitatem intelligatur, neque per hanc occasionem extranei causa emtionis ad territorium ingredi volentes arceantur, aut Coloni res venales alio devehere prohibeantur, seu facto, seu mandato, neque ideo res Colonorum detineantur, sed prout Colonus cum extraneo convenerit, erga tale pretium instanee deponendum praeemtio pro Dominio admittatur, justo rerum pondere, et statera observatis; adeoque venditio pro Colonis libera maneat, neque ad vendendum Dominio suo, si nolint, cogi possint." § 4 „Quemadmodum monopolia positivis legibus vetita sunt, ita nec arendationes rerum et naturalium ad quaestum pertinentium, cum exclusione, aut restrictione Subditorum fieri possunt." Eadem ratione Urbarium Croaticum eodem Capite et §phis habet. Urbarium Ban. et Slav. nihil de quaestu inter Dominium et Subditos disponendo; dispositionem Legis salvam reliquerunt. Hinc iterum apparet, quod Urbarium Hung. et Croat. quaestum Colonorum sensu provocati articuli supra recitati relate ad certa objecta vel loca aeque non restringat, neque praeemtionem generatim sed tantum ad usum praecedentem, et propriam necessitatem restrictam concedat. Caeterum modum praemtionis magis adhuc determinat, et excessus quosdam circa illam, et quaestum per Dominum terrestrem nefors committendos (ad quos pertinet etiam naturalium, et victualium ad emendum, et vendendum Colonis obtrusio (C VII, § 15) expresse notat, et vetat. Nihilominus Instructio Commissariorum Regiorum § 36 ita praecipit: „In quantum reflexe ad Urbarialis Puncti VII-i § 3 quaestio de emtione, et venditione rerum oriretur; Commissarii Regii eo rem dirigent, Comitatusque in-

viabunt, ut omnino emtio, et venditio seu quaestus rerum cum universis productis, et manufacturis rusticanis ad rationem Colonorum liber, et imperturbatus relinquatur; e converso autem ad alias nulla ratione rusticanas, sed mercantiles species non extendatur.“ Hac igitur dispositione quaestus cum rebus universis inter Dominum, et Subditum ita divisus est, ut huic quaestus cum materiis (Urstoffe, rohe Stoffe) — quae videlicet oeconomia ruralis, ad quam utique res quoque pecuaria, ut essentialis ejusdem pars pertinet, producit, et artefactis, quae cum illa conjuncta per ruricolas parari solent (de quibus tractat Technologia Ruralis) concederetur, reliquus Domino terrestri reservaretur. — Hoc per se intelligitur, quod quaestus Colonorum cum productis, et artefactis his non possit esse restrictus ad objecta tantum illa, quae e fundo suo, seu oeconomia propria proveniunt; hac namque restrictione idea quaestus sufferretur, adeoque Subditis nullus plane competere assereretur. Propria enim producta naturae, et ex illis parata artefacta vitae sustentandae, et lucri cujusdam capiendi ergo distrahere adhuc quaestum non involvit; hic enim emtione rerum fine venditionis cum lucro conjunctae absolvitur. 7)

Competit vero Domino terrestri non tantum rerum venalium, sed et operarum rusticarum m a n u a l i u m praeemtio, in eum casum videlicet, si Colonus operas ejusmodi alteri locare intendat; tunc enim Dominus terrestris jure exigere potest, ut sibi prae alio illas locet, erga eandem mercedem tamen, quam alter promisit, si Colonus aliam conventionem cum Domino terrestri eatenus inire nollet. Si opera ejusmodi sit, cujus merces jam praevie

per Comitatum defixa, seu quae, ut dicere solemus, limitata est, Colonus utique illa per Dominum terrestrem exolvenda contentus esse debet. – Notandum autem est, quod Urbarium (leges de illa altum silent) tam Hungaricum, quam Croaticum tantum operarum manualium praeemtionem Domino terrestri tribuat; hinc ergo jus hoc contra expressam dispositionem Urbarii non potest invito Colono ad jugales extendi. Extensio ejusmodi esset Excessus ut dicitur Urbarialis. (C III, § 9) Quod attinet vecturas in specie, Urbarium (C III, § 16) praecipit, quod Colonus per Dominum ad illas praestandas etiam pro mercede cogi non possit; sed libertas omnimoda Colono salva sit, vecturas Domino praestandi vel non praestandi, et pro qua mercede sibi conducere putat. – Urbarium Banat. (C IV, 7-o) sensu legis (75 1723) praeemtionem Dominis terrestribus concedit. Urbarium vero Slav. nihil de illa statuens dispositioni legis aeque locum facit. Ad servitia sic dicta aulica seu domestica Coloni vel eorum filii aut filiae aeque cogi non possunt inviti; quod jam ex generali norma, quod Subditi praeter servitia Urbario praescripta sibi incumbentia ad alia stringi non possint, fluit, et praeterea Res. Reg. 21-a Augusti 1782 Nro 7988 intimata vetatur. Adeoque Articulo 62, 1723, qui jus cogendi Colonos ad ejusmodi servitia Dominis tribuere videtur, derogatum est.

Si dubium oriatur relate ad quaestionem, an productum vel artefactum (manufactura) aliquod ruralis oeconomiae (rusticanum) vel mercantilis speculationis dici debeat; decisio ejusdem ad fora politica, et quidem altiora Consilium Regium L. H. et Cancellariam Reg. H. A. pertinet. (Res. Reg. 29-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata)

h) Urbarium Hung. et Croat. Capite VI § 4 Liquorum Spirituosorum praeter vinum praeparationem praecise ad jura Dominalia pertinere statuit; cujus tamen dispositionis in legibus nulla occurrit mentio. – Sed quaeritur, an praeparatio liquorum illorum absque omni restrictione Domino terrestri competat, ita ut Colonus nec pro usu proprio, nec etiam quaestu liquores similes praeparare possit, vel an jus praeparandi exclusivum Domini tantum ad Educillum restringatur, caeterum vero Colono libera sit? Possunt argumenta pro et contra adferri, pro dominis haec: 1-o Urbarium distinctionem hanc non noscit; verum generatim jus praeparandi liquores Domino terrestri tribuit: „pro- „ut etiam omnis cremati et cerevisiae educillatio, „ac liquorum praeparatio praecise ad jura domi- „nalia pertineat“; (idem quoque Urbarium Slavonicum asserit) ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere oportet. 2-o Ipsa quoque vocula praecise sufficienter evincit, quod jus hoc Domino terrestri absque ulla restrictione competat. 3-o Urbarium citato Capite contradistinguit jus educillandi liquores, et eosdem praeparandi, et utrumque Domino terrestri exclusive tribuit; hinc ergo sequitur, quod non tantum pro Educillo, sed et pro reliquis usibus, quaestu etiam, praeparatio sumi debeat. 4-o Si Subdito pro usu privato praeparatio Liquorum concederetur, utique praeparatio Domini terrestris pro Educillo fere nullius esset utilitatis, vel haec saltem nimium quantum diminueretur. Argumenta pro Colonis militantia sunt: 1-o) Colonis quaestus cum universis oeconomiae ruralis productis, atque exinde arte rustica praeparatis competit; jam vero liquores plerique, et maxime usitati ad technica oeco-

nomiae ruralis producta referri possunt, imo debent, uti cremati diversissimae species, cerevisia, mulsum, mustum e diversis fructibus (Cyder), acetum, imo haec duo utique ad vinum referri debent, et tantum gradu fermentationis ab illo differunt. 2-o) Cremati exustio Colonis pro quaestu et privato usu licita est, hoc tamen praecipuam speciem liquorum constituit; cur igitur alia esset ratio reliquorum? 3-o) Coloni relate ad usum saltem prductorum ex oeconomia propria, fundis propriis non sunt restricti; adeoque saltem ex productis illis necessitatibus suis praeparatione etiam liquorum subvenire possunt. 4-o) Quod Dominus terrestris aut exiguam, aut nullam utilitatem ex solo Educillo liquorum horum perciperet, id officere non potest; quia lucrum ex Educillo non unicus est proventus Domini, quem ex usufructu fundi Subdito cessi percipit, et utique argumentum hoc dependet a localibus potius circumstantiis, quam in genere verum esset. – Quae ex his argumentis firmiora sint, adeoque quae ex his inter se comparatis consequentia formanda sit, penes prudentiores esto judicium. Ego illud solum hic affirmare ausim, si Colonis etiam respectu Domini terrestris praeparatio liquorum vi citatorum argumentorum competeret, illisque tribueretur, saepe tamen respectu salutis (utilitatis) publicae per administrationem publicam eidem negari deberet, iis praesertim circumstantiis, quas de negato saepe jure exurendi crematum attulimus. Hinc etiam usum pro Dominorum terrestrium parte instar argumenti non adduxi; est enim semper quaestio, an non ratione salutis publicae (communis boni) ipsis jus hoc negatum sit? qui respectus utique ad juris privati inter Dominum et Colonum vi-

gentis correlationem nullum influxum habere, et ideo pro ratione circumstantiarum, absque laesione juris privati dominalis alia etiam norma induci potest.

i) Quid circa Thesaurum in fundo Coloni inventum juris sit, non melius declarare possum, quam si adducam Extractum Caussae Fisci Dominalis Dominii Episcopatus M. Varadinensis latini ritus contra Alexandrum, et Simeonem Vules, Gabrielem Báth et qua inventi in territorio possessionis Rieny ad Dominium Vasko Episcopatus M. Varadinensis spectante Thesauri clancularios dilapidatores; partim ad bonificandum, partim ad restituendum Thesaurum, coram Sede Dominali praefata, mota. Fisco quoque Regio semet in causam hanc ingerente. In qua procedens Sedes Dominalis actione Fisci Dominalis ax propriis Incattorum fassionibus probata; eosdem in solidum in onere inactionatorum 1580 florenorum per illos partim elocatorum; partim consumtorum convicit, a poena vero corporali imputato in eam squallore carcerum hactenus perpessorum relevavit. Fiscum Regium ex eo, quod citatae per eum Patentales, vi quarum ingestionem suam stabiliri voluit, sibimet ipsis contrarientur; adeoque semet ipsas elidant, in articulum porro 12, 1791 impingant; allegato etiam usui per decisionem Sedis suae Dominalis Lubloviensis Fiscus regius ipse praejudicaverit, jusque, et usum Dominorum terrestrium reliquorum, qua Dominus terrestris sustentaverit, et aliis quoque singularibus rationibus ab ingestione sua removit. – Sedria Comitatus concernentis, siquidem juxta leges patrias dupplex tantum esset Fisci Regii titulus successionis, Defectus videlicet et Nota, horum autem nullus ad inventionem Thesauri

applicabilis esset, citatae vero per illum Patentales directe in articulum 12, 1791, qui regnum Patentalibus gubernari vetat, impingerent; Sententiam Sedis Dominalis circa ingestionem ratihabuit. Caeterum cum Inventor Thesauri Alexander Vules, uti ex actis processualibus evenit, intentionem Thesaurum inventum occultandi non habuerit, sed ut imbecillis per Simeonem Vules seductus, et defraudatus sit, ex eoque tertialitate Thesauri Inventori competente frustrari haud posset; hanc eidem adjudicavit, perpesso aresto, cum casus actionalis criminalis haud esset, invinculatis in poenam nequaquam imputato, sed potius tanquam necessariam detentionem, ut objectum actionale eo facilius elucubrari posset, considerato. – Tabula Regia dein ingestionem Fisci Regii locum habere, et tertialitatem actionalis Thesauri eidem competere judicavit. – Tabula tandem Septemviralis provisione legis non existente; Sententiam Tabulae Regiae in his causae circumstantiis, licet nempe citatae per Fiscum Regium Patentales vigore quidem legis destituantur, cum tamen idem in usu facti participationis Thesauri hucdum praefuerit, adprobavit. Ex hoc Extractu omnes scircumstantiae circa Inventionem Thesauri occurrentes, quomodo considerandae, disci possunt. Hic loci adhuc commemorari debet peculiaris dispositio Urbarii Slavonici (P II, 8-o), vi cujus si quispiam intra metas territorii dominalis apum alvearia reperiret, Dominio significare, istud vero sive in natura, seu justo pretio tertiam partem jure inventionis inventori persolvere obligatur.

1) In legibus porro occurrunt adhuc alii casus, in quibus exemtio a solvendo Telonio, et Naulo locum habet; uti in casu deductionis sponsae,

(1492, 86) reparationis et conservationis pontium et aggerum in confiniis, (1723. a. 15, § 15) profectus in negotio publico regis et regni, (sensu 1522. 44; 1545, 28; 1548. 54) et demum in casu ab ultra non transitus. 1551. 8; 1659, 57) Sed haec exemtio respicit generatim omnes ignobiles, adeoque non solos Colonos; imo etiam casus sub 2-do) attactus inter illos referendus est, cum Lex rustico seu ignobili in genere, non in specie Colono immunitatem illam tribuat.

2) Illud quidem vix dubium esse potest, quod solutio Telonii vel Nauli non profluat e nexu subditelae, adeoque praestatio ejus vel proportionati laboris non sit praestatio Urbarialis, nec ad Jus Georgicum stricte spectet. Ratio, ab quam Administratio politica hanc attentione sua dignam reputavit, est certe non alia, quam ut Colonos contra arbitrium et abusum Dominorum terrestrium, quantum fieri potest, tutos redderet. Sed in casum reluitiones Telonii vel Nauli proportionato gratuito labore parum, vel nullatenus intentionem suam Administratio publica assequeretur, si concursum hunc solum arbitrio vel conscientiae Dominorum metiendum relinqueret, ut adeo vel hinc manifeste necessitas conventionis ratione concursus hujus inter Dominum et Subditos (Communitatem) cum influxu Comitatus respectivi (Testimonii Legalis) ineundae, et pro ratificatione altioribus quoque locis submittendae elucescat. In omnem vero casum Comitatui respectivo curae esse debet, ne justa proportio inter labores per Dominos terrestres ad reparationem Telonii vel Nauli exigendos et ipsum Telonium vel Naulum secus per Colonos solvendum excedatur. (Edictum Urb. de 23-a Januar. 1767) — Si vero Telonium in pecunia solvendum est per Colonos, et ratione immunitatis a solutione in certis casibus controversia inter Dominum terrestrem et Colonum oriretur; hujus decisio utique ad forum politicum pertinebit, adeoque Intimato vel Resolutione Regia superari debebit. (Resol. Reg. de 27 9-bris 1780 Nro 7145) Urbarium Ban. et Slav. correlationem juris inter Dominium et Subditos ratione Telonii et Nauli nullam novam defi-

niunt, ut adeo illa a dispositione legum unice pendeat.

3) Hinc quaestio, an jus Macelli simul obligationem absolutam, ad quam Dominus terrestris cogi quoque, nec tamen ei renunciare possit, publicum carnibus sufficientibus providendi involvat, positivam etiam solutionem nanciscitur. Quod enim Dominus terrestris, vel quiscunque alter ex privilegio jure gaudens emacillandi carnes, vi hujus juris, in cujus exercitio alii ipsum impedire non possunt, obligationem simul absolutam, ad quam cogi quoque semper posset, non habeat, jus hoc exercendi; jam ex generalibus juris principiis fluit, cum juri suo quisque renunciare possit, dummodo renunciatio fiat modo legitimo, ita videlicet, ne jura privata tertii aut publica status laedantur: secus enim ejusmodi renuncians et ad satisfactionem praestandam, et ad poenam quoque convenientem luendam optimo jure trahetur. Adeoque Dominus terrestris hactenus jus Macelli exercens illud intempestive occasione adventantis v. g. militiae ad locum, quem hucusque carnibus providit, deserens, damnum, quod ex illegitima hac renunciatione in Colonos suos redundat, omni jure refundere obligatur. Illud quoque certum est ex generalibus juris principiis, quod si semel Dominus terrestris juri Macelli, sive expresse, sive tacite, quod videlicet illud sive penitus sive debite non exerceat, renunciavit, et Coloni vi Resolutionis supra citatae illud exercere incipiant; hi amplius in hoc suo exercitio per Dominum terrestrem turbari non possint; quod semel placuit, amplius displicere non potest. Quamquam inde non recte forte necteretur consequentia, Dominum terrestrem etiam tum non posse simul cum Colonis (Communitate) jus Macelli exercere. Si vero Communitates Jus Macelli titulo locati conducti cum Domino terrestri initi exerceant, et per se intelligitur, et Urbario quoque (C VII § 14) peculiariter notatur, quod Domini terrestres non possint elustrata pecora sua emacillanda iisdem imponere.

4) Cum principiis his Resolutio Regia 29-a Martii 1787 Comitatui Zaladiensi intimata „ad 4-tum,

„querelam nempe illam, quod Oppidanis (Szala „Egerszeghiensibus) in obversum praehabiti usus „prohibitum sit, cum sale, candelis, tabaca et „his similibus quaestum exercere." — „Siqui„dem Incolarum liber quaestus unice ad propria sua producta extensus esset, ideo „quaestum cum sale, et similibus ad jura re„galia pertinentibus iisdem haud competere"; Resolutio item Regia de 17-a Maji Nro 1957 C. Zempliniensi 26-a Maji e. a. Nro 2802 intimata beneficium forense (huc non intellectis, quae ex rurali oeconomia producuntur) juris terrestralis esse et ad regalia Domini pertinere, proinde a Dominii arbitrio dependere Laridi, Smigmatis, et Candelarum distractionem exarendare asserentes, minus consentire videntur. — Quaestum cum sale etiam Intimatum Consilii R. L. H. 21-a Februar. 1784 ad Com. Castriferrei directum ad regalia pertinere, adeoque soli Dominio observata Articuli 5-i, 1729 dispositione competere, neque tamen ideo Subditis prohibitum esse, si voluerint, ex alio quoque loco salem pro usu suo adferre, affirmat. Hujus autem articuli dispositio in eo consistit, ut Dominus terrestris (Liberae Regiae Civitates, Oppida privilegiata, aliaeque Communitates) in suis depositoriis salem eo pretio, quo in proximo depositorio Regio venditur, distrahant, adjecto solum in montosis Comitatibus tribus, in planis vero duobus cruciferis singulorum centenariorum pretio titulo vecturae, et aliarum expensarum pro singulis milliaribus, a proximo regio depositorio ad privatum concernens computandis. Subditos tamen ab emtione salis pro propria necessitate in quocunque depositorio regio, aut quibusvis publicis foris et nundinis inhibere, sub poena amissionis salis ad privata depositoria respectiva deportati ac 500 florenorum actore Fisco Regio Aerario, actore vero Fisco Magistratuali Comitatensi Cassae publicae Comitatus concernentis inferendorum, excepta tertia 500 florenorum parte denuncianti cedente, coram foro Vice-Comitis toties quoties desumendorum cautum est. Poena eadem falsum denunciatorem manet. Ex

hoc articulo simul illud quoque patet, quod Subditis (indirecte) salis quaestus prohibitus sit, cum pro propria tantum necessitate salem aliunde adferre ipsis permittatur; adeoque fundamentum prohibiti Subditis quaestus cum sale non alibi, sed in positiva legis hujus dispositione quaerendum es.

4) Vigesimalitatis Detractio igitur negotio inter Subditum et Dominum vertente generatim locum non habet.

5) A quaestu tamen probe discernenda sunt Mercatura, et Opificia certi generis, quae quidem a Colonis exerceri possunt, quin praestatio peculiaris eatenus in Hungaria et Croatia locum habeat, nisi Dominus terrestris in usu jam ab antiquo certum censum ab opificibus desumendi (ductu Res. Reg. de 6-a 8bris 1783 Nro 9708) esset. (Communiter et ab exercitio Mercaturae certus Census annuus conventione mutua Mercatoris et Domini terrestris definitus huic pendi solet). Sed haec libertas Colonis ratione Domini terrestris competens extendi non potest etiam ad coincolas ejusdem loci; quia liberum exercitium Mercaturae vel Opificii illis tantum competere potest, qui in contubernium respectivorum Opificum vel Mercatorum recepti sunt. — Hinc etiam Resolutio Regia 24-a April. 1784 Com. Zalad. intimata obmotam per Oppidanos Zala Egerszegienses de distractione Candelarum quaestionem ad injuriam existentium hujusmodi Opificiorum spectare asseruit. Urbarium Banaticum a majoribus Opificiis (grössern Gewerben) moderatum, et industriae (Betrieb) attemperatum Censum praemissa conventione: a Mercatoribus vero ad Classem 1-am spectantibus, illis nempe, qui cum mercibus sericeis, panno subtilioris et mediocris qualitatis, vel materialibus (Specerey Waaren) commercium exercent, minoribus mercatoribus (Krämer) et circumforaneis (Hausirern) merces suas, quas e fabricis et depositoriis, vel secus e prima accipiunt manu pro distractione credunt (vorlegen) 20 florenos; a Mercatoribus ad 2-am Classam relatis, qui cum crudioribus, et vilioris pretii mercibus (grobe Waaren, Dockenwerk, und derley geringeren Sachen) et in locis non secus vias regias (Haupt-

strasse) sitis commercium exercent adeoque minus distrahunt, nec minoribus mercatoribus merces credunt, nundinas tamen frequentant, florenos 10; porro 3-ae Classis, seu minoribus Mercatoribus paganis (Land-Krämer), qui in pagis fornicibus gaudentes nundinas quidem invisunt, non tamen cum sericeis aut aliis magis pretiosis (beträchtlichern) mercibus in majori quantitate mercantur, verum illas ab aliis extraneis mercatoribus erga creditum (Vorlag) accipiunt, florenos 10; demum a Circumforaneis nullo stabili fornice provisis, sed in nundinis solum annuis, et hebdomadalibus merces suas distrahentibus, qui ad 4-am referuntur Classem, florenos 5 desumendi Dominis terrestribus indulget (C IV, § 1, 8-o). Urbarium dein Slav. (P 1, 13-o) Opifices, et Quaestores (Mercatores) in pagis et oppidis commorantes juxta ineundam moderatam Conventionem Censum praestare jubet.

6) De quaestu in specie cum vinis et lignis Colonis competente actum est in tractatibus de Beneficiis Educilli et Lignationis Subditis competentis (§ 11, 12)

CAPUT V.

DE PRAESTATIONIBUS URBARIALIBUS.

§ 17.

De Praestationibus urbarialibus in genere.

Praestationes generatim Colonorum urbariales, quae in Nexu Subditelae fundamentum suum habent, vel debentur a fundo vel intuitu

fundi, hoc est ab usu (in sensu latissimo) fundi urbarialis, vel exercitio juris cujusdam, (Pascui, Lignationis, Vinum adustum praeparandi, Opificii, vel Mercaturae, aut Molae) in fundo juri terrestrali obnoxio. Posteriores hae jam suis locis (§ 10, 11, 13, 16) pertractatae sunt. Hic igitur tantum de prioribus agendum est. Hae vero in duas abeunt classes: Rerum et Operarum. De illis § 18, de his § 19 agetur in specie.

Praestationes rerum veniunt nomine Census, Census Fundualis, Terragii *(Grundzins)* et consistunt vel in productis oeconomiae ruralis *(Naturalibus)* vel in pecunia. Hinc Census vel est pecuniarius (Geldzins) vel naturalis (Naturalzins).

Ad Censum pecuniarium pertinet, et quidem in Hungaria et Croatia Census ita dictus annuus *(annualis)*, rectius Fumagium, seu Focagium, Füstpénz, Rauchsteuer, Rauchpfennig, et Subsidium diaetale, ac redemtionale Captivi Domini terrestris; in Banatu tantum Census annuus; in Slavonia Census agrarius seu ut dicitur p r o j u r e t e r r e s t r a l i solvendus, Subsidium Diaetale, et Redemtionale. – Census pecuniarius solvitur secundem pedem florenornm rhenensium 20 grossorum, et 60 cruciferorum (1807, 22, § 7)

Ad Censum naturalem referuntur in Hungaria et Croatia certa quota productorum (nascentiarum) omnium terrae, et foetuum quorumdam animalium, communiter nona, aliquando etiam septima vel octava, vel decima; unde denominatio Nonae, Septimae, Octavae, et Decimae, absque additis vocibus p a r t i s p r o d u c t o r u m t e r r a e, aut a n i m a l i u m; praeterea ita dictae Datiae seu Victualia, aut etiam Munera, Muneralia. In Banatu Decima generatim Frugum

(Fruchtzehend) animalium vero eorundem, Datiae item, et Victualia eadem, quae in Hungaria, et Croatia obtinent. In Slavonia Census naturalis nullus locum habet. 1)

Operae a Colonis praestandae communiter Servitutes, et Robotae 2) appellantur. Intelliguntur vero sub illis operae officiales, (non artificiales), quae vel jumentis, communiter bobus, vehiculis item, aratris, et occis, reliquisque instrumentis (quibus Subditi oeconomiae suae vacant) propriis, vel pedibus aut manibus, diebus non feriatis, et de die, absque ulla mercede in utilitatem, et emolumentum Domini terrestris per Colonum certa mensura perfici debent.

Sunt autem Operarum, quas Coloni praestare debent, distinctae species hae, et quidem in Hungaria et Croatia: Operae hebdomadales, quae ordinariae vocantur, praeterea Longa Vectura, Lignorum orgialium Sectio et Convectio, Nonae et Juris Montani Convectio, ac Triduana Venatio; In Banatu: Operae hebdomadales, et Decimae tam ab agris, quam vineis, quae secundum Urbarium Domino terrestri competit, Convectio; in Slavonia hebdomadales operae, Lignorum orgialium Sectio et Convectio, Juris Montani Convectio, (Nona non obtinet) ac Triduana Venatio. Hic Loci tantum operae hebdomadales et Longa Vectura pertractantur; reliquae enim jam suis locis (§ 11, 14, 23) absolutae sunt absolventurque. 3)

Tractatum de Robotis generatim tribus his quaestionibus A) a quo? B) qua mensura quoad tempus, et numerum Robotae generatim, C) quot jumentis et quomodo jugales in specie praestandae sint? commode absolvi posse, censeo.

Praestationes recensitae praeter Subsidium Diaetale, Redemtionis, et Munera nuptialia or-

dinarie omni recurrunt anno; hae vero data occasione tantum. – Tabella Praestationum urbarialium simul ad pecuniam reductarum sub O in fine Partis II huj. op. exhibetur.

Omnis Excessus, quem Dominus exactione illegali Praestationum urbarialium in Colonum committit, poena violentiae, et ex natura rei, est enim violentus, et ab analogia articulorum 1655 31, ac 1715 97, qui eandem poenam cum auctione Juris montani per Dominum terrestrem attentanda conjungunt, pro ratione circumstantiarum etiam graviori, praeter refusionem damnorum dignus merito judicatur. 4) Ne Nona contra praescriptum Legum, (et Ordinationum Urbarialium) exigatur, peculiariter adhuc injungunt Resolutiones Regiae § 15 in nota 1) huj. op. citatae. Sed vicissim Subditus Praestationes legitimas detrectans abaestimatione fundi, ex quo praestanda praestare abnuit, auctoritate legum plectitur, ita tamen, ut praestationibus praeteritis, quibus tenetur, praeterea satisfacere obligetur. (Res. Reg. 15-a Jun. 1802 Nro 12926 circulariter intimata) Ante quidem si Nonam ex agris (vel vineis, et Jus Montanum) Colonus denegavit, poterat Dominus terrestris, si primi anni denegationem jure vindicavit, ad amissionem agri (vel vineae) sibi cedentium coram Sede sua agere; secus vero, si pluribus jam annis denegata terragia haec vindicare voluit, non amplius ad amissionem illius, sed tantum ad redintegrationem usus coram foro competenti agere poterat. (Wlad. D 1 49, 1655 48, Dec. Cur. de Judicatus quaestione 4-a) Sed etiamsi demus, quod amissio fundorum absque refusione meliorationum locum habuerit, quod adhuc evictum non est; (lex enim loquitur de haereditatibus seu fundis haereditariis,

qui etiamsi cum refusione meliorationum amittebantur, et haec amissio damno omnino Colono fuerat) lex tamen circa hoc objectum recentissima (35 1791) amotionem Colonorum Dominis terrestribus, et publico gravium quomodo instituendam ad discussionem Deputationis Regnicolaris detulit, cujus opus vim legalem nondum obtinuit; Resolutio vero circularis de 15-a Junii 1802 Nro 12926 supra citata etiam in casu detrectationis praestationum quarumcunque, quibus Colonus Domino tenetur, abaestimationem ejusdem statuit. 5) – Processus ad redintegrationem usus etiam nunc, si ad abaestimationem agere nolit, Domino terrestri superest. – Si Subditus immunitatem a praestationibus, quibus obnoxius est, ex privilegio praetendat, coram Curia agere debet; (Wlad. D I 49, 104) si ex Contractu, coram Tabula Districtuali, si ex usu, coram foro Comitatensi procedere debet. Quamvis omnes hi Processus nonnunquam pro arbitrio, ab hoc enim res dependet, (Res. Reg. 28-a Octobris 1806 Nro 21903 intimata) fori supremi politici (Cancellariae) coram convenientibus foris politicis ventillentur. In Banatu (Nro aul. 2117 1811) adhuc peculiaris viget modus Subditum morosum, seu negligentem in cultura fundorum, si Dominus terrestris illum abaestimari curare nolit, ad praestationem Decimae cogendi; nempe ager vicinus cultus assumitur pro cynosura agri non culti, ita ut quantum in illo jugerum protulit frugum, tantum et in hoc adhibita cultura protulisse censeatur, et ab hac quantitate imaginaria Decimam, (quae sicca appellatur) Colonus in eadem specie, qua in agro vicino percepta est, pendere obligetur. Caeterum Decima sicca tunc solum locum habet, si Subditus agro colendo

par est; si enim par non sit, v. g. ob luem pecorum vel aliam causam, et hanc Domino terrestri tempestive insinuavit, ad eum pertinet, de cultura agri providere. Decima sicca etiam in Slavonia a fundis industrialibus (Punct. Regul. 11-um) et in Banatu a fundis, quos Coloni vi obligationis contractualis, vel alterius repurgare et exstirpare debent, si operi manum in tempore non admoveant, (Nro aul. 8705 1813) locum habet.

1) Omnes reliqui Census sive pecuniarii, sive naturales, quocunque sub titulo praetendantur eo ipso pro abrogatis haberi debent, quia Urbarium plures non agnoscit. (Cap. VII § 18) Velut magis noti, Cellarialis, qui a cellariis, et Caponalis, qui in reluitionem Caponis a fundis etiam urbarialibus praestari solebat, hic memorari in specie debent, qui sine injuria Colonorum urbarialium desumi non possunt. Aliud est, si Census hi contractualiter sint stipulati, vel Census Caponalis a terris censualibus, vel emtis desumatur. Resolutio nihilominus Regia erga repraesentationes nonnullorum Comitatuum 1787 Nro loc. 8083 edita, Censum Cellarialem a vinearum possessoribus, qui in territorio loci nihil praeter vineas habent, desumere permittit, a reliquis vero Subditis desumtionem expresse vetat. — Urbarium Hung. et Croat. in specie inter Abusus, et Excessus Capite VII refert: Arendam Educilli (Bannweingeld) (§ 5); mercedem Custodibus vinearum dominalium, et revisoribus laborum dominalium (§ 10); Pecuniam titulo Fidejussionis seu securitatis de non profugiendo a Colonis solvendam (§ 12); Praestationem item onerum quarterialium, ac Census Hussarengeld, et Montirungsgeld dicti (§ 15); Pennatici porro (Hühnergeld); Schedalis (Zettelgeld); Torcularis (Pressgeld); (§ 16) Exactionem impensarum in accommodationes metales (Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 30); praestationem Fimi (§ 7); et Nonatorum, ac Decimatorum intertentionem (§ 16); tandem plu-

marum anserinarum, et aliarum decimationem, et anserum deplumationem. (§ 8) De pecunia messoriali actum est in Tractatu de Decima. (§ 15) Urbarium Slavonicum in specie adhuc exactionem donariorum (P. II, 12-o); utensilium: lebetium, cadorum, saccorum; tempore celebrationis Sedis Dominalis, Encaeniorum. Consecrationis Ecclesiae, aut alterius festivitatis naturalium, aut pecuniae (P. II, 15-o); porro Accisae pro exercitio macelli dominalis, vel subministrationem pecorum pro macello dominali coactam; porro praestationem fimi, et redemtionem robotarum laboribus opificii aeque coactam; (P. II, 10-o); porro intertentionem canum venaticorum, solutionem Pandurorum. et horum dum sive in negotiis dominalibus, seu aliis per pagos proficiscuntur, victus, potus, vecturae, aliorumque hujus generis exactionem (P. II. 18-o); mulctam dein a canibus superfluis et avibus rapacibus auctoritate Comitatus Sirmiensis determinatam damnat; canumque superfluorum sublationem, et avium rapacium exstirpationem partim praemiorum moderatorum largitione, partim in casu manifestae proterviae carceris, aut etiam corporalis poenae irrogatione procurari jubet. (Punct. Reg. 16-um) Urbarium Banaticum (Cap. V, § 15-o) peculiariter Officialium decimantium praetensionem habitationis, victus, et praejuncturarum gratis praestandarum notat. *

* Census cellarialis, Merces Custodibus vinearum dominalium solvenda, Pecunia torcularis, et alia quaedam propter nexum hic adlata sunt; stricte enim huc non pertinent.

2) Recensens (Cel. Hammer) Operis: G l o s s a r i u m G e r m a n i c o — L a t i n u m v o c u m o b s o l e t a r u m p r i m i e t m e d i i a e v i, i m p r i m i s B a v a r i c a r u m, c o l l e c t u m, e t i l l u s t r a t u m a L a u r e n t i o d e V e s t e n r i e d e r (Monachii 1816) ita de hac voce: Roboth, ist eher vom R o b a t h, die von dem Gesetze jedem Moslin aufgelegte Kriegsbeschwerde, und Waffenfrohn, als aus dem Slavischen abzuleiten (Vide Wiener Literatur Zeitung Nro 72 p. 1297)

3) Praeter citatas autem operas omnes reliquae seu jugales seu manuales, adeoque praejuncturae, vecturae, seu in privatis, seu publicis negotiis

Dominorum terrestrium eidem vel ejus Officialibus per Colonos praestandae, Litterarum deportationes in robotas hebdomadales (ordinarias) imputari debent. (C III § 15) In specie adhuc prohibetur, ne Coloni ad vehendum fimum dominalem citra imputationem in robotas hebdomadales, (C VII § 7) et ad colligendas gallas (C VIII § 11) stringantur. Ad vetitas demum operas pertinent etiam Laboratores hebdomadarii, qui in Comitatu Bihariensi praesertim vigebant, et Laboratores Supernumerarii; in Slavonia (Punct. reg. 2-um) Labores aversionales, et quae sunt reliquae diversis sub titulis et praetextibus excogitatae. Urbarium Slav. custodiam adhuc et pastionem pecorum dominalium (P 1, 13-o), Officialium et Servitorum dominalium Colonos ad labores in utilitatem oeconomiae suae privatae impendendos cogentium excessum sub poena refundendae duplicis mercedis perstringit (P. II 12-o).

4) Et sub hac modificatione intelligendae sunt Decisiones Curiales ad poenam violentiae 10 a ignobilibus adversus nobiles poenam violentiae non tribuens, item Repetitionis Litterarum 3-a ignobilem, poenam, quae birsagium sapit, acquirere non posse statuens.

5) Vide etiam Causam Marci Kornely contra Taxalistas Nobiles Familiae Serb homines in possessione Mézes degentes, et fundos rusticanos tenentes, qua exercitium Jurium Dominalium violentis quibusvis mediis relate ad dictum Marcum Kornely Donatarium dictae Possessionis Mézes impetratorem impedientes 1803 ad abaestimationem coram Sede Dominali motam.

§ 18.

De Censu Pecùniario, et quidem a) de Censu Annuo b) de Subsidio Diaetali et Redemtionali; dein de Censu Naturali, et quidem AA) de Quota ex productis terrae, et animalium quorundam foetibus BB) de Datiis Domino terrestri praestandis.

a) De Censu Annuo (Annuali) articulus 15 1514 ita habet: „Praeterea singuli rustici uxo-

„rati (sive sessionati, seu domos habentes, sive „inquilini sint) per singulos annos Dominis eo- „rum terrestribus singulos 100 denarios, unum „florenum aureum facientes, 50 scilicet ad Ge- „orgii, et residuos 50 denarios ad Michaëlis Ar- „changeli Beatorum festa ubilibet solvere tene- „antur. Et si alicubi locorum, plures, quam 100 „denarios hactenus solvere consvevissent, talis „census per hanc constitutionem diminutus esse „non intelligatur.“ Igitur juxta hanc constitutionem Colonus sessionatus, Inquilinus, et Subinquilinus aequaliter Censum annuum solvere debebat, in regula quidem unius floreni; si tamen usus aderat, etiam majorem; adeoque quantitas ejus minus determinata erat. In Hungaria, Croatia, et Banatu Urbaria (C IV § 1; Urb. Ban. C IV § 1, 4-o) Colonum tantum et Inquilinum propriam domum habentem (domiciliatum) huic praestationi subjecerunt, Subinquilinum vero ab eadem exemerunt. Quantitatem dein ejus nulla usus vigentis ratione habita in uno floreno (currentis pecuniae) defixerunt, in duabus partibus (ratis) aequalibus, uti id lex quoque citata innuit, adeoque 30 X-ris festo S. Georgii, et totidem festo S. Michaëlis solvendo.

Census hic absque reflexione ad qualitatem Sessionis, et aequaliter tam a Colonis sessionatis, quam Inquilinis (domiciliatis) praestari debet; quia Urbaria (cit. §) nulla distinctione nec inter Colonos sessionatos relate ad qualitatem sessionis, nec inter hos, et Inquilinos utuntur.

Sed quaeritur, cuinam rei vel objecto Census hic correspondeat, seu a quanam re vel objecto solvendus sit? Urbaria nihil eatenus determinant; ex eo, quod Urbarium Hung. et Croat. (citato §) Inquilinum propriam domum

habentem huic Censui subjiciat, et Subinquilinum ab eodem sublevet, videri posset, Censum hunc ab usu domus, quam Colonus vel Inquilinus inhabitat, praestandum esse. Quibus ita videtur, ab illis etiam Census hic Domalis appellatur. Sed opinionem hanc subsistere non posse, et ex natura rei evinci potest, et etiam dispositione Instr. Ex. Mag. C V, § 22 1-o. – Ex rei natura, quia ab usu domus tantum tunc jure census a Domino terrestri exigi posset, si materialia Colono, et respective Inquilino gratis suppeditavit, non autem indiscriminatim, uti Urbarium praecipit. Ex dispositione Instructionis, quia haec (citato loco) Colonum plures (duas aut tres) sessiones possidentem, tametsi fundis intravillanis unam tantum domum inaedificatam haberet, tamen tot florenos pendere jubet, quot fundos intravillanos possidet; contra si penes plures fundos extravillanos unum tantum intravillanum possideat, ad unum tantum florenum Dominio solvendum obligat. Hinc igitur manifeste sequitur, quod Census ita dictus Annuus fundo intravillano respondeat, seu ab usufructu illius praestari debeat per Colonum et Inquilinum, sive deinei domus sit superstructa, seu non; quia utique ususfructus fundi intravillani non tantum in usu aedium eidem inaedificatarum, sed etiam simul omnium productorum naturalium ejusdem consistit, a quibus tamen peculiaris praestatio locum non habet (vide etiam Res. Reg. 28-a Junii 1768 Com. Pos. intimatam). Ubi tamen opifices tam a domibus suis (fundis intravillanis) quam et opificiis distinctum jam ab antiquo censum pendebant, Domini terrestres in exigendis duplicibus his censibus nullatenus impediri possunt (Res. Reg. de 6-a 8-bris 1783 Nro 9708).

Quid de Inquilinis in eadem Domo pluribus sentiendum sit, alio loco (§ 8 P, 1 huj. op.) jam dictum est. In Slavonia (P 1, 2-o) Censum 1-mi tantum Inquilinus, quantitate, et tempore quemadmodum in Hungaria Croatia et Banatu solvit, sed non quemadmodum hic pro usu tantum fundi intravillani, verum et appertinentiis, si quas ad illum possideret.

b) Circa Subsidium Redemtionale articulo 39 1548 haec statuuntur: – „Secundum vete-„rem consvetudinem pro redemtione capitis Do-„mini terrestris, aut in solemnitate nuptiarum „et primitiarum, aliquod honestum et tolerabi-„le Subsidium Dominis eorum ipsi Coloni prae-„stare teneantur." Urbarium Hung. et Croat. (reliqua de illo tacent) ab analogia C IV § 6, et 1807 22) dispositionem hanc ita modificavit, ut Subsidium redemtionale moderatum tantum tunc locum habeat, si Dominus terrestris in captivitatem hostilem incidens proprio aere se redimere cogeretur, non vero secus. – Circa Subsidium Diaetale in legibus nihil occurrit; 1) illud in Hungaria, Croatia, et Slavonia Urbariis (C IV § 6; Urb. Slav. P 1 12-o) tantum Dominis terrestribus, qui dignitate Praelatorum vel Magnatum gaudent, et qui ideo per Regales nominatim ad diaetas vocantur, a Colonis eorundem solvendum est; quod ut ne debitam moderationem excedat, invigilare Magistratualibus Comitatensibus incumbit. 2) Urbarium Slav. (cit. loc.) praeterea cavet, ne Coloni titulo hoc in medium Comitatus aliquid contribuere cogantur. – Subsidium occasione solemnitatis nuptiarum et primitiarum praestandum huc non pertinet. – In Banatu Coloni a Subsidio Diaetali prout et Redemtionali sublevati sunt (C IV § 4, 4-o).

AA) Primum, quota pars productorum *(nascentiarum)* terrae Domino terrestri obveniat, determinavit articulus 6-us 1351, eamque in nona parte o m n i u m   f r u g u m   e t   v i n o r u m defixit, ita ut in excedentes illam poenam amissionis nonae regi cedentis statueret. Articulus 15-us 1514 jam nonam partem d e   o m n i b u s   t e r r a e   n a s c e n t i i s,   s i v e   m e t a n t u r,   s i v e   f a l c e n t u r, praeterea de vinis Domino praestandam esse innuit. Regulatio Urbarialis in Hungaria et Croatia quoad terrae producta dispositionem citati articuli sequendo (C V § 3), quotam a terrae nascentiis praestandam ad foetus quoque animalium quorumdam extendit: ansam porro praebuit distinctionis Nonae in natura et in aequivalenti, libertatem conferendo Colonis in quibusdam casibus posteriorem, si mallent, praeeligendi, ita tamen, ut quae praeeligeretur, non amplius in aliam mutari posset; utque hoc eo certius praecaveatur, Urbariis quoque, (Tabellis urbarialibus, et Executionalibus) quae ipsa ratione Nonae in natura vel aequivalenti distincta sunt, praeelecta Nona inferebatur (vide Partis II § 13, 14, 16 huj. op.). Hoc tamen salvo jure Domini et Coloni consensu mutuo coram Testimonio legali conventionem *(contractum)* relate ad reluitionem Nonae in natura ineundi intelligi debet. — Eadem Regulatio urbarialis morem quorumdam Dominorum terrestrium in locum Nonae et Decimae (Clericalis, a laicis titulo arendae perceptae) Septimam vel Octavam (ex omnibus terrae nascentiis) vel etiam in locum solum Nonae Decimam exigendi jam absolute *(quoad Septimam et Octavam)* jam conditionate (quoad Decimam) si videlicet Dominus terrestris ultra quoque mori recepto (quoad Decimam) inhaerere

volebat, stabilivit. Septima, Octava, vel Decima occasione Regulationis Urbarialis ad praecavendam in futurum alterationem aeque concernentium locorum Urbariis, Tabellis Urbarialibus, et Executionalibus inserebatur (cit. §). – Hinc Quota a terrae nascentiis per Colonos Hungariae et Croatiae Domino terrestri ut tali praestanda vel est Nona, vel Decima, quae ad distinctionem a Decima, quae Praelatis (Clero) debetur, Decima Dominalis, terrestralis, terragialis, laicalis, titulo dominii, dominii terrestralis, vel terragii appellatur; conjuncta vero utraque Septimam vel Octavam constituit. Hac conjunctione Decima naturam suam amittit, et Septima vel Octava easdem considerationes cum Nona subit; adeoque quae in hoc tractatu de Nona (in natura) velut quota maxime communi et obvia dicuntur, eadem intelligi debent etiam de Septima, Octava, et Decima (terragiali). – Urbarialis denique Regulatio morem quoque illum, qui in nonnullis locis viguit, Nonam non in stramine, sed grano (extriturato) praestandi, si ei Coloni ultra quoque inhaerere volebant, stabilivit, et stabilitum perpetuo observandum aeque Urbario, Tabellis Urbarialibus, et Executionibus Exequentes Magistratuales inferre jussit (vide § cit.). Hinc igitur praestatio Nonae (non item Decimae clericalis) in grano quoque, hac videlicet ratione praelectae, legalis est; dummodo secundum mensuram Poson. desumatur. Hactenus de Hungaria et Croatia. – In Banatu in locum nonae omnium terrae productorum partis decima generatim sed frugum 3) tantum exceptis videlicet fructibus in horto productis, Oleribus, et Leguminibus, praeterea generatim in stramine et non in grano, ab animalium vero eo-

rundem, quorum in Hungaria et Croatia, foetibus, aeque decima tantum obtinet (C V § 1 4-o, 3-io 4); (§ 2 1-o) Caeterum Decima in Banatu easdem sequitur leges, quas Nona in Hungaria et Croatia; cum utique citatus § 2-o et „etiam 4-o, „Und da hierorts, oberwaehnter- „massen der Zehend anstatt des Neuntels ab- „geführt wird" diserte Decimam in Banatu, ut Nonam in Hungaria considerari debere statuat. In Slavonia titulo Census ordinarii adeoque imputata in eum etiam quota a productis terrae Colonus integrae sessionis 3 fl-nos, mediae 1 fl-num 30 X-ros, quartae 45 X-ros (pro ratione qualitatis sessionum videlicet), Inquilinus 1 fl-num in duabus partibus (ratis) aequalibus festis S. Georgii, et Michaelis solvunt. (P 1, 1-o et 2-o) Secundum has considerationes tractatus de Quota ex productis (nascentiis) terrae et animalium quorumdam foetibus agere debet:

A) De Nona in natura, et quidem aa) e terrae nascentiis. – Haec absolvi potest his quaestionibus a) A quibus fundis et illorum productis Nona competat? b) Quae ratione Nonae e Canabe et Lino peculiaris Urbarii Hun. et Croat. dispositio? c) Quid si agri in pomaria, pruneta, lupuleta etc. convertantur, ratione Nonae observandum? d) Quo tempore, et modo Nona exigenda? – bb) e foetibus animalium quorundam. Haec absolvitur commode his quaestionibus: a) A quorum animalium foetibus, et quomodo, b) quo tempore Nona praestanda? c) Quid juris, si animalia, e quibus Nona praestari debet, apud Colonum intereant?

B) De Nona in aequalenti. Igitur

A) De Nona in natura, et quidem

aa) e terrae nascentiis.

a) Urbarium Hung. et Croat. aliquos fundos, et quaedam illorum producta a praestatione Nonae exemit, et quidem:

1-o) Fundos intravillanos (C V § 1 et 3). Hoc tamen ita intelligendum est, quod Colonus sessionatus tantum relate ad illam quantitatem fundi intravillani a praestatione Nonae immunis sit, quae juxta normam urbarialem pro fundo intravillano emensa est; relate ad excessum illius normae, ut dijudicari possit, an praestationi Nonae Colonus respectivus subsit, vel minus, videndum an ille in agros vel prata ipsi imputatus sit. (Res. Reg. de 24-a Dec. 1774. Nro 6510 – 5-a Jan. 1775 Nro 135 Com. Zalad. intimata) Fundi intravillani Inquilinorum hanc reflexionem utique non subeunt.

2-o Fundos pratenses (pratales, prata) (C V § 3). Hic quoque reflectendum ad mensuram normalem (urbarialem); nam quod hanc excedit, prout in agros, vel fundum intravillanum imputatum est, ita quoque dijudicandum quoad praestationem Nonae. (Res. Reg. 5-a Jan. 1775 Nro 135 Com. Zalad. intimata citata)

3-o) Fundos in adaequationem (adjustationem, compensationem) fundi intravillani, vel pratorum Colonis assignatos (C V § 3), et adjustationales communiter appellatos.

Exemtio vero haec fundorum locum habet, sive hos Coloni sessionati, seu Inquilini possideant; cum Urbarium non distinguat, imo Instructio Ex. Mag. (C V § 23) eos hac in re Colonis diserte pares haberi velit.

Igitur remanent tantum agri, sive per Colonos sessionatos, seu Inquilinos (Instr. Ex. Mag. C V § 23) possessi, ad quos etiam fundi intravillani, et prata in sortem agrorum (etiamsi ut prata tractentur) emensi referuntur,

praestationi Nonae obnoxii. Verum etiam circa producta horum fundorum duae restrictiones notandae sunt:

1-o) Non competit Nona a productis ejusdem agri et anni secundis, si videlicet agri (terrae arabiles), a quibus jam Nona praestita est, eodem adhuc anno vice secunda semine fruibili inseminentur. (C V § 3.)

2-o) Pariter non competit Nona a productis illis, quae in agro (campo, calcatura) tertio, qui juxta systema culturae communiter receptum (Dreyfelderwirthschaft) pro vervacto (arvo) relinqui solet, metuntur, vel falcantur 5) (ab analogia C V § 3; et Instr. Ex. Mag. C V § 12; vide et Res. Reg. 28-a Jan. 1774, Nro 382 – 7-a Febr. e. a. Nro 647 Com. Scep.; quoad decimam 23-a 8-bris 1771, Nro 5451 Com. Lipt. intimatam). Immunitas tamen haec ita intelligenda est, ne per inseminationem campi tertii Nonae ex nascentiis in prima et secunda calcatura obvenienti quoquomodo derogetur. (Res. Reg. 13-a Julii 1774, Nro 3199 circulariter publicata) Resolutio tamen Regia 16-a Septembris 1806, Nro 16372 ad secundam eodem anno procreationem immunitatem hanc a Nona restrinxit.

Caeterum Domino terrestri Nona inclusa quoque quota messoriali competit, cum et haec sit terrae nascentia, et alioquim praecise Colonum, et quem conducit messorem, respiciat (Res. Reg. de 21-a Nov. 1770, Nro 5228 – 3-a Dec. e. a. Com. Borsod. intimata).

b) Ratione Nonae ex Canabe et Lino ea est peculiaris Urbarii (tam Hungarici, quam Croatici 6) C A § 4) dispositio, (adeoque ad decimam in Banatu non extendenda) ut in locum ejus Dominus terrestris, si malit filaturam sex

Librarum Canabis aut Lini 7) per ipsum suppeditandi ab integrae sessionis Colono et sic a proportione qualitatis sessionis a reliquis quoque exigere possit. Addit vero Instructio Ex. Mag. C V, § 22 ad rubricam 12-am, quod alioquin per se intelligitur, Canabem et Linum pro filatura Colono danda debere esse ad nendum apta et idonea, adeoque bene prius exsiccata, et expurgata, non vero madida et corrupta, ne videlicet Coloni damnum patiantur, quod ipsis refundendum esset. Ex quo sequitur, quod Coloni Canabem vel Linum madidum et destructum pro netura acceptare non teneantur. Filatura haec absque respectu ad procreationem Canabis et Lini adeoque etiam in casu non crescentis Canabis vel Lini praestari debet (Res. Reg. dd-o 14-ae Aug. 1775, Nro 3760 – Com. Barany. 24-a Aug. e. a. Nro 3943 intimata). Si ex Canabe Nona locum habet, addit porro eadem Instructio Ex. Mag. C V, § 13, eandem tam ex Canabe primitiali, seu materno, quam et posterius evelli solito, et spurio vocitato, velut utroque terrae nascentia incluso etiam semine competere. Arbitrium tamen Dominorum terrestrium circa electionem Nonae ex Canabe et Lino, vel vero Filaturae tantum occasione Regulationis Urbarialis liberum erat, et prout tunc, vel hanc vel illam eligebant, ita etiam Tabellae Urbariali haec vel illa inferebatur (vide Partis II § 13 huj. op.), neque amplius Dominus liberum arbitrium circa exactionem Nonae, vel Filaturae exercere potest, sed se Tabellae urbariali accommodare debet, sicque quod ante voluntatis erat, iam nunc necessitatis est (ut dicit Grotius) (Instr. Ex. Mag. C V § 13). Caeterum hoc

non ita est intelligendum, quasi Dominus terrestris cum Subdito consentiente coram Testimonio legali non possit Conventionem inire circa reluitionem Filaturae, ita ut vel pecunia, 9 X-ri pro singula libra, vel vero robotae (una manualis pro libra, si illa secundum usum communem 10 solvitur cruciferis,) convenientes (proportionatae) in vicem ejus praestentur. (sensu Res. Consilii 9-a Sept. 1785, Nro 20777 Com. Barany. intimatae, et 3-a Aprilis 1786, Nro 3683 per Suam Majestatem approbatae)

c) Si agri ex toto vel parte in pomaria, pruneta, vel lupuleta convertantur, cum fructus prout successive maturescunt, ita et per Colonos successive decerpantur, et colligantur, adeoque exactio Nonae vix ac ne vix quidem locum habere possit; in locum hujus a singulis jugeribus 2 metretarum poson. capacibus 15 X-ri per Colonos pendi debent, et sic a media jugeri $7\frac{1}{2}$, et quarta jugeri $3\frac{3}{4}$ X-ri. Quod est infra quartam jugeri praestationi alicui, velut exiguitas non subest. Hoc alioquim per se intelligitur, quod ab arboribus fructiferis, vel pomariis, prunetis, et lupuletis in pratis existentibus, cum haec a praestatione nonae exemta sint, superius memorata taxa exigi non possit. (Instr. Ex. Mag. C V § 12, 8; et Res. Reg. Com. Poson. 28-a Junii 1768 intimata)

d) Tempus desumendae Nonae (aut in locum ejus alterius terragii) Urbario Hung. Croat. et Ban. (C V § 2; Urb. Ban. C V, § 2) in festum S. Stephani collatum, et si hoc ob tempestatem, aut seriorem frugum maturitatem desumi non potuisset, determinatio ejus Comitatui respectivo delata erat: per articulum vero 7-um 1802 modificata dispositione Urbarii ita determinatur, ut quam primum messis (aut fal-

catio) frugum autumnalium aut vernalium omnis speciei per agricolas in integro terreno alicujus loci, aut hoc inter plures dominos (compossessores) diviso, in portione unius vel alterius Domini terminata, et huic vel ejusdem repraesentanti (possessori pignoratitio, aut arendatitio, vel etiam horum omnium officiali) insinuata fuerit; hi ab insinuatione intra octo dies Nonam, (vel aliud in locum ejus terragium) desumere debeant, secus octiduo elapso integrum sit Colono quota Domino obveniente (sensu 30 1569) in agris relicta, reliquam procreationem convehendi. 8) – In Bonis saecularibus Decima post Nonam, in ecclesiasticis haec post illam desumi debet, 9) (1351 6; 1495, 44; 1500, 29) utraque tamen intra 8 dies per legem statutos. Obligatur vero Colonus secundum Urbarium (secundum leges Codicis id non obligabatur 1514 16; 1548, 37) ipsam quoque Nonam, vel aliam in locum ejus stipulatum terragium convehere, ad locum in territorio procreationis, (hoc est possessionis, in qua Colonus habitat, non Dominii, ad quem pertinet, ut Resolutio Consilii 14-a Maji 1816 quoad Sententiam Sedis Dominalis Dominii Politico Fundationalis Csakova intimata diserte praecipit) per Dominum terrestrem (vel ejus Officialem) sibi designandum (C III § 15; Urbarium Ban. C V, § 1, 1-o, 6-o; et § 5). Urbarium Ban. (C V, § 3) circa modum exigendi Decimam haec statuit: Cum per morem nempe ante vigentem, quo Subditi ante Conscriptionem procreationis de hac interrogati quasi ad falsam ejus designationem (fassionem) hincque amissionem (contrabandam) seducti fuissent, Conscriptio ita institui jubetur, ut 1-o dies illius Communitati prius significetur, 2-o) Conscriptores ipsi ad agrum ex-

eant, et procreationem in praesentia judicis et duorum juratorum ac Coloni concernentis connumerent, 3-o) peracta Conscriptio Colono praelegatur, hicque denuo interrogetur, num illa cum procreatione omnino consentiat, 4-o) adhuc in agro Colono schedula detur, in qua quantitas Decimae procreationis suae contineatur. Ita instituta Conscriptione, si Colonus de eo convinci possit, quod aliquid e procreatione sua recondiderit, vel prius invexerit, tunc demum amissio ejusdem locum habeat. Id quod in Hungaria quoque et Croatia observandum est.

bb) e foetibus animalium quorundam.

a) Animalia, quorum foetus Nonae obnoxiantur, sunt: a p e s, o v e s e t h a e d i. Si horum foetus nonum non attingant numerum, adeoque nonatio in natura locum habere non possit; Colonus pro singulis agnis 4 X-ros, pro singulis haedulis 3 X-ros, et pro singulis alvearibus apum 6 X-ros (in Banatu pro illis $1\frac{1}{2}$; pro alvearibus vero 4 X-ros) solvere obligatur. — Ex quo manifeste patet, quod apud nos mos in Germania (olim imperio germanico) vigens, ut videlicet ex animalibus decimum numerum non adaequantibus, nihil illo anno desumatur, verum numerus illorum solum notetur pro futuro anno, et cum hujus numero in unam summam addatur, ac ita ex hac Decima desumatur, si vero iterum aliqua animalia infra decimum numerum remanerent, haec eadem ratione pro futuro anno praenotentur, et sic porro, quam rationem decimandi illi D a s F o r t z a e h l e n vocant, locum non habeat. (vide quodcunque Systema juris privati germanici v. g. Goede) Caeterum ex animalibus quoque in Bonis saecularibus prius Nona dein Decima, in bonis vero ecclesia-

sticis vice versa desumi debet. (1351 6, 1495 44, 1500 29) Quod Nona agnellorum etiam ab ovibus quaestus gratia per Colonos servatis Domino terrestri competat, fluit jam ex ipsa dispositione Urbarii; cum hoc inter oves pro propria necessitate, et quaestu intertentas, ac ab utrisque provenientes agnellos ratione Nonae non distinguat, et etiam Resolutione Regia 12-a Maji 1780 Nro 2381 Com. Torontaliensi intimata affirmatur.

b) Tempus nonationis horum animalium secundum articulum 96 1647, ad quem Urbarium provocat (C V § 2, Urb. Ban. C V, § 5) usque festum S. Joannis Baptistae est, non ultra illud differendae. Articulus ille de decimalibus animalibus loquitur, adeoque tantum ab analogia per Urbarium provocatur, sed non satis apte, quia non definit tempus, quo decimatio animalium peragi debeat, sed potius tempus, quo Colonus decimata jam animalia intertenere, ac eorundem curam gerere debeat, hujusque terminum ad festum S. Joannis Baptistae usque defigit, et quidem relate tantum ad agnellos, et haedulos; nihilominus cum Urbarium quoad omnia animalia festum S. Joannis Baptistae ut terminum ultimum determinet, etiam decimatio apum usque illud peragi debet. Adeoque hac in parte derogatur per Urbarium 1495-i articulo 39-o, qui secus etiam non de quaestione, quando decimatio animalium commemoratorum (agnellorum, haedulorum, et apum) sed potius de illa agit, quousque animalia decimata jam, Colonus (Hospes) apud se servare, seu curam illorum gerere debeat, et temporis hujus spatium usque Festum S. Michaëlis extendit, quo adveniente amplius illa intertenere non obligatur. (Relate ad quaestionem,

quid juris, si Dominus Nonam animaliam usque terminum praefixum desumere negligat? vide notam sub 17) ad hunc §-um)

c) Hoc autem per se intelligitur, quod quemadmodum post nonationem etiam ante festum memoratum peractam Colonus de casu fatali, vel de culpa etiam, qua animalia ultra apud se relicta detrimentum capiunt, respondere non obligatur; ita etiam Dominus terrestris, damnum ante nonationem (sive fato, sive culpa Coloni) enatum quoad Nonam ferre debet. Hoc est, non potest Nonam exigere, si omnia animalia nonanda perivissent, et si pars illorum, a remanente tantum nulla habita ratione illorum, quae periverunt, Nonam desumere valet. Haec jam ex generalibus principiis juris fluunt, et peculiari legis determinatione non egent. In specie relate ad damnum casu (fortuito) enatum, principium notum C a s u s n o c e t d o m i n o locum habet: cum enim dominus Nonae sit Dominus terrestris, et quidem etiam ante desumtionem illius, siquidem haec ex lege, non pacto, quod prius consensum vel traditionem requireret, eidem competat; hinc etiam damnum, quod per diminutionem animalium, vel totalem illorum interitum emergit, illum ferire debet. Applicatio principii hujus ad casum, quo animalia jam nonata apud Colonum pereunt, eo minorem patitur difficultatem, cum ipse quoque articulus citatus (39 1495) id innuat. 10) Relate vero ad damnum culpa Coloni quacunque demum ratione enatum, illud principium juris applicari debet, quod n e m o r e i a l t e r i u s (alienae) m a j o r e m, q u a m p r o p r i a e c u r a m h a b e r e o b l i g e t u r. 11)

B) Aequivalens Nonae est dupplex, nempe vel in pecunia vel operis servilibus (robo-

tis). Summa, qua Nona in natura compensatur, in 4 florenis (currentis pecuniae) per Regulationem urbarialem in Hungaria et Croatia defigitur; operas vero et quidem jugales 12, manuales 24 illi aequivalere, eadem statuit (Instr. Ex. Mag. C III § 2). Praeelectio hujus vel illius Aequivalentis arbitrio Domini terrestris deferebatur occasione Regulationis urbarialis primaevae; praeelectum constanter observandum Urbariis, et quidem peculiaribus, Tabellis urbarialibus, et etiam Executionalibus inscribebatur. (vide Partis II § 13 huj. op.) Igitur ut sciatur, an locus hic vel ille praestationi Nonae in aequivalenti, et quali subjectus sit? Urbarium illius consulendum erit. – Alternativa robotarum jugalium, vel manualium, est penes arbitrium Subditi; ei enim illam Instructio Ex. Mag. citato loco defert. Jugales operae bijugo tantum praestari debent; quia eadem Instructio eodemque loco diserte b i j u g a l e s labores memorat. Sive autem jugales sive manuales operae praestentur per Colonum, non possunt ad semel, sed tantum singulis hebdomadibus singulae operae exigi (Instr. Ex. Mag. C III § 2). – Aequivalens pecuniarium aeque non ad semel, neque tempore messis, sed in duabus ratis aequalibus festo S. Georgii, et S. Michaëlis (Archangeli) solvendum est (Punct. suppl. 12). Hoc per se intelligitur, quod seu unum, seu aliud aequivalens locum habeat, praeterea Nona agnellorum, haedulorum, et apum, uti etiam Filatura locum habere non possit 12) (Urbarii pro Nona in aequivalenti deservientis C V § 1; Instr. Ex. Mag. C V, § 12, et 13; vide etiam Partis II § 14 huj. op.). Quemadmodum autem Aequivalens aliud, quam unum vel aliud ex memoratis nec occasione Regulationis urbarialis primaevae

induci permittebatur; ita nec aliud quam memoratorum alterutrum in casu Reluitionis Nonae in natura etiam nunc locum habere potest. — Hinc v. g. hyematio pecorum dominalium in Comitatu Marmarosiensi in vicem, adeoque pro aequivalenti Nonae ante praestari solita, velut abusum sapiens, (abusiva) abrogata fuit Resolútione Regia de 22-a 9-bris 1771 Nro 5833 — memorato Comitatui 3-a X-bris e. a. Nro 6463 intimata. Aequivalentis seu unius, seu alterius constitutivum expositivum in 4 florenis et respective 24 manualibus, vel 12 jugalibus operis intelligendum est relate ad integrae sessionis Colonum, adeoque a proportione qualitatis sessionum; cum utique secundum hanc proportionem etiam quantitas agrorum, a quibus Nona praestanda, se habeat. (Urb. pro Nona in aequivalenti deservientis C V § 1; et Instr. Ex. Mag. C III § 2) — Sed quomodo Nonae aequivalens seu unum seu alterum pro Inquilinis ab agris suis, quos nofors praeter Fundum intravillanum possident, eruitur? nam Inquilini quoque ad praestandum aequivalens illud, quod Coloni praestant, obligantur, et viceversa, si aliud ab illis exigeretur, praestare non tenentur. (Instr. Ex. Mag. C V § 23) Ut justitia distributiva non laedatur, alter modus non est, quam ut pro ratione Constitutivi integrae vel mediae etc. sessionis eruatur, quantum ad unum jugerum seu ex uno, seu alio aequivalenti obveniat, et ita erutum aequivalens unius jugeri accommodetur Constitntivo inquilinari.

BB) De Datiis, rectius Muneribus, nam haec erant condam, et ita quoque appellabantur (art. 33 1548), articulus 17 19 et 20 1514 ita statuit: „Item singulis mensibus, singulum unum pullum, Dominis eorum dare sint obli-

gati, (Coloni) – Item singulis annis duos anseres, unum videlicet tenerum ad Pentecostes, et alterum antiquum ad Beati Martini Episcopi, et Confessoris festa, Dominis ipsorum solvant. – Item de qualibet villa, usque decem sessiones jobagiales continente, vel etiam minus, ad festum Natalis Domini, unum porcum saginatum; ubi vero ultra decem fuerint, de singulis 10 sessionibus, singulum unum porcum, similiter saginatum, dare teneantur. Caeteris quoque proventibus Dominorum, et Nobilium, ultra haec hactenus dari, et percipi consvetis, salvis permanentibus. – Munera haec Urbarium Hung. Croat. et Ban. (C IV § 2; Urb. Ban. C IV § 4 3-o) (Slavonicum illa ignorat) ita regulavit: 12 pullos annis singulis per Colonos praestandos reduxit ad 2 pullos, et 2 capones; pro reliquis 8 pullis 12 ova concedens. Porcum per singulas 10 sessiones praestandum mutavit in vitulum a singulis 30 et quidem integrae sessionis 13) Colonis (secundum Urb. Ban. cit. loc. a singulis 30 domibus) praestandum. Anserem pentecostalem, et S. Martini abrogavit. Addidit vero mediam butyri liquati (cocti), quae tamen usui pascui vaccarum (in Hungaria et Croatia) directe respondet, ita ut si vaccae servari non possint ob arctitudinem pascui, haec nec praestari a Colono debeat. Omnia haec munera (excepto vitulo) proportionem qualitatis sessionum 14) sequuntur; exposita quantitas illorum per integrae sessionis Colonum praestanda est. Hinc jam patet, quod Inquilini (etiamsi Instructione Ex. Mag. C V § 23 diserte non eximerentur) ad Victualia haec praestanda non obligentur (Instr. Ex. Mag. C V § 22 ad rubr. 12-am; vide etiam Partis II § 14 op. huj.). Munera porro haec 15) in Hungaria et Croatia nonnisi in natura exigi possunt a Colonis, sed et vicissim

ita per illos praestari debent volente Domino terrestri; consensu tamen mutuo et hujus et illorum pecunia redimi possunt, et quidem omnia simul sumta excepto vitulo 48 X-ris (pecuniae currentis). Pretium hoc ita stabile est, et fixum, ut majus nequidem mutuo consensu defigi valeat. (Instr. Ex. Mag. C V § 22) Pretium porro hoc victualium simul sumtorum coalescit ex sequentibus partialibus 16):

pro butyri media	20 x-ri
– duobus caponibus unum a 9 X-ris	18 –
– duobus pullis unum a 3 X-ris .	6 –
– duodecim Ovis, tria ab 1 X-ro .	4 –
in summa	48 –

Pretium redemtionale vituli (per 30 colonos integrae sessionis et respective domibus praestandi) in 1 fl-no 30 x-ris defigitur, adeoque pro singulis Colonis integrae sessionis et respective domibus obveniunt x-ri 3, quos semper solvunt, nec ad plus, nec ad aliud quid praestandum cogi possunt, si in loco quodam pauciores sint, quam 30 Coloni (C 1 V § 3; Instr. Ex. Mag. C V § 30; Urb. Ban. loc. cit.). In Banatu a lubitu pendet Domini terrestris Munera illa vel in natura, vel vero pecunia et quidem (imputato etiam vitulo) ab integrae sessionis Colono in 1-a Classe 51, 2-a $38\frac{1}{4}$, 3-ia $30\frac{1}{2}$; a mediae sessionis Colono in Classe 1-a $28\frac{1}{2}$, in 2-a $21\frac{1}{2}$, 3-ia 17; porro a quartae sessionis Colono in classe 1-a $16\frac{1}{2}$, in 2-a $12\frac{1}{2}$, 3-ia 10; demum ab sessionis octavae Colono in 1-a Classe $10\frac{1}{2}$, in 2-a 8, in 3-ia $6\frac{1}{4}$ cruciferos exigere (loc. cit.). – In Slavonia haec praestatio non obtinet. Sed quomodo praestabit haec Victualia (excepto vitulo, nam de illo quaestio haec jam superata est) Colonus quartae, octavae, et al-

terius qualitatis sessionum, quibus videlicet illa juxta praemissam proportionem non in integritate, sed in fractione, vel integritate cum fractione mixta praestanda obtingunt? – Cum reluitio horum Victualium ab arbitrio simul et Domini, et Coloni pendeat, adeoque si non utriusque adsit Consensus, etiam reluitio in pecunia, quae hanc difficultatem facillima ratione superaret, locum habere non possit; non aliud suppetit medium, quam ut Coloni plures, quot nempe necessarii sunt, ut victualia in fractione sibi obvenientia, in sua integritate praestare possint, inter se quacunque demum ratione conveniendo, victualia in integritate a proportione qualitatis sessionum praestent.

Ut vero Coloni ab omni vexa, onere item intertentionis longiori tempore animalium subleventur, terminus quoque a quo et ad quem et quidem praeclusi, quo victualia illa praestari debeant, exigique possint, Instructione Ex. Mag. (C V § 22) statuti fuerunt sequentes: 1-o) butyrum a medio (15-a) Maji usque festum S. Michaëlis, 2-o) Capones per aestatem et autumnum integrum (integrum aestivum, et autumnale tempus) 3-o) Pulli a festo Pentecostes, usque festum S. Jacobi, 4-o) Ova avere usque festum Nativitatis B. Mariae V. Dominio desumere licitum est; adeoque nec ante, nec ultra hos terminos. 17) Quocunque vero tempore Dominus terrestris animalia haec desumat; circa aetatem et magnitudinem praetensionem formare non potest, sed qua aetate et magnitudine Colonis praesto sunt, ea contentari debet, cominus vero altilia farta praetendere potest (Ibid. C V § 22). Relate ad praestationem et exactionem Vituli terminus constitutus non fuit. Resolutio Regia 9-a 7-bris 1785 Nro 20777 er-

ga querelas incolarum Pellerdiensium Com. Baranyiensi intimata (comperto eo, quod Dominium tales vitulos exegerit, qui a 10 florenis, et ultra emi debebant) si seu ratione temporis, dum quippe vituli rari sunt, seu vero respectu qualitatis eorum excessus relate ad pretium intervenit, compensationem reflexe ad dispositionem Urbarii Colonis impendi praecipit. 18)

Munera haec Coloni (sessionati) ordinarie singulis annis circa praefixum tempus; extra ordinem vero in Hungaria et Croatia (non item Banatu C IV, § 4, 4-o, et Slavonia) demto vitulo occasione solemnitatis nuptiarum et primitiarum (exceptis Capitulis et Conventibus) domini vel dominae terrestris, nullatenus etiam filiorum, aut filiarum aeque secundum qualitatem sessionum praestare debent titulo honorarii (subsidii) nuptialis, vel primitialis (vide art. 15 1514). Domino tamen terrestri in his casibus liberum est, Victualia haecseu in natura, seu in pecunia, determinata videlicet 48 X-rorum summa, pro integra, et sic a proportione reliquis sessionibus exigere. (C IV § 4 et 5)

1) Compilator Urbarii Slavonici perperam asserit, quod dictamine etiam Legum Coloni Subsidium Diaetale Domino praestare obligentur.
2) In Comitatu Nitriensi Subsidium Diaetale pro Comitiis anni 1812 a singulis sessionibus integris in 48 cruciferis valutalibus defixum est.
3) Sed an ab omnibus frugibus, vel tantum certis earum speciebus, dubium est, quod Compilator Urbarii creavit; nam C V § 12-o ita ait: „Obschon nach den Hungarischen Landes Gesetzen dem Grundherrn sowohl von allerley Getreide, und Erdfrüchten, item Lämmern, Kitzeln, und Bienstöcken das Neuntel zukommt, so wird es an dessen statt dennoch bey dem in diesen 3 Comitaten eingeführten Zehend noch ferner belassen. — Diser Zehend, welcher an

die Stelle jenes Neuntels tritt, und immerhin als dasselbe anzusehen ist, wird auch hier üblichermassen von jenen Erdfrüchten, von welchen sonst laut Art. 1-mo de anno 1491 das Neuntel gebührt, fernerhin abzunehmen gestattet." — Jam articulum 1-um 1491 nullibi invenias in Corpore Juris, nulla enim hoc anno, ut notum, Comitia erant; videtur esse error calami Compilatoris, vel typi Typotheti in anno citato, et loco 1491 scribendus imprimendusve annus 1481, cujus articulus 1-us recenset objecta, a quibus Clero Decima competit. Ex quo jam sequeretur, quod Decima etiam terrestri non omnium frugum, sed specierum tantum in articulo 1 1481 memoratarum competat. Usus dubium hoc ita tollit, ut ab omnibus agrorum productis decimam Dominis desumi admittat exceptis oleribus et leguminibus. Imo etiam a fabis et cucurbitis intra zeam (fagopyrum) seminari solitis, ex eo motivo, quia secus notabilis decimae pars a fagopyiro Domino decederet, Decimam eidem tribuat. (In Causa Valbouliensium Nro aul. 2232 loc. 5642, 1813)

* Urbarium idiomate hungarico conceptum typis mandatum eadem se exprimit ratione: „Ezen Kilentzed gyanánt adandó tized rész az ollyatén földnek termésirűl értetődik, a' mellytűl 1491-dik esztendőnek elsö artikulussa szerint tsupán tsak kilentzed rész jutott, ugyan ez következendő időkben is meg marad."

4) „Von Gartenfrüchten, ingleichen von Kraut — „und Hülsenfrüchten, gebührt nach bisher hier „üblichen Gebrauch dem Grundherrn kein Zehend." Quod in Urbario hungarico ita versum comparet: „Ezen tartománynak szokása szerint „Veteményes, Káposztás, és más efféle kertek-„nek gyümöltseibűl a' földes Uraságnak semmi „Dézma nem adatik." Perperam certe!

5) Impugnabatur fundamentum justitiae hujus Resolutionis ideo 1-o) quia Domino terrestri Nona ex omnibus terrae nascentiis competit secundum Leges et Urbarium 2-o) Quamvis vero propositio haec restringatur per Urbarii C V-i § 3 relate ad terras secunda vice semine fruibili eodem anno inseminatas; inde colligi debere, quod nascentiae in 3-a calcatura semel

tantum inseminari solita Nonae obnoxiae sint. 3-o) Immunitate hac locum habente Colonus agros 3-ae calcaturae et meliori ac utiliori semine inseminabit, et majori industria colet, quam agros 1-ae et 2-ae calcaturae, cum jactura Domini terrestris relate ad Nonam ex his obvenientem. 4-o) In illis regni partibus in quibus agri stercorari (fimari) non solent; agri quiete etiam necessaria destituti nimis exhaurientur relate ad vim plantarum nutrientem, et sic procreatio ipsa, una et Nona ex illa obveniens cum injuria Domini terrestris deficiet. 5-o) Domini terrestres hac ratione a pascuo in vervacto (tertia calcatura) cum Colonis communi excluduntur, quin quoad amissum hoc beneficium compensationem per Nonam sortiantur. — Verum ut breviter tantum ad objectiones has respondeam: argumentum 1-um enervatur per 2-um. Secundum nihil probat; quia Urbarium exemtionem secundae in anno eodem procreationis a Nona non potuit relate etiam ad 3-am Calcaturam intelligere. quae tantum recentioribus temporibus, agricultura videlicet magis provecta, inseminari coepit. — 3-um et 4-um argumentum inane reddit Resolutio citata 13-a Julii 1774 publicata. — 5-um per usumfructum liberum evertitur, quem Colonus relate ad terras sibi in dotationem assignatas habet, dummodo praestanda secundum Urbarium praestet. Caeterum per recentissimam Resolutionem de anno 1806 Nro loc. 16372 adversariis prioris citatae Resolutionis satisfactum est.

6) Resolutio nihilominus Regia 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata ita habet puncto 10 „Altefata sua Majestas SSma benigne resolvere „dignata est, ut Domini terrestres loco filatu„rae nonam ex lino et canabibus in natura de„sumant.“

7) Adeoque Filatura 6 Librarum per integrae sessionis Colonum praestanda non est intelligenda ita, quasi et ex Canabe, et ex Lino, adeoque simul 12 Librarum Filaturam praestare deberet; verum ita, quod vel ex Lino, vel ex Canabe pro lubitu Domini terrestris 6 Librae per Colonum neri debeant.

8) Idem quoque de Decima Clericali intelligendum est, de qua circa tempus idem lex haec disponit.

9) Si ex 100 crucibus v. g. prius Decima, dein Nona desumatur, 10 cruces titulo Decimae et totidem titulo Nonae obveniunt. Si vero prius Nona dein Decimá desumatur, pro Nona 11 cruces, et 2 manipuli, pro Decima vero 8 cruces et 14 2/5 manipuli obtingunt. Crucem ab 18 manipulis (capetiis) sumendo. Caeterum in praxi non magnus est usus dispositionis citatarum legum; quia communiter et Praelatus, et Dominus duos manipulos integros ex quavis cruce, aut si Praelatus sit simul Dominus terrestris, vel Dominus terrestris arendator illius relate ad Decimam, manipulos quator sibi sumunt. Si crux minor media sit, seu novem capetias in se non complectatur, ab octo usque quinque manipulos adhuc semper titulo Nonae et respective Decimae una capetia communiter accipitur; si vero quatuor tantum sint manipuli, hi nec nonari, nec decimari solent. Si Nona et Decima eundem respiciat, a capetiis ultra quator duae pendi debent, quator et infra illas vero illibatae Colono manent.

10) Quae de Nonatione hic disseruimus, eadem etiam de Decimatione (Clericali) valent; hoc tantum excepto, quod apes ductu articuli 39 1495 Colonus usque festum S. Michaëlis apud se servare obligetur, quod in praxi etiam relate ad apes nonatas obtinet.

11) Aliqui tantum a culpa levissima absolvunt Colonum; cum hanc in regula (nisi Contractu, vel quasi Contractu semet obliget) nemo praestare obligetur.

12) Hinc etiam erga petitum Comitatus Scepusiensis, ut Dominis terrestribus aequivalens Nonae percipientibus Filaturam exigere liceat. Resolutione de 7-a Jan. 1774 Nro 92 (eidem 13-a Jan. e. a. Nro 264 intimata) rescriptum: ut si Coloni medio tempore ad Filaturam quoquomodo coacti fuissent; iisdem merces ejusdem convenienda inter Dominum, et Subditos persolvatur. Resolutio Regia de 1-a Aprilis 1776 Nro 1509 — Comitatui Comaromiensi 9-a Aprilis e. a. Nro 1929 intimata, cum ubi Nona in aequivalenti praestatur, Filatura abrogata sit; quoad loca contractualia ad praestationem Nonae in

natura haud adstricta Filaturam in Contractibus expositam simpliciter abrogari jussit.

13) Si igitur in loco aliquo essent mediae sessionis 60 vel quartae sessionis 120 Coloni, aeque unum vitulum, si vero mixtae qualitatis sessiones existerent, ad integras reduci, et ita 30 integrae sessionis Coloni unum vitulum praestare obligarentur. Id quoque de pretio redemtionali sumendum est. (quod tamen in praxi non semper religiose observatur).

14) Instructio Ex. Mag. C V § 22 horum Victualium quantitatem agrorum, et pratorum quantitati approportionandam praecipit, sed res redit ad idem, sive huic, sive qualitati sessionum accommedetur.

15) De Vitulo, si solam spectes dispositionem Urbarii, et nolis simul ad usum reflectere, videtur esse saltim dubium, si non est certum illud, quod Coloni Vitulum pro lubitu suo vel in natura praestare, vel aequivalenti pretio statuto redimere possint; nam Urbarium C IV § 3 ita ait: „Ultra has nunc expositas Datias singuli 30 integrae sessionis Coloni semel in anno praestabunt Vitulum, vel hujus loco florenum 1, X-ros 30." Ita quoque Urbarium Croaticum se exprimit. Adeoque Urbarium videtur alternativam ad arbitrium Colonorum referre, eo magis, quod Instructione Ex. Mag. C V § 22 dum de redemtione victualium mutuo Domini et Coloni consensu agit, Vitulum non attingat, quod item Instr. Ex. Mag. C V § 22 nec uti quoad reliqua victualia tempus, quo praestari debent, defixerit. Verum uti dixi, si usum quoque respiciamus, non est amplius dubium, quin haec alternativa Colonis non competat, verum Domino jus sit Vitulum quoque in natura exigendi.

16) Aliter vero summa 48 cruciferorum solet etiam ita dividi inter Victualia singularia, ut pro butyri media 18X-i
pro duobus caponibus singulum a 9 X-ris computando . . . . 18 —
pro duobus pullis singulum a 4 1/2 X-ris calculando . . . . 9 —
pro duodecim Ovis, 4 ab uno X-ro sumendo . . . . 3 —
obtingant . . . . in summa 48 —

Item aliter adhuc ita, ut pro butyri media		21 X-ri
pro duobus caponibus a 9 X-ris	. . .	18 —
pro duobus pullis a 3 X-ris	. . . . .	6 —
pro duodecim Ovis, 4 ab 1 X-ro	. . .	3 —
assumantur	in summa	48 —

17) Quaestio an si Dominus terrestris terminum praestitutum, usque quem seu quoad unam, seu aliam, seu omnes species negligat, cum eodem saltim anno amplius reluctante Colono easdem exigere non possit, futuro anno desumere valeat? — e spiritu Regulationis Urbarialis negative decidenda videtur, cum haec in genere ad vitandas confusiones, restantias (restantes obligationes) non toleret; secus vero etiam culpa culposo, et mora moroso juste imputetur.

18) Sed haec Resolutio applicationem vix subire potest, nec subiit ante semper, cum utique fuerit tempus, idque non ita pridem, ubi vitulus communis a 30 florenis emebatur, et vendebatur; adeoque quacunque aetate. et qualitate in natura exactus fuisset, et adhuc hodie etiam exigatur, tamen in valore pretium urbariale superet.

§ 19.

De Robotis hebdomadalibus et Longa Vectura.

Tractatus de Robotis hebdomadalibus et Longa Vectura, uti supra § 17 dictum, tribus quaestionibus A) a quo? B) qua mensura quoad tempus et numerum Robotae generatim? C) quot jumentis et quomodo iugales in specie praestandae sint? commode absolvi potest.

A) Generatim tam Colonus stricte talis, quam etiam non stricte talis et uterque sive sessionatus, seu Inquilinus, aut Subinquilinus sit, Robotas sibi incumbentes in natura praestare tenetur (C III § 1, 8). Haec tamen obligatio non est personalis eo videlicet sensu, quod Colonus ad ser-

vitutes per se praestandas cogeretur, neque per alium illas praestare posset. Nec enim Urbarium operas personales hoc sensu Colonis imponit, nec Colonus Domino terrestri quoad personam suam obnoxius (leibeigen) est, nec denique Domini terrestris quidquam interesse potest, sive opera per Colonum ipsum, sive ejus mercenarium, aut alium quemcunque gratis perficiatur, dummodo bene perficiatur. Nihilominus in Hung. et Croat. Opifices et Mercatores sive Coloni, seu Inquilini, aut Subinquilini sint (quoad praestationes reliquas, ut alii Coloni (rurales) tractandi libertate gaudent Robotas sibi incumbentes aut parato redimendi aere, aut (quod per se intelligitur) per servos suos, vel mercenarios praestandi, ne videlicet, si ipsi Robotas in persona praestarent, cum notabili ditrimento suo ab exercitio opificiorum abstrahantur, (salva tamen libertate Dominorum terrestrium, cum illis opificibus, et mercatoribus, quos ad fundos suos curiales illocant, et pro quibus domos et fornices exstrui curant, ratione census conventionem ineundi). (Res. Reg. de 15-a Jan. 1784, et 15-a X-bris 1785 Nro 15263) 1) Urbarium Ban. (C IV, § 1, 6-o, 7-o, et 8-o) majoribus mercatoribus, qui ordinatum exercent mercatum, et fornicibus gaudent, opificibus, qui nullos fundos, sed domos solum possident, demum Subinquilinos generatim, etiam illas servitutes, quae per alios Colonos secus in natura praestari debent, reluendi, et quidem manualem a 10, jugalem a 20 x-ris facultatem tribuit. Urbarium Slav. (P 1, 13-o) eandem facultatem mercatoribus, et opificibus generatim tribuit, sed majori pretio, manualem nempe a 12, jugalem vero a 24 x-ris computando.

B) Quaestio haec iterum in subalternas quaestiones sequentes commode resolvi potest: a) Quot diebus Robotae hic loci pertractandae absolvuntur, quove tempore praestandae? b) Quomodo dies computandi? c) Quae exceptiones relate ad tempus praestandarum Robotarum hebdomadalium locum habent? d) Quid de supererogatione et Restantia robotarum hebdomadalium tenendum? e) Quomodo supererogatio, et restantia haec praecavenda, et quid de Computu Robotali notandum? f) An in arbitrio Coloni vel Domini sit Robotas hebdomadales jugales vel manuales praestandi, et respective exigendi.

a) Articulus 16, 1514 (vide etiam 1548 a. 34) Colonis sessionatis 52 dierum operas serviles absque distinctione jugalium vel manualium imposuit, et praeterea nihil, „Item qualibet „hebdomada, singulo uno die domi„nis ipsorum servire teneantur.“ In Hungaria et Croatia Robotarum harum, quas Urbarium (Hung. et Croat.) ordinarias vocat (ego vero hebdomadales appello), numerus pendet relate ad Colonos sessionatos a qualitate Sessionum. Integrae Sessionis Colonus, et sic a proportione reliqui 2) singulis hebdomadibus una die, per annum igitur 52 diebus operam (laborem) jugalem, vel in locum unius diei operae jugalis duarum dierum manuales 3), adeoque per annum 104 dierum manuales operas praestare obligantur. (C III, § 1) Praeterea Coloni sessionati ita dictam Longam Vecturam praestare debent. Haec aeque mensuram suam accipit a qualitate sessionum; 4 videlicet Coloni integrae sessionis, et sic a proportione minoris qualitatis sessionum conjungendo vel alia ratione inter se conveniendo, quadrijugo curru, onus quodcunque viribus quadrijugi com-

mensuratum ad distantiam duorum dierum tempore, quo domino terrestri libet, si excipias illud ferventium laborum oeconomicorum et quo viae luridae sunt, vehere obligantur 4) (C III § 12). – Inquilini propriam domum habentes (domiciliati) 18; Subinquilini 12 dierum manuales labores, non jugales, neque in illos (duos videlicet manuales pro uno jugali computando) transmutandos decursu annni perficere tenentur, ita tamen, ut illis inter 52 hebdomadas divisis portio tantum ad hebdomadam unam obveniens eadem exigi possit. 5) (C III, § 8; et sensu Puncti suppl. 9; Instr. Ex. Mag. C V, § 22) In Banatu Colonus integrae sessionis in 1-a Classe 104, in 2-a 78, in 3-a 62 ½; mediae sessionis in Classe 1-a 58, in 2-a 43 ½, in 3-a 35; quartae Sessionis in 1-a 34, in 2-a 25 ½, in 3-a 20 ½; tandem octavae Sessionis Colonus in 1-a 21 ½, in 2-a 16, in 3-a 13 dierum operas manuales praestare obligantur. Ex his tamen reluere possunt integrae Sessionis Colonus in 1-a Classe 58 ½, in 2-a 42 ½, in 3-a 33; mediae Sessionis Colonus in 1-a 31, in 2-a 22 ½, in 3-a 18; quartae Sessionis in 1-a 16, in 2-a 11 ½, in 3-a 9 dierum manuales robotas, singulas a 10 X-ris. Octavae Sessionis Colonus omnes in natura praestare obligatur. Inquilinus operas manuales 8, Subinquilinus vero 6 dierum praestare tenetur; ille omnes in natura, hic vero omnes reluere potest pretio memorato. Medietas pretii Robotarum reluendarum festo S. Georgii, medietas festo S. Michaelis solvi debet. (C IV § 1, 1-o, 2-o, 4-o, 6-o) – In Slavonia Colonus integrae Sessionis 24 diebus jugali, vel 48 diebus manuali opera gratis; pro mercede vero 12 cruciferorum a singulis manualibus et 24 cruciferorum a singulis jugalibus operis adhuc 28

diebus jugali; vel 56 diebus manuali opera Domino terrestri servire debet, et sic a proportione qualitatis Sessionum reliqui. Si vero Dominus terrestris Robotas etiam, quas Colonus in natura praestare debet, pecunia sibi solvi cupiat; hic pro singulis diebus manualis servitii 10, pro singulis vero diebus jugalis laboris 20 cruciferos pendere obligatur (P. 1, 1-o; Punct. Reg. 1-um). Inquilinus 12, Subinquilinus vero 10 dierum manualem laborem praestare debet (P. 1, 2-o). Longa Vectura in Banatu (C IV, § 4, 4-o) et Slavonia exulat.

b) Dies per Urbarium (Hung. et Croat.) non juxta horas computantur; verum secundum illud totum spatium, quod inter ortum et occasum solis intercedit, pro labore deservit. In quem tamen itus, et reditus mensibus Martio, Aprili, Majo, Junio, Julio, Augusto, Septembri et Octobri, non vero reliquis, videlicet Novembri, Decembri, Januario et Februario, quibus nempe itus et reditus, sub crepuscula matutinum et vespertinum perficiendus est; horae vero quietis et prandii pro Colono, quietis item ac pabulationis et adaquationis pro pecoribus semper, quocunque mense imputantur. Itus tamen et reditus 4 mensibus hyemalibus tunc tantum crepusculis matutino et vespertino perfici debet, et etiam tunc tantum potest; si locus unde movet Colonus, a loco destinationis, quo videlicet opera praestanda, una aut ad summum semi altera hora distet. Itus vero et reditus ad majorem distantiam partim crepusculis ad distantiam nempe semialterius ad summum horae fieri, partim vero remanentium videlicet horarum in ipsum laborem imputari debet. Itaque Colonus mensibus aestivalibus (ita 8 illos brevitatis causa appellare mihi liceat) a loco ha-

bitationis oriente sole movere debet ad locum perficiendi laboris, inde vero ante occasum solis, ita videlicet, ut occidente sole domi esse possit, reverti potest. Quator hyemalibus mensibus vero, quotcunque horis locus habitationis ab illo laboris perficiendi distet, crepusculo ingruente matutino domo discedere, ex loco vero laboris, si distantia hujus a loco habitationis sit unius aut ad summum semi alterius horae, iterum crepusculo vespertino ingruente, et non ante redire potest. Si vero distantia utriusque loci major sit, tunc ante crepusculum reverti potest, ita videlicet ut crepusculo vespertino in noctem abeunte, seu nocte jam ingruente domi suae constituatur (C III, § 4; et sensu illius). Si in casu concreto Dominus et Subditi circa itum et reditum relate ad certam distantiam quot horis perficiendum inter se convenire non possint; determinatio horarum, – habita utique circumstantiarum localium, praecipue plagae montosae, vel planae, viarum, pecorum item qualitatis, porro oneris curribus imponendi, vel ferendi, tempestatis, hyemis praeprimis et aestatis, aliorumque adjunctorum ratione, – penes Comitatum respectivum est. (C III § 2; vide etiam Res. Reg. de 12-a Maji 1777, Nro 2526) Idem hoc potest tamen etiam Sedes Dominalis determinare (usus). Relate ad Dominia Comitatus Tabellas, quibus distantiae Locorum in gremio suo existentium, a quibus et ad quae Coloni pro operis peragendis proficiscuntur, determinantur, (juxta praemissas regulas) conficere solent, et debent, altissimae inspectioni dein substernendas. Tabellae approbatae tam Dominiis, quam et Subditis concernentibus pro cynosura, et directione sub authentico expediri (extradari), in uno vero exem-

plari etiam Consilio R. L. submitti debent (Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Com. Zagr. intimata; item sensu Res. Reg. 1-a Octob. 1776, Nro 4756 – Com. Honth. 7-a e. m. et a. Nro 5310 intimatae). Idem quoque de tempore pro quiete, pabulatione, et adaquatione pecorum Subditis operas jugales praestantibus concedendo intelligendum est. – Resolutio Regia 7-a Junii 1781 Com. Varasd. Nro $\frac{1843}{2576}$ intimata circa pabulationem et adaquationem in specie praecipit, ut a norma unius et respective duarum horarum pro pabulatione et adaquatione generatim concessarum abstrahatur; quia nempe tempus in illas necessarium a robore (qualitate) jumentorum, tempestate pro labore magis vel minus favorabili, distantia item loci adaquationis et pascui praeprimis pendet. Quae circumstantiae prout non ubique aequales sunt, ita nec mora per pecora in pastione (pascuatione) et adaquatione trahenda in genere (relate ad omnia Comitatus loca) sed accomodate his circumstantiis definiri potest et debet. (vide etiam Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Com. eidem intimatam) Colono manualem laborem perficienti communiter hora (a 12-a usque 1-am) pro quiete et prandio concedi solet, debetque. – Si Subditus ad laborem sibi assignatum perficiendum ad locum destinationis profectus laborem jam coeptum ob pluviam, aliudve impedimentum, quod non in ipso rationem habet, antequam dies labatur, deserere debeat, et quidem ante meridiem; media dies, si vero post meridiem, tota dies Colono acceptanda est. Si vero Colonus tantum venit da locum destinationis, et statim iterum, quin manum operi admovisset, redire cogatur ob impedimentum simile; itus solum et reditus in operam sequentem Colono imputandus est (C III

§ 7). Adeoque Urbarium sequitur hac in re principium: Casus nocet domino, seu domino terrestri, qui simul dominus operarum per Subditum praestandarum est. 6) Quae hic respectu Hungariae et Croatiae dicta sunt, etiam in Banatu (C IV § 2, 1-o, 4-o) et Slavonia (P 1, 1-o; Punct. Reg. 1-um) applicationem habent, excepto eo, quod in Banatu itus et reditus semper in ipsum laborem imputetur (cit. loc.). 7)

c) Regula illa Urbarii, quod Colonus singulis hebdomadibus tantum unam jugalem, vel in locum illius duas manuales Robotas secundum proportionem Sessionum praestare obligetur, duas patitur exceptiones relate ad Hungar. Croat. et Ban. (Urbarium Slav. nullam facit).

1-o) Tempore messis, falcaturae (foenisecii) culturae vinearum, et vindemiae Colonus singulis hebdomadibus dupplicatam seu manualem, seu jugalem operam praestare obligatur, (C III § 5) ita tamen, ut unius hebdomadae opera, pro duarum labore computari debeat. Hic tamen paragraphus per Punctum supplementale octavum ita modificatus est, ut cum Coloni integrae sessionis nonnisi cum gravi incommodo suo ad praestandas dupplicatas manuales operas hebdomadatim sibi incumbentes, adeoque 4 diebus perficiendas obligari possent; diebus enim festis, vel pluviis intervenientibus propriam procreationem fundum sustentandae vitae, sustinendorumque onerum omnis generis vix ac ne vix quidem colligere possent, – cum porro Legis quoque praescripto etiam tempore ferventium laborum ad dupplicatas hebdomadatim Robotas praestandas non teneantur, verum semper tantum duarum ad summum dierum operas perficere: loco 4 dierum 3 tantum diebus tempore messis, falcaturae, vinearum culturae, et

vindemiae hebdomadatim Domino servire obligentur. Ita videlicet, ut ex duabus jugalibus una ut jugalis, altera vero ut duae manuales operae perficiantur, et hac ratione duplicatio intelligatur. Mediae vero quartae et octavae sessionis Coloni ad dupplicationem Robotae etiam manualis per hebdomadam sibi incumbentis, adeoque mediae sessionis Colonus ad duas, quartae sessionis Colonus ad unam, octavae tandem sessionis Colonus ad mediam diem manualis Robotae, tempore illo urgenti praestandam stringi possint. Tres etiam illos dies ita intelligi vult Resolutio Regia 9-a Junii 1789 publicata, ut hi non in continuo, sed intermixtim, post singulas videlicet dies laboris dominalis, uno, quo Colonus sibi laborare valeat, interjecto, exigi valeant. Id quidem Resolutio haec tantum quoad messem praecipit, sed ob eandem rationem etiam ad falcationem, vinearum culturam, et vindemiam non incongrue extendi potest. – Inquilini cum falce et ligone (plerumque) vitam suam sustentent, hisque panem necessarium tempore ferventium laborum ruralium sibi quaerere debeant, mediis vitae sustentandae secus destituantur, nullis Robotis praeterea secundum leges Codicis, velut tantum Urbario in commodum Dominorum ipsis impositis tenerentur, dein ex labore illorum alioquin nonnisi exigua portio ad singulam hebdomadam veniret; ad hanc tempore urgentium laborum oeconomiae ruralis dupplicandam cogi non possunt, ductu Puncti supplementalis noni. Idem, et jure potiori de Subinquilinis intelligi debet. 8) In Banatu tempore messis, falcaturae, et vindemiarum Colonus integrae sessionis (absque respectu classis) duabus diebus manualem, et una die jugalem; mediae sessionis Colonus jugalem

unius diei, et manualem alterius; quartae demum sessionis Colonus unius diei jugalem, vel in locum illius duarum manualem laborem alternis hebdomadibus perficere obligatur. Inquilini et Subinquilini hebdomadatim singulas tantum operas praestare debent. – Quo una hebdomada competentia plus praestitum est, id utique in sequentes imputari debet. (C IV, § 3, 2-o)

2-o) Si locus, in quo opera perficienda est, ab illo habitationis Coloni mediae diei, vel majori etiam distantia absit; hic 4 diebus continuis una cum itu et reditu computandis per hebdomadam Domino terrestri labore tenetur, ita tamen, ut quod per se intelligitur, 4 hi dies dein pro 2, et respective 4 hebdomadarum servitutibus relate ad integrae sesssionis Colonum (et sic a proportione), prout nempe manualis vel jugalis labor a Domino terrestri exactus fuit, cedant: porro ut tempore ferventium laborum oeconomicorum, messis, falcaturae, vinearum culturae, et vindemiarum alternis tantum hebdomadis ad hanc operam 4 continuarum dierum obligetur, adeoque altera semper hebdomada oeconomiae suae prospicere valeat: porro sive jugalem sive manualem operam Dominus terrestris exigat, tamen non pluribus quam 4 diebus (imputato, quod ex praecedentibus per se intelligitur itu et reditu) in omnem casum Domino laborare teneatur: demum ut Dominus terrestris Colonum praevie de opera hac 4 dierum moneat, ut se ad illam debite parare possit, et aestate pecoribus Coloni de pascuo sufficienti, hyeme vero tam huic, quam illis de necessaria commoditate prospiciat. (C III § 3, § 6; Urb. Ban. C IV, § 3, 1-o 3-o)

Haec tamen operarum 3 et respective 4 diebus per hebdomadam exactio ita instituenda

est, ut pro 6 hybernis mensibus (Octobri, Novembri, Decembri, Januario, Februario et Martio) quarta pars operarum praestandarum remaneat (C III § 6; Urb. Ban. C IV § 3, 4-o; Punct. Reg. Urb. Slav. 1-um)

d) Ex eo, quod Urbarium numerum operarum per Colonum decursu anni cujuslibet praestandarum determinaverit, jam suapte fluit:

1-o) Quod ultra illum operas exigere Domino terrestri cautum esse debeat. Ejusmodi supra numerum competentem exactio robotarum termino peculiari Supererogatio solet vocari, et hinc illa vetita est, Colonusque ad illam nulla ratione obligari potest. Si tamen errore aliquo Colonus supererogasset operas, hae eidem actutum (instantance) aere parato per Dominum terrestrem compensari debent occasione Computus operarum vulgo Robotalis dicti, non vero in Robotas sequenti anno praestandas imputari. Ex quo itidem sequitur, quod Colonus ad operas sequenti primum anno praestandas currenti cogi non possit, seu uti dici amat, Anticipatio Robotarum locum non habeat, et Colonus ad Robotas anticipato praestandas non teneatur.

2-o) Quod Colonus numerum praescriptum operarum singulis annis explere debeat, et ad id cogi quoque per Dominum terrestrem suo modo possit. Si tamen errore Subditus numerum sibi per annum incumbentem operarum non complevisset seu, ut praxis loquitur, restantiarius mansisset; defectum seu restantiam futuro anno explere, sed non parato aere redimere, obligatur (Instr. Ex. Mag. C V § 30).

Si erronee Supererogatio operarum locum habeat, aere parato haec per Dominum redimenda est, ut supra commemoratum. Quaeri-

tur ergo, quod sit pretium redemtionale Robotae supererogatae? Resolutio Regia 4-a Octobris 1779 Nro 5262 Com. Szeveriensi intimata Robotam manualem a 10, jugalem vero a 20 X-ris calculandam determinat. Et haec cynosura in Hungaria quoque et Croatia adoptata est, excepto Comitatu Simegiensi, in quo Robota manualis a 12, jugalis a 24 X-ris compensatur. — Caeterum cum hoc pretium circumstantiis temporum illorum accommodatum fuerit, suapte fluit, quod illis relate ad mercedem operarum mutatis, nec Resolutio haec, nec fundatus in illa praetensus (praentensivus) usus normam ponere possit; cum omnis opera ultra mensuram urbarialem praestita convenienti, vel inter Dominum et Subditum pasciscendo (pactando) vel vero per Comitatum limitato pretio per Dominum terrestrem redimenda sit. Idem quoque obtinet, si Colonus sponte ultra mensuram urbarialem eroget; nam haec Supererogatio pactum sapit inter Dominum et Subditum tacitum, sensu Urbarii mercede convenienti praestitam operam compensandi. His principiis innititur etiam Resolutio Regia de 1-a Maji 1772 Nro 2364 — Com. Poson. 18-a e. m. et a. Nro 2179 intimata, quae praecipit, ut cum tempore ferventium laborum ruralium majoris aestimationis (valoris) sint operae, quam alio; si tunc incompetenter (erronee) ultra normam urbarialem exactae fuissent; compensatio earundem reflexione illa habita Subditis procuretur, ita ut una manualis tempore hoc praestita ad instar duarum computetur. Igitur una jugalis secundum proportionem hanc aeque pro duabus computari deberet. Urbarium Ban. (C IV, § 1, 1-o, 2-o) Robotam jugalem aeque 20, manualem 10 X-ris aestimat, si Colonus Robotarum

partem determinatam reluere velit; hoc igitur pretium ad operas errore supererogatas extendi non potest. – Ductu Urbarii Slav. (P 1, 1-o) si Dominus terrestris per Subditum Robotas concernentes parato aere solvi velit, hic pro manuali aeque 10 pro jugali vero 20 X-ros pendere debet; si vero Dominus terrestris ultra competentiam a Subditis Robotas, eo videlicet numero, qui ipsi admissus habetur, exigat; manualem 12, jugalem 24 cruciferis (dum Subditus desiderat numerandis Punct. Reg. 3-um) compensare obligatur. Adeoque ad operas errore ultra competentiam per Colonum erogatas nec unum nec aliud pretium extendi potest; sed hae prout in Banatu conventa, aut consveta, aut per Comitatum limitata mercede Subditis exolvi debent. 9)

Si Exactio Robotarum ultra mensuram debitam non errore, sed coactione Subditi ad superogandas operas locum habeat; Excessus adest Urbarialis, qui praeter compensationem pro ratione circumstantiarum poenam quoque excessui commensuratam actione Fisci Magistratualis post se trahit. (ductu Res. Reg. sub Nro aul. 5963, 1784)

e) Ut vero omnis error circa Exactionem Robotarum praecaveri possit; praestitae Robotae singulis vesperis, ut Urbarium Slav. (P II, 12-o, et Punct. Reg. 3-um) praecipit, vel saltim cum fine singularum hebdomadarum per respectivos Officiales Dominales Dicis, seu Tesseris (Kerbe) Subditorum incidi, aut Sigilla (Schaedae sigillo dominali, vel alio quocunque munitae) ut Urbarium Slav. (loc. cit.) vult, tot, quot operas praestiterunt, iisdem dari debent. (Res. Reg. de 17-a Maji 1782 Nro 2420 – Com. Temes. 27-a e. m. et a. Nro 3636 intimata; et ab

analogia ejusdem relate ad Hung. et Croat.) Si tamen ad facilitandum Robotarum computum Domini terrestres meliorem aptioremque Tesserarum (Sigillorumque) usu methodum teneant, hanc illis sequi omnino licet. (Res. Reg. de 23-a Febr. 1776, Nro 862 – 4-a Martii e. a. Nro 1246 Com. Bacs. intimata) In Dominiis praesertim majoribus loco Tesserarum plerumque Schaedulae scriptae vel impressae Colonis super praestitis Robotis singulis diebus dantur; in aliis vero Libellis per Colonos servatis numerus Robotarum inscribitur. Tesseras vel Sigilla aut etiam Schaedas vel Libellos occasione Computus Robotalis, qui cum fine singulorum annorum per Officiolatum dominalem cum Colonis institui debet, hi producere obligantur, pro legitimando numero Robotarum decursu anni praestitarum. Solent tamen in majoribus Dominiis et bene regulatis Computus partiales singulis Semestribus aut etiam Trimestribus institui, et tandem cum fine anni Computus generalis. Super Robotis autem per Colonos praestitis et earundem Computu Protocollum seu Registrum accurate per concernentem Officialem dominalem duci debet, (uti id Urbarium Slav. cit. loc. in specie praecipit) ex quo accurate appareat, quot operas singuli Coloni praestare debeant (secundum Tabellam urbarialem), quot pro praeterito anno adhuc teneantur, quot revera, adeoque quot plus vel minus competentia sua praestiterint. Si Supererogatio locum habeat, haec Colono statim parato aere exsolvenda; Restantia vero ad Registrum sequentis anni peculiari rubrica praenotanda est; ne secus confusiones enascantur. Praesentia Testimonii Legalis occasione Computus seu partialis seu generalis eo minus vero Fisci Magistratualis re-

quiritur; nisi Computus ob turbatas inter Dominum et Subditos correlationes coram Sede Dominali institui debeat. 10)

f) Cum Colonus integrae sessionis 52 operas jugales, vel 104 manuales (adeoque loco singularum jugalium duas manuales) per annum praestare obligetur; quaeri potest, an arbitrium jugales, vel manuales operas exigendi penes Dominum, vel praestandi penes Subditum sit? Urbario quidem et in genere lege aliqua haec quaestio directe non deciditur; sed ex eo, quod Colonus praescripto Urbarii C III § 1-i et Iuncti supplem. 7-i pecora numero ad operas jugales requisito non habens cum alio conjungere, et ita operam jugalem uno secus die perficiendam, duobus saltim vel pluribus etiam diebus pro ratione numeri pecorum, quibus gaudet et qui ad laborem certum requiritur, perficere non levi sua incommoditate cogatur, nisi alia ratione se juvare possit: quod item ductu Resolutionis Regiae de 2-a Junii 1770 Nris 2569, 2570, 2571, 2572, et 2573 – Com. Veszprimiensi 11-a e. m. et a. Nro 2572 intimatae a Colonis sessionatis etiam jugalibus penitus destitutis Araturae et Longae Vecturae exigi possint, nisi pecora illorum fato quodam perivissent, (quibus tantisper indulgeri, rationem ipsam svadere dicit); satis liquet, quod arbitrium exigendarum Robotarum manualium vel jugalium penes Dominum terrestrem resideat, Colonus vero illi se accommodare debeat. Idem non obscure etiam e Puncto Supplementali octavo et relate ad Banatum ex Urb. C IV, § 2, 5-o colligitur. In Slavonia Dominus terrestris in regula quidem jugales operas a Colono exigere potest; si tamen hic jumentis careat, in locum illarum manuales praestare potest. (P. 1, 1-o)

C) Ud ad hanc quaestionem (vide initio huj. §-i) apte responderi valeat, distinguendae sunt operae illae, quae Aratione (Aratura) et ita dicta Longa Vectura absolvuntur, a reliquis jugalibus. Hac vero distinctione quaestio illa resolvitur in duas subordinatas, a) quot jumentis, et quomodo operae jugales in Aratione ac Longa Vectura et b) quomodo, ac quot jumentis reliquae praestandae sunt? Quibus accedit tertia c) quot operis jugalibus absolvitur Aratio?

a) Aratura in Hungaria, et Croatia juxta consvetudinem locorum duobus, vel quatvor jumentis, sed semper proprio Coloni aratro praestari debet. In hanc consvetudinem occasione Regulationis urbarialis primaevae, in specie in Examine ad 9 Puncta Exequentes Magistratuales inquirere debebant, et juxta illam Colonis quoque in respectivis Urbariis (C III § 1) obligatio imponebatur arationem duobus vel quatvor jumentis perficiendi. Si Coloni 4 pecoribus provisi non sint, tamen ad quadrijugam arationem obligantur, ita videlicet, ut cum alio conjungendo unius diei arationem biduo perficiant, ultra tamen illud eadem occasione, (eodem arationis tempore) ad arandum cogi non possunt. (Punct. suppl. 7-um) Tenetur vero Colonus ad quadrijugum laborem, si eum una persona perficere valet, nonnisi unam sistere; si vero non sufficeret, unam ad quosvis labores aptam, aliam vero ad agenda solum pecora statuere obligatur. (Punctum suppl. 6-um) – In Banatu (C IV, § 2, 5-o) Colonus aeque Arationem 4 jumentis perficere debet, reliquas operas jugales duobus tantum jumentis praestare obligatur; et si Dominus terrestris praeter illam operas quasdam 4 jumentis sibi praestari vellet, una jugalis pro duabus computari

debet. – In Slavonia tandem Aratio tot sigillis compensanda, adeoque pro tot manualibus computanda est, quot pecora Dominus terrestris jungi vult. Sic v. g. in Comitatu Sirmienti Aratio 6 sigillis, quia et 6 bobus instituitur, compensanda est. (Punct. Reg. 12-um)

Longa Vectura semper 4 jumentis perficienda est (C III, § 12). Circa eandem haec notanda sunt: 1-o) non viis corruptis nec tempore araturae, messis, falcaturae, et vindemiarum (ac culturae vinearum), sed extra tempus ferventium laborum horum oeconomicorum praeterea commodo tantum itinere exigi; 2-o) nec in sequentem annum differri, nec in alium laborem commutari, invito Colono, nec demum hic ad reluitionem stringi potest. 3-o) Si Colonus hac vectura intra duos dies ad locum destinationis pertingere non possit, quot dies vel horas addere debet, tot in Robotam hebdomadalem (ordinariam) ipsi imputari debent. Si vero in reditu currus oneraretur, dies in reditum insumti aeque in robotam hebdomadalem imputari debent. 4-o) Telonium, Naulum, Tricesimas, aliaque Vectigalia, et Expensas, pro hospitio in diversorio, in quo condescendere debent Coloni, factas, Dominium solvere obligatur. (C III § 12) 5-o Longa Vectura per annum a Colonis iisdem tantum una exigi potest, adeoque jugales operae ordinariae in illam converti non possunt. (Res. Reg. 7-a Junii 1781, Nro 1843 et 2076 Com. Varas. intimata)

b) Reliquae operae jugales, etiam occatio duobus solum jumentis, propriis tamen curribus, vel occis a Colonis praestandae sunt. (vide Instr. Ex. Mag. Cap. I §3 ad 6-tum; et adnexum ejusdem sub L et Nro 11 Inscriptiones

nempe ad spatia vacua Urb. Hung. et Puncta suppl. 5-um, 6-um, et 7-um; Urb. Ban. C IV, § 2, 5-o) Hinc suapte sequitur, quod onus vehendum tam distantiae quam viarum respectu, vires bijugi neutiquam excedere possit, secus si Colonus plura pecora jungere cogeretur, a proportione junctorum pecorum operae quoque imputatio crescere debet. (idem innuitur Res. Reg. de 5-a Maji 1775, Nro 1960 – Com. Hont. 11-a e. m. et a. Nro 2160 intimata) – In Banatu (C IV, § 4, 4-o) et Slavonia Longa Vectura locum non habet.

Intuitu oneris currui imponendi generatim id observandum, ne illud majus sit illo, quo Coloni communiter plaustra sua onerare solent; majus enim acceptare non obligantur, et si per excessivam onerationem currus, facto Domini damnum paterentur, ad illius refusionem (praeter poenam quoque convenientem pro ratione circumstantiarum actore Fisco Magistratuali infligendam) idem obligatur. (Res. Reg. de 29-a 9-bris 1773 – Com. Veszpr. 10-a Dec. e. a. Nro 5693 intimata) Determinatio oneris in specie curribus Colonorum imponendi (quemadmodum temporis in itum et reditum insumendi) ad Comitatum cum influxu Domini Terrestris pertinet; caeterum in Sede Dominali etiam determinari potest. Hoc autem relate ad numerum pecorum jungendorum, generatim adhuc notandum est, quod Dominus terrestris nulla ratione cogere possit Colonum, ut illum partiatur, et hac ratione laborem unius diei biduo perficiat; aliud est si Colonus culpa sua pauciora servet pecora, vel cum paucioribus ad laborem compareat, quam quae ad illum praescripto Urbarii requiruntur, tunc enim cum aliis conjungere, et dicta supra ratione robotam iterare tenetur. (C III § 1)

c) Superius dictum fuit, quod Colonus in locis quibusdam secundum praescriptum Urbarii respectivi arationem 4 jumentis, reliquas vero operas 2 praestare obligetur; quod quaestioni merito ansam praebet, an Colonus juxta arbitrium Domini semper, dum videlicet aratione opus habet, ad eam stringi possit, vel vero certa aliqua mensura eatenus locum habeat, quam Domino terrestri excedere non licet? Urbaria hanc quaestionem non attingunt. Resolutio Regia 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 occasione Regulationis generalis Comitatui Zagrabiensi intimata puncto 9-o ita fatur: „Ex instantiis Subditorum prodeunte eo, quod in regno hoc nullis certis araturarum temporibus praeexistentibus dominia terrestralia miseram plebem toties quoties ad explendam araturam stringant, et duo animalia pro uno tantum labore manuali imputent. Antequam eatenus decisive quid constituatur, clementer jussit Sua Majestas Ssma, ut super eo, quotnam in Comitatu hoc Zagrabiensi araturae pro perficiendis juxta morem harum partium fieri consvetis seminaturis, annue necessariae sint, qualis item usus circa peragendas per Colonos araturas hactenus viguerit? prout et de aliis cum objecto hoc connexis circumstantiis per praetitulatas Dominationes Vestras exacta informatio submittatur." Ad quam informationem, et similes aliorum etiam Croatiae Comitatuum 22-a Junii 1781 Nro 3256 Sua Majestas ita rescripsit: cum certum sit, in regno Hungariae intra evolutionem anni quatvor ad summum araturarum tempora recurrere; hanc porro obligationem adinstar aliarum praestationum a proportione sessionum explendam venire, quatvor hebdomadarum servitutes in araturas juxta praescriptum Urbarii imputandas con-

verti posse, ea tamen cum observatione, ne dictae araturae ad semel verum interpolatis et distinctis (non continuis) hebdomadibus desumantur. Cum autem Occatio cum Aratura nullatenus conjuncta sit, ast labores in Occationem praestiti, uti aliae jugales operae imputari debeant, Araturam cum Occatione non confundendam, verum illam (araturam) jam ad certum numerum reductam in conformitate Urbarii Puncti III-i, hanc vero ut alias jugales operas in computum Laborum (ordinariorum) imputandas esse, in quantum autem hucdum haud imputata haberetur, eandem respectivis Colonis pro praeterito bonificandam venire. 11) Hinc manifeste patet, quod Colonus tantum operam juxta qualitatem sessionis intra hebdomadam incumbentem quater per annum et quidem non continuis 4 hebdomadibus, sed aliis (una saltem) interjectis in araturam convertere debeat, adeoque in locis ubi arationem quatvor jumentis perficere consvetudinis est, quatvor jumentis, excepta Longa Vectura, quatvor tantum vicibus per annum Colonus Domino terrestri servire obligetur. 2) Hinc porro patet. quod Occatio sub Aratione non contineatur, adeoque quod illa, ut aliae Robotae duobus tantum pecoribus perfici debeant, et in hebdomadales (ordinarias) Robotas imputari, ut id supra quoque asseruimus. 13)

1) Contrachones (subalterni salis officiorum regiorum) in fundo dominali degentes, a robotis in natura praestandis absolute eximuntur, reluitioque earundem moderato pretio, Comitatus adjutorio inter Dominum terrestrem et illos inita conventione determinando admitti Resolutionibus Regiis praecipitur.

2) Igitur stricte sumendo secundum Urbarium Colonus mediae sessionis jugalem mediae, manua-

lem vero integrae diei; Colonus quartae sessionis jugalem quartae, manualem vero mediae diei; tandem Colonus octavae sessionis jugalem octavae manualem vero quartae diei praestare obligarentur: in praxi tamen sive manuales, sive jugales operae integrae diei exiguntur a Colonis etiam mediae et reliquarum sessionum fractarum; quod utique, dummodo fiat cum imputatione in sequentes hebdomadas, et Colono respectivo magis conducit, cum in itu et reditu secus multum temporis perdere deberet, et domino quoque terrestri emolumento est.

3) Ad manuales referuntur etiam operae, quae stricte pedibus tantum perficiuntur, deportatio Litterarum, vel aliarum rerum ex uno ad alium locum. Unde etiam non licet Domino terrestri Subditum peditem ad longius iter expedire quam quod perficere potest intra tempus, quo operam aliam intra hebdomadam praestare obligatur (Res. Reg. 9-a 7-bris 1785, Nro 20777 Com. Barany. intimata), nisi in sequentem hebdomadam imputetur.

4) Resolutio Regia de 16-a X-bris 1772 Nro 5298 — Com. Castrif. 28-a e. m. et a. Nro 5596 intimata innuit, certam proportionem quoad Currus pro longa Vectura praestendos e numero Robotarum juxta qualitatem sessionum erui posse, in futurum observandam.

5) Etiam hic praxis a praescripta norma recedit; et dummodo imputatio congrua locum habeat, et dominus et Colonus lucrantur (vide notam sub 2) ad hunc § citatam.

6) Dies tamen laboris supra memorata ratione computandus non ita intelligendus, (ut non nunquam praxis cum detrimento Coloni et jumentorum ejus intelligit) quod Colonus laborem arbitrio domini vel ejus officialis, ut intra diem perficiendum sibi assignatum, etiam intra diem perficere obligetur; verum ita, quod intra diem ita laborare teneatur domino suo, quemadmodum bonus paterfamilias sibi laborare solet. (Res. Reg. Com. Zagrab. 27-a 9-bris 1780 Nro 7143 intimata) Nec Domino terrestri licere potest. ut diem vel partem illius, qua Colonus singulis hebdomadibus illi tenetur, partiatur. et hac ratione Colonum ad his comparendum ad laborem

stringat. Urbarium Ban. id diserte vetat. (C IV, § 2, 2-o)

7) Citati Cap. IV § 2-us 1-o ita habet: „Eine jede „Robath dauert mit Inbegrif des Hin und „Zurückgangs von Sonnenaufgang bis Son-„nenuntergang, jedoch mit Ausnahme der zur „Fütterung, und Tränkung des Zug-Viehes nö-„thigen Zeit." Nihilominus § 3-us ejusdem Capitis —„Wenn der Unterthan von einem Orte in „das andere zur Arbeit gefodert wird, so muss „ihm der Hin und Hergang an der Robath zu „gut gerechnet werden" — priorem modificare videtur; ex hoc nempe sequeretur a contrario, quod Colono in eodem loco operas praestanti itus et reditus in illas imputari non debeat; quod etiam C IV, § 3, 5-o confirmare videtur ex incidenti pluviae aut alterius impedimenti laborem perficere nequeunti Colono tantum e loco remotiori comparenti itum et reditum in illum imputandum esse asserens. Ego tamen in textu oppositam secutns sum sententiam, quam videlicet C IV, § 2, 1-o disertis designat verbis.

8) Neque tamen inde, quod Coloni ad majoris distantiae locum laboris missi, 4 continuis diebus etiam tempore ferventium laborum ruralium in eodem perseverare obligentur, contra quam illi, qui ad locum laboris hora vel semi altera ab illo habitationis distantem mittuntur, nonnisi 3 diebus nec illis continuis laborare tenentur; justitiam distributivam laedi quis existimet, male enim existimabit; quia non reflectit ad id, quod in casu priori Colonis altera semper hebdomada integra pro labore proprio deserviat, non item in casu posteriori, ut adeoque si in utroque casu Coloni sibi adaequarentur, potius justitia illa distributiva omnino violaretur.

9) Hic loci memorari debet adhuc Resolutio Regia 4-a Maji 1772 Nro 2389 Com. Simegh. 18-a e. m. et a. Nro 2171 intimata id innuens, quod excessus in exactione Robotarum per Dominum terrestrem ratione Tabellae Urbarialis praevigentis commissus, etiamsi per subsequam ejusdem rectificationem, dimensione videlicet geometrica fundorum, urbarialium prius instituta, sufferatur, ita ut secundum Tabellam rectificatam

pro excessu haberi non possit, tamen compensari debeat; antequam enim rectificatio urbarialis consummetur, semper pro excessu supererogatio ejusmodi haberi debet, secus utique omnis determinatio Urbarii relate ad numerum operarum per Colonum praestandarum hac ratione eludi posset. — Hinc sequitur, quod antequam Tabellae urbariales rectificatae altioribus locis approbentur; Robotae juxta antiquas Tabellas urbariales exigi debeant.

10) Resolutio Regia 28-a 7-bris 1784 Nro 18482 Comitatibus Slavoniae intimata praecipit, ut cum quaerimoniae circa exactiones et imputationes Robotarum ex sequentibus praeprimis rationibus; quod:

1-o) aliqui Domini tessestres labores nonnunquam per aversionem exigant, alii vero laborem hebdomadalem adeo partiantur, ut pro quanta diei parte computari debeat, dubium sit;

2-o) sigilla per Officiales dominales nonnisi post longius tempus extradentur, hincque contingat, quod nec Subditi, quot Robotas praestiterint, nec Officiales, quot sigilla extradare deboant, amplius recordentur;

3-o) Officiales praescriptum per Urbarium Robotarum Registrum non servent;

4-o) Subditi frequenter pueros et puellas ad Robotas mittant, qui nonnunquam labori se subducunt;

5-o) Subditi non raro inter se sigilla vendant et cum aliis traficent;

6-o) Circa quemlibet locum determinatum non sit, quot jumentis aratio,

7-o) item occatio, et aliae Robotarum species reflexe ad principia circa arationem adducta perfici, adeoque quot sigillis compensari debeant; enasci soleant: — ad illas praecavendas Comitatus respectivi reflexe ad recensita puncta normam quandam defigant a Dominis terrestribus in exactione et imputatione Robotarum observandam.

11) Resolutioni huic, quod Regni Hungariae mentionem faciat, ad illud etiam se extendenti, adeoque generali omnino, Resolutio de 1-a 8-bris 1776 Nro 4855, Com. Comar. e. m. et a. Nro 5559 intimata, Calculum, quem Comitatus hic respe-

ctu jugalium Robotarum in una tertia parte (tertialitate) 4 jumentis praestandarum occasione reluitionis earundem assumsit, approbans, vel ideo derogare non potest; quod particularis sit, etiamsi non consideremus hoc, quod tantum relate ad reluitionem Calculus hic ratihabitus fuerit.

12) In praxi plures, communiter 3 dies occasione arationum singularum exigi solent.

13) Intuitu Occationis adhuc Resolutio Regia (de 9-a Junii 1775 Nro 2460 — Com. Castrif. 22-a e. m. et a. Nro 2877 intimata) notanda est, quae praecipit, ut esto quidem Domini terrestres Robotam uno pecore perficiendam acceptare non teneantur; si nihilominus occationem pro consvetudine loci uno pecore perfici solitam non difficultent, haec instar Robotae bijugalis Colono imputari debeat.

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS URBARIALIBUS.

§ 20.

De Principiis et Regulis, circa Contractus Urbariales observandis.

Circumstantiae locorum, personarum, ac temporum, commoda adeo tam Dominorum, quam Colonorum saepe postulant, ut Jura et Obligationes praescripta cum aliis (pactitiis) permutentur. Cum Administratio publica per Regulationem Urbarialem sortem Colonorum stabilem reddere, sed una etiam si fieri potest stabilita meliorem non impedire intenderit: non potuit non Colonis et Dominis facultatem dare de correlatione juris inter se Regulatione Urbariali deter-

minata Contractus ineundi, si ratio circumstantiarum sorsque Colonorum melior id exigat; 1) sed simul ne Domini terrestres facultate ineundi Contractus in sortem Colonorum deteriorem abutantur, totaque Regulatio urbarialis improbo stabilita labore in nihilum recidat, etiam principia quaedam, et regulas defigere debuit, in Contractibus ineundis observanda. Principium supremum, quod ex hac consideratione suapte fluit, est illud, ne sors Colonorum per Contractus deterior reddatur sed melior, seu ne Contractus urbarialem Regulationem excedant; sed potius illa quantum fieri potest, leniores sint. (Instr. Com. Reg. § 26, 3-o; Urb. Ban. C IV, § 6 2-o) Hincque fluunt subordinata principia duo: 1-o) quod Contractus nihil eorum continere debeat, quae Regulatio urbarialis a Subditis exigi et praetendi vetat; quare v. g. aliquod eorum, quae Punctorum generalium prohibitorum nomine veniunt (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o) vel Supernumerarios Laboratores (Res. Reg. 6-a Aprilis 1780, Nro 1621 Comitatibus Croatiae intimata) Contractibus inseri diserte prohibetur; 2-o) quod si quae obligatio singularis contractualis durior est obligatione jure praescripta (urbariali); illa ad hanc reducenda sit; (Res. Reg. in Processu Executionali (regulatorio) Dominii Csáktornya 5-a 7-bris 1771, Nro 5016 Com. Zalad. intimata). Haec duo principia subordinata tamen sunt, et esse debent supremo principio; nam si sors Colonorum in genere (in toto) sumta melior omnino est secundum Contractum, quam juxta normam juris (Urbarium), etiamsi ex illis unum vel aliud non adeo religiose observatum fuisset, Contractus validitati hoc nihil officere poterit. Igitur haec duo principia solum in quantum fieri

potest observari debent. Ut vero cum supremo simul eo certius observentur, regulas quoque quasdam circa modum Contractus ineundi praescribere necesse erat, de quibus in specie inferius paulo.

Possunt autem Contractus urbariales vel ad tempus, hocque determinatum, vel indeterminatum, vel vero in perpetuum, et utroque in casu vel cum Communitatibus integris, vel singularibus Colonis iniri. Pro Communitate vero etiam aliquot tantum Coloni e. g. tres etiam habendi sunt, si videlicet Dominus terrestris aliquis non pluribus gauderet. (Instr. Com. Regior. § 27) In utroque itidem casu Contractus urbariales vel possunt esse generales, si videlicet ad totam inter Dominum et Colonum vigentem correlationem juris se extendant, vel speciales, qui nempe tantum partem hujus correlationis afficiunt, v. g. praestationes urbariales generatim, vel vero Nonam, aut servitutes urbariales in specie.

Objectum Contractuum urbarialium generatim sunt jura, et obligationes e nexu Subditelae ratione fundorum urbarialium, et his analogorum 2) profluentia, ad quae videlicet Regulatio urbarialis se peculiariter extendebat. Huc referuntur praeprimis Praestationes Urbariales Capite V huj. op. deductae, maxime vero Nonae et Robotarum praestationes (Urb. Ban. C IV, § 1, 3-0); Beneficia item Colonis competentia, seu Jura regalia cum Subditis communicata Capite III huj. op. executa. Relate ad Jura et Beneficia regalia, ac dominalia reservata, seu stricte tantum Dominis terrestribus competentia, quorum aliqua Capite IV huj. op. recensentur, cum his Regulatio urbarialis normam non ponat, et in genere relate ad terras

non urbariales etiam libere inter Dominum et Subditos Contractus (qui in antithesi cum Contractibus Urbarialibus Beneficiales vocantur) iniri possunt, nec ad regulas pro Contractibus urbarialibus praescriptas observandas seu Colonus seu Dominus obligantur. (Urb. C III, § 11; Urb. Ban. C IV, § 6, 3-o)

Harum regularum quaedam jam in Partis II Sectione I-a huj. op. in specie § 12 adferebantur, quae tamen fere primaevam Regulationem, quam Sectio illa pro objecto habet, respiciunt. Reliquas pro casibus nunc emergentibus quoque valituras huc loci reservandas duxi. Sunt autem hae:

a) Requiritur praesentia Legalis Testimonii, sine quo Contractus urbariales valide iniri non possunt (Urb. C III, § 11; Urb. Ban. C IV, § 6, 1-o a, et b); Colonis praejudiciosis ipso jure nullis (Res. Reg. de 13-a Martii 1772), Dominumque praeterea damni Colono illati compensatione manente. Est vero Testimonii Legalis obligatio non ea solum, ut illis, quae Dominus et Coloni inter se paciscuntur, intentus sit; adeoque non passiva tantum, sed et activa est, extensa ad curam, et vigilantiam, ut Contractus secundum praescriptum Regulationis Urbarialis ineatur. Debet etiam Contractum contrahentibus praelegere, et explanare. (Urb. Ban. C IV, § 6, 1-o b) Praesentiam suam vero recognoscit Testimonium Legale subscriptione Contractus, ut coram se initi, quam speciem subscriptionis coramisationem vocamus.

b) Si Contractus temporaneus ad incertum tempus ineatur, contrahens sive unus, sive alter a Contractu ejusmodi pro lubitu quidem recedere potest, et normae Juris (Regulationi urbariali) inhaerere; voluntatem tamen recedendi

uno anno prius alteri declarare, et Comitatui etiam insinuare obligatur, ut ita quisque futurae oeconomiae in tempore prospicere possit. (Urb. C III, § 10; Urb. Ban. C IV, § 6, 1-o) Et haec obligatio peculiari puncto Contractui etiam inseri debet (Res. Reg. de 12-a Maji 1769 – 5-a Junii e. a. Com. Toln. intimata).

c) Si in Hungaria et Croatia Nona ante in natura praestita pecunia reluatur; pretium reluitionis 4 flnos excedere non potest, in duabus partibus (ratis) aequalibus festo S. Georgii, et S. Michaëlis solvendos; si vero operis ruralibus, 12 jugalibus, et 24 manualibus compensari debet in totidem hebdomadas repartiendis. (vide C V § 18 huj. op. Tractatum de Nona) Urbaria Ban. et Slav. haec pretia non determinant.

d) Si Operae rurales manuales vel jugales pecunia reluantur, reflectendum est ad pretium, quo secus Dominus terrestris operas per Colonum supererogatas, vel alias mercede conductas exolvit; hoc idem etiam in reluitione assumendum erit. Adeoque si usus viget ejusmodi operas 10, et respectivi 20 xris exolvendi; hic quoque regulam in reluitione operarum ruralium ponet. In Slavonia, si Dominus terrestris Robotas pecunia sibi solvi velit, non ultra 10 pro manuali, et 20 xros pro jugali praetendere potest.

e) In reluitione quacunque Praestationum urbarialium florenus rhenensis observandus est (1807, 22, § 7).

f) Contractui (generali) in Hungaria, et Croatia Punctum Urbarii IX-um de Regulatione interna sonans inseratur (Res. Reg. de 12-a Maji 1769 citata).

g) Si Contractus nomine Communitatis, ut contrahentis parte ab una ineatur; in illum ut validus sit, tota Communitas consentire debet, cujus ideo consensus exquirendus est.

h) In concipiendis Contractibus urbarialibus haec observanda:

1-o) Contractus lingua contrahentibus Colonis vernacula, vel nota saltim concinnentur, et stylo captui eorundem accommodo (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o).

2-o) Jura et Obligationes Colonorum in locum normalium (urbarialium) succedentia distincta distinctis quoque punctis notentur, claritas vero, et determinatio in recensendis illis adhibeatur, quae omnem ambiguitatem excludat, nullique quaestioni locum relinquat. Et ideo Jura et Obligationes non tantum in genere, verum in specie, et ad mensuram certam quoad tempus, numerum, distantiam, aliaque adjuncta designentur (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o).

3-o) Contractum claudere debet punctnm illud, quod praeter in praenotatis punctis contentas Obligationes Coloni ad nullas alias sub quocunque titulo, vel praetextu stringi possint. (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o; item Res. Reg. de 12-a Maji 1769 – 5-a Junii e. a. Com. Tolnensi intimata).

4-o) Contractus cum Communitate initus sigillo ejusdem, ac subscriptione Judicis, et Primorum roborandus est. (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o; item Urb. Ban. C IV, § 6, 1-e, b)

5-o) Si singulares tantum Coloni cum Domino terrestri Contractum ineunt: horum tantum subscriptiones requiruntur, (Urb. Ban. C IV, § 6, 1-o, b).

6-o) Si sive judices et primores, seu singulares Coloni scripturae ignari sint; loco subscriptionis nominum et cognominum, signum crucis proprio pugno formare debent. Testimonium vero Legale crucem proprio pugno formatam esse, prout etiam si Communitas sigillo careret, id quoque recognoscere debet, (Instr. Com. Reg. § 26, 4-o).

7-o) Dominus quoque terrestris tamquam contrahens alter Contractum urbarialem snbscribere, et sigillo suo roborare debet.

i) Ita confecti Contractus per Testimonium Legale Universitati Comitatus respectivi prius exhibendi in Sedria ejusdem rêferri debent. Est vero obligatio hujus ad principia et regulas supra attacta reflectere, quod ut eo accuratius fieri possit; combinationem inter obligationes et jura, quae secundum praescriptum Juris (Urbarium) Colonis incumbunt, et competunt, ac illa, quae ipsis Contractibus imponuntur, et pollicentur, non tantum instituere, sed illam etiam in scriptum redigere tenetur, quod dein nomine Combinatorii venit. Et si quae illis principiis et regulis adversa deprebenderet, ea cum consensu partium modificare, aut mutare, b) et ita modificatis, et mutatis, quae modificanda, et mutanda videbantur, Universitati Comitatus redhibere.

k) Universitas Comitatus Contractus temporaneos sive cum Communitate, seu cum singularibus Colonis initos, generales seu speciales sint, si tempus durationis nullum defixum sit, adeoque omni anno erga praemissam praemonitionem resultus ab illis pateat; Contractus item temporaneos cum Communitate ad certum tempus, infra tamen 6 amorum (ab analogia Res. Reg. 3-a Martii 1786 – Nro 9820 univer-

sis Regni Comitatibus intimata, quae videlicet tantum de Contractibus ratione reluitionis robotarum loquitur); Contractus demum perpetuos cum singularibus Colonis initos statim sub authentico expediri, et partibus contrahentibus extradari curat, uno exemplari pro Archivo quoque suo reservato; illos vero per Communitatem (cujus nomine uti dictum etiam pauci Coloni tres v. g. si videlicet plures non haberet Dominus terrestris, veniunt) cum respectivis Dominis terrestribus sive ad 6 et ultra annos, seu in perpetuum initos prius Consilio R. L. H. in pari authentico una cum Combinatorio per Sedriam confecto communicat, ab hoc comite opinione Suae Majestati pro superrevisione substernendos (Instr. Com. Reg. § 26, 3-o; Res. Reg. de 21-a Febr. 1777 Nro aul. 757; Res. Reg. de 13-a Martii 1772; Res. Reg. de anno 1816 Nro aul. 2173; Urb. C III § 10, 11-o). Per se intelligitur, quod ante ratificationem regiam Contractus partibus contrahentibus edi (extradari) non possint, et Resolutio Reg. de 23-a Martii 1773; et prior etiam de 30-a 7-bris 1771 relate ad Possessionis Kasok Contractum urbarialem Com Simegh. intimata, id peculiariter etiam praecipit.

1) Urbarium Slavonicum (P II, 7-o) praecipiens: „ut occasione impopulationis cujuscunque no„vae cum adventitiis conventiones non ineantur, „sed horum etiam intuitu observetur norma ur„barialis. — " videtur omnem Contractus urbariales ineundi facultatem Colonis et Dominis terrestribus adimere; sed Punct. Reg. 8-um, quo loca monasterialia Bernyavor (Prenyavor) dicta in Comitatu Sirmiensi urbarialiter regulari vel si regulatio urbarialis ex rationibus altissimo loco referendis in effectum abire non posset, sta-

bilis aliquis Contractus pro futuro eorundem tractamento deserviturus elaborari praecipitur altissimae ratificationi substernendus, Contractus urbariales pro ratione circumstantiarum admittere videtur, in quibus ineundis principia, et regulae superius allata observanda sunt.

2) Sub nomine fundorum urbarialibus analogorum intelliguntur hic Vineae et Exstirpaturae, quae licet communiter inter fundos industriales censeantur, secundum circumstantias loci tamen saepe ad urbariales referri debent, si videlicet ad necessariam Colonorum sustentationem pertineant, qui sine detrimento hujus illis carere non possunt. Caeterum quaeri merito potest, an non etiam Contractus de Vineis et Exstirpaturis ineundi generatim inter urbariales censeri debeant? Si consideremus, quod Legislatio politica jura et obligationes Dominorum et Colonorum circa Vineas et Exstirpaturas accurate determinaverit, quae tamen determinatio vix optatum effectum esset habitura, si Contractus, quibus jura et obligationes praescripta in alia mutantur, vigilantiae fororum politicorum subtrahantur; si consideremus, quod Vineae et Exstirpaturae inter fundos industriales primum teneant locum, a quibus sors Coloni multum pendet; si tandem consideremus, quod Coloni generatim quoad actiones suas, quae ad Nexum Subditelae referuntur, sub peculiari tutela et cura administrationis publicae constituantur, constituique debeant: affirmativa nobis tenenda videtur quoad quaestionem propositam eo magis, quod etiam praxis ususque si non generatim, certe tamen in pluribus singularibus casibus, praesertim ubi res integras Communitates concernebat, eandem etiam teneat.

3) Resolutio Regia de 30-a 7-bris 1771 Nro 5087 Com. Simeghiensi 10-a 8-bris e. a. Nro 5672 intimata praecipit, ne Contractus pro revisione prius submittantur, quam ea, quae cum Regulatione Urbariali non convenirent, modificata fuerint.

§ 21.

Quaestiones quaedam momentosae, quae relate ad Contractus Urbariales poni solent, et earundem solutio.

1-o) Quaeritur, an Contractus temporanei semper seponantur, et Regulatio urbarialis in locum eorum postulante Domino terrestri substituatur? Ad hanc quaestionem decidendam distinguendum est inter duos respectus, juris nempe privati inter Dominum et Subditos, et juris publici inter Dominum et Civitatem (Statum) vigentis. Si respectum habeamus juris privati vix aliquando negative responderi poterit ad quaestionem propositam, nisi Coloni usum immemorialem et constantem probaverint; sed respectu juris publici omnino saepe circumstantiae exigere possunt, ut Dominus terrestris juri suo privato cedat. Sic v. g. ex respectu hoc etiam occasione Regulationis urbarialis primaevae Contractus cum Oppidanis magnam partem Quaestoribus et Opificibus per Dominos terrestres initi etsi temporanei, in perpetuos mutari jubebantur; et ex hoc respectu idem quoque fieri jubebatur in casibus post Regulationem urbarialem emergentibus, uti exempla plurima testantur, quorum vel ideo adferre quaedam forte supervacaneum esset. 1)

2-o) Quaeritur, an Contractus urbariales via politica, uti dici amat, initi, via juris rescindi possint, seu an ad Contractuum urbarialium cum influxu fororum politicorum initorum invalidationem, (seu potius sepositionem) coram foris judiciariis seu unus, seu alter contrahentium, haeredumque illorum procedere possint? Nulla

ratione; et quidem ex simplici illo fundamento, quod Administrationis publicae diversi rami sibi invicem subordinati non sint, adeoque etiam actus unius ad forum alterius pertrahi nequeant. Hoc principium etiam articulus 13, 1729 confirmat: „Veluti suprema Regiae Majestatis au„ctoritas, et dignitas non admitteret, ut benignae „ejusdem Resolutiones per Regiam Cancellariam „Hungarico Aulicam expeditae, per alias Juris„dictiones turbentur, aut ab effectu impediantur; „ita etiam clementer declaravit Altefata sua Re„gia Majestas, se id ipsum fieri non permis„surum." – Neque coactio sive ab una, sive alia partium contrahentium pro titulo (fundamento) actionis assumi potest; ubi enim Administratio publica intra limites potestatis suae cogit, ei obedientia, qua quisque civis civitati tenetur, respondere debet. Et hinc quaemadmodum ex coactione justa adversus privatum actio locum non habet; ita eo minus adversus Administrationem publicam locum obtinere potest. Si vero Forum aliquod Politicum cancellos sphaerae suae excessit, apud superius remedium quaerendum est; si a supremo nos laesos existimamus, apud Imperantem, qui si remedium abneget, justo supponi potest, imo debet, querulantem minus rectum habuisse. – Sed quid si non haereditarius Fundi possessor, sed temporaneus, (pignoratitius arendatitius) ejusmodi Contractum urbarialem ineat? Si Proprietarius eo jura sua (proprietatis) laesa existimet, aeque ex principio allato ad invalidationem, vel sepositionem ejus coram foris politicis, et quidem altioribus, communiter Cancellaria R. H. A., procedere debet.

3-o) Quaeritur, an etiam Contractus urbariales perpetui successu temporis mutationi ob-

noxii esse possint? Omnino, si circumstantiae, quibus utique ejusmodi Contractus semper attemperati sunt, ex integro, vel ex parte ita mutentur, ut amplius illi observari non possint; tunc enim ejusmodi Contractus sine praejudicio unius, vel alterius partis contrahentis in priori forma subsistere non possunt amplius, adeoque in aliam transfundendi sunt, quod utique rationes politicae saepe etiam svadent.

4-o) Quaeritur, si in Contractibus urbarialibus Inquilinorum, et Subinquilinorum quomodo tractandorum nulla fiat mentio, qua ratione hi tractandi sint? Aeque secundum Contractum, a proportione videlicet jurium et obligationum, quibus gaudent, et respective tenentur, juxta normam juris (Regulationem urbarialem), quae videlicet instar baseos relate ad jura et obligationes contractualia Colonorum sessionatorum deserviit, vel deservire tamen debet. Sententia haec longe saltim est probabilior, si non certa, quam opposita, quod videlicet secundum Urbarium tractandi sint; quia utique etiam Inquilini ex supposito inter Colonos urbariales censentur, eorum etiam fundi, (jura, et obligationes) inter urbariales; adeoque nulla videtur ratio, cur hi distinctim ab Colonis sessionatis tractari debeant.

5-o) Quaeritur, an si Fundi urbariales per Dominos terrestres proprietarios Colonis vendantur, aut vero, quod redit ad idem, Coloni praestationes urbariales semel pro semper deposita certa summa reluant, ejusmodi Contractus tanquam perpetui invalidationi Successorum via juris ordinaria subsint ex eo principio, quod Ignobiles vi 23, 1715 possidendorum bonorum nobilitarium sint incapaces, et relate ad Colonos nobiles etiam quod ejusmodi Contractus na-

tura sua perpetui licet sigillis tamen authenticis destituti 2) pignus sapiant? – Nullatenus, quia actus fororum politicorum invalidari non possunt per fora judiciaria, supposito eo videlicet, quod cum influxu illorum venditio et reluitio intervenerit; et etiamsi non intervenit, quia principia allata non possunt ad fundos urbariales applicari; Coloni enim illos non possident titulo proprietatis, dominium enim directum semper Domino terrestri saltim relate ad Jurisdictionem patrimonialem nexaque cum hac jura salvum manet (idem hoc principium applicationem habet etiam relate ad fundos colonicales non urbariales). Si tamen ejusmodi Contractus non per Dominos terrestres proprietarios, sed horum repraesentantes (possessores arendatitios et pignoratitios) celebrentur, et proprietarius illos invalidari cupiat, quia repraesentans jure celebrandi ejusmodi Contractus destituebatur: distinguendum est, an influxus fororum politicorum locum habuerit, vel minus; si locum habuit, invalidatio ad illa spectabit, secus ad fora judiciaria ordinaria. 3)

1) Adferam tamen, et quidem recentissima duo in gratiam eorum, quibus historia quotidiana (Tagesgeschichte) Juris Georgici (Regulationis urbarialis) minus nota est. — Resolutio Regia relate ad Processum urbarialem Capituli Jaurinensis contra Communitatem Felső Zsid promotum 21-a Julii 1818, Nro 20195 Com. Zaladiensi intimata ita inter caetera habet: „Cum perhibentibus „Documentis sub — Communitas Possessionis „Felső Zsid tam ante quam post introductam „Regulationem urbarialem continuo contractu„aliter tractata fuerit, adeoque respectu ejus„dem nec antiquum anno 1750 defixum, nec no„vum anno 1768 extradatum Urbarium in rea„lem effectum deductum sit; hinc praefatam „Communitatem porro etiam in statu Contra-

„ctuali conservandam esse. Spectato nihilominus eo, quod Dominium temporaneos duntaxat arendatitios Contractus cum eadem Communitate inierit, et Census arendatitius pro ratione circumstantiarum mutatus „fuerit: Dominio ad novum tractamentum cum „Communitate condescendendi facultatem ea „sub cautela per Suam Majestatem Sacratissimam clementer indulgeri; ut peracta nova urbariali sessionum regulatione, Combinatorium „per praetitulatas D. Vestras praevie elaboretur, „et urbariali tractamento lenior Contractus cum „antelata Communitate concludatur, et una cum „Combinatorio Instrumento Consilio huic L. R. „substernatur." — Alia Resolutio Regia circa Processum urbarialem contra Communitatem Szent Kozma Domján ad Regulationem urbarialem, et accessorie ad receptionem Exstirpaturarum motum 1-a 7-bris 1818, Com. Zaladiensi Nro 24248 intimata sic fatur: „Cum a longo tempore memoriam humanam excedente Coloni Szent Kozma Domjanenses semper contractuali tractamento provisi fuerint; eosdem amplius Urbario subjici non posse, ast penes contractualem „provisionem adjunctis praesentium temporum, „et actualibus circumstantiis accommodandam, „ipsa urbariali regulatione tamen leniorem relinquendos, hocque fine novum Contractum „inter Dominium terrestrale, et Colonos penes „tribuendam iisdem Fisci Magistratualis assistentiam ineundum, et Consilio huic R. L. una cum praescripto Instrumento Combinatorio „submittendum venire." — Ut etiam oppositum (pro ratione circumstantiarum videlicet) adferam exemplum; Resolutio Regia in Processu Urbariali Colonorum Ikerváriensium 28-a Maji 1799, Nro 12962 Com. Castriferrei intimata ita ait: „Quoniam e serie annorum prodiret id, quod Coloni Oppidi Ikervár anno 1767 communi urbariali Regulationi subjecti fuerint, allegatus „vero Contractus sub A. subsequo 1768-o anno initus, veluti temporaneus, et teste Documento sub — nec publico relatus, multo minus „altiori ratificatione roboratus, vim obligativam „perpetuitatis haud importet; postulato Dominii conformiter ad latam eatenus sententiam

„in eo deferri, ut memorato Contractu seposito, Oppidani ad statum urbarialem reponantur." — Si Dominus terrestris et Subditi circa ineundum Contractum urbarialem inter se convenire non possint; Comitatus concernens eundem principiis et regulis praescriptis, ac circumstantiis localibus convenienter elaborat, et pro revisione altioribus locis substernit. (Res. Reg. ad Nrum loc. 13472, 1816 quoad Contractum urbarialem cum Nagy — Barom (Gross Waresdorf) ineundum Comitatui Soproniensi intimata)

2) Si coram locis vel personis authenticis Colonis nobilibus Fundi urbariales vel generatim colonicales sua forma vendantur perennaliter, seu Fassiones de iis celebrentur, distingvendum, an dominium directum sibi Dominus terrestris reservaverit, vel minus. Reservatio quidem dominii directi insolita est in fassionibus perennalibus, non tamen a natura earundem abhorret. Si igitur hoc reservatum fuit, Fassio eo minus invalidationi vel sepositioni subest; si reservatum non fuit, vinculum eo ipso inter Dominum terrestrem et Subditum rumpitur, nexusque Subditelae evanescit, et Fassio relate ad invalidationem legibus juris privati communis subjacet.

3) Quaeri etiam solet, an Contractus de reluenda Nona et Decima (Clericali) inter urbariales, vel beneficiales censeri debeant? Primi generis ratione fundorum urbarialium initi omnino; quia praestatio Nonae originem suam ducit ex nexu Subditelae. Quod Nona Dominis terrestribus e lege jam ante Regulationem Urbarialem competierit, nihil officit; nam etiam ante illam profluxit Nona e nexu Subditelae tamquam quota per legem determinata a fundis colonicalibus praestanda. Regulatione vero urbariali vim legis provisoriae (interimalis) sortita, quin dispositio ejus quoad normam reluitionis Nonae subsistat, et subsistere debeat, nullum dubium esse potest. Quod Nona inter Jura regalia censeatur, aeque nihil officere potest; quia tantum illa Jura regalia, quae cum nexu Subditelae nihil commune habent, non sunt adstricta principiis, et regulis circa Contractus urbariales praescriptis (vide etiam notam sub 1) ad § 1 Part. 1 huj. op.)

— Decima Clericalis quidem non est praestatio, quae e nexu Subditelae deberetur, nec ideo ad Jus Georgicum (Regulationem urbarialem) pertinet; sed tamen Legislatio politica fere omnia, quae ad quaestiones praecipuas de illa pertinent, determinavit, uti C IV § 15 huj. op. vidimus. Cum tanto conatu nihil tamen egisset, si Contractibus, absque omni influxu fororum politicorum, et absque omni restrictione ineundis simul locum dedisset. Ideo quemadmodum etiam exempla testantur plura, Contractus de Decima quoque Clericali legibus politicis circa eandem latis accommodari debent, prouti omnes alii Contractus, etiamsi de Juribus, et Beneficiis regalibus, et dominalibus stricte talibus, seu exclusive Domino terrestri competentibus incantur; unde etiam Decimae Clericalis titulo objectum quodcunque a. 1, 1481 non specificatum, v. g. fagopyrum (zeam mais) Contractibus inferre non licet. (Res. Reg. de 12-a Maji 1769, 5-a Junii e. a. Com. Tolnensi; et alia de 29-a Aprilis 1771, ratione Contractus urbarialis Possessionis Berény Com. Simeghiensi intimata; item Instr. Ex. Mag. C V, § 12, 6-o). Nihilominus Contractus nec de Decima nec etiam de Juribus Regalibus reservatis initi, aut ineundi urbariales sunt, aut dici possunt.

CAPUT VII.

DE VINEIS.

§ 22.

De determinatione juris Domino et Colono in Vineas competentis.

Vineae nomine sensu juris non tantum plaga vitibus consita venit; verum et illi adhaerens

ager, pratum, vel pascuum, Subvinetum, (pes vineae) vocatum. Sunt autem vineae duplicis generis: hortenses, seu domales, et promontoriales, in promontoriis sitae. Vineae hortenses ad fundum intravillanum (excepto Banatu C V, § 4, 2-o) (C II, § 1, 3-o) referuntur, eandemque cum illo considerationem subeunt. (vide Cap. II § 7 huj. op.) Vineae vero promontoriales (et hortenses in Banatu) distinctam constituunt speciem fundorum industrialium, distinctis praestationibus obnoxiam; nec ad Constitutivum Sessionale ullatenus referri, adeoque nec in illud imputari possunt. Idem quoque de pedibus vinearum, qui utique Colonis ideo dati sunt, ut vitibus implantentur, et in vineas convertantur, ad quod illi etiam stringi possunt, (Res. Reg. de 28-a 8-bris 1772, Nro 5088 - Com. Nitriensi 3-a 9-bris e. a. Nro 4871 intimata) intelligendum. Si nihilominus Vineae, vel pedes vinearum constitutivo sessionali adnumerati fuissent; ab eodem eximi, et in locum illorum alii fundi Colonis assignari debent (Res. Reg. citata; et Instr. Exq. Mag. Cap. II, § 10). Si vero id fieri non posset, ab analogia Resolutionis Regiae 28-a 9-bris 1775 Nro 5814 Com. Castriferrei intimatae vineae et pedes vinearum a constitutivo deducendae, et praestationes ac servitutes Colonorum remanenti constitutivo attemperandae essent. Agri et Prata nihilominus praeter et ultra pedes vinearum in promontoriis sita in competentiam sessionalem assignari solebant, solentque adhuc occasione Regulationis, et Rectificationis urbarialis. In Slavonia tamen Vineae in Constisutivum Sessionale imputantur. (Vide Cap. II § 7 huj. op.) –

Coloni Vineas (uti vidimus Capite I huj. op.) titulo dominii utilis possident; adeoque

gaudent jure de illis seu inter vivos, seu mortis gratia disponendi. Quia tamen Vineae in regula ad fundos industriales, et non urbariales referuntur, reluitioni, seu abaestimationi ex parte Domini terrestris etiam in regula obnoxiae sunt (58, 1625; vide etiam inter caeteras Res. Reg. de 24-a Aug. 1782 Nro 5250 – Com. Zagrab. 28-a 8-bris e. a. Nro 7627 intimatam); ut adeo dominium utile temporaneum et precarium tantum sit, eousque durans, donec Domino terrestri Vineas abaestimare non libuerit. Si tamen Coloni praeter Vineas nullos fundos possiderent, vel quos possident, alendae familiae, et ferendis oneribus publicis non sufficerent, illique aliis vitae mediis carerent; Vineae naturam fundorum urbarialium quadamtenus induunt, et reluitioni seu abaestimationi non subsunt. Caeterum praestationes manent eaedem. Aestimantur vero Vineae juxta condignum earum valorem, ut titulus 133, 1-ae; 30-us, 3-ae expresse statuit. Si Vinicola non gaudebat jure illimitate (libere), ultra summam videlicet aestimationalem, de Vineis disponendi, – de quo jure si in controversiam inter Dominum et Subditum adducatur, eadem sunt tenenda, quae in merito hoc intuitu Exstirpaturarum attulimus (Cap. VIII huj. op.), – Dominus terrestris nonnisi pretium aestimatione erutum persolvere obligatur; si autem facultate de Vineis illimitate disponendi gaudebat, praeter meliorationum per praesentem possessorem factarum condignum valorem aestimatione comperiendum, summam quoque, qua Vineam ab alio acquisivit, quam investitam, seu investituram vocant, Dominus terrestris refundere tenetur. (Res. Reg. relate ad Processum Executionalem Dominii Csáktornya 5-a 7-bris 1771 Nro 5016 Com. Zalad.

intimata) – Abaestimatio Vinearum, quemadmodum aliae, coram legali Testimonio a convocatis vicinis et commetaneis prius juramento obstrictis instituitur; peracta Vindemia usque festum S. Gregorii Papae, circa quod jam cultura vinearum initium sumit. Pretium aestimationis parato aere, (bona, et per regnum currente moneta (58 1625) persolvendum est. Si Coloni peracta aestimatione contenti haud essent, et in calculo aestimationali sibi injuriam illatam praetenderent; repositioni utique locus esse haud potest, cum jus abaestimandi Domino competat, verum meritum querelae ejusmodi coram Sede dominali pertractari, ac decisum revisioni Sedis Judiciariae concernentis Comitatus substerni debet. (Res. Reg. 26-a Martii 1811 inter caetera intuitu repositionis Joannis Havay contra Dominium terrestrale ad Vineam Sz. Eörzsébethiensem intimata).

Colonus obligatur Vineam debite colere, secus Domino terrestri jus surgit ad abaestimationem Vineae neglectae; solet tamen Colonus praevie moneri, ut vineae culturam non negligat, et monitione hac effectum non sortiente, primum ad abaestimationem procedi. Caeterum potest Dominus terrestris a Vineis neglectis et desolatis in locum nonae, vel etiam juris montani, si videlicet hoc in quantitate requisita amplius non ferant, a singulis jugeribus 30-ros exigere. (Res. Reg. 27-a Martii 1775, Nro 1356 Com. Castriferrei; item Res. Reg. 21-a Aprilis 1784 Nro 8776 Com. Zalad. intimatae; vide etiam Instr. Ex. Mag. C V, § 12, 8-o) – Colonus porro non potest sine consensu Domini terrestris Vineam specificare, seu in aliam formam v. g. pomarium transmutare. Si tamen ejusmodi specificatio consensu domini seu tacito

seu expresso locum habuisset; talis fundus ut exstirpatura considerari debet, adeoque in locum cessantis Nonae et Juris Montani, si praesertim illa a novis productis terrae commode exigi non possit, uti v. g. a pomario, pruneto, lupuleto 30 X-ri per Colonum praestandi sunt. (Res. Reg. citatae; et Instr. Ex. Mag. loco citato) Decima vero in utroque casu, sive desolationis, sive specificationis, quia fundus ejusmodi ut Exstirpatura consideratur, cessat (vide C IV § 15 huj. op.). Obligatur demum Colonus quisque cincturam (maceriem) promontorii secundum justam proportionem in bono statu conservare; deservit enim illa in communem utilitatem. (Res. Reg. 26-a Aprilis 1773 intimata) Caeterum Colono admittitur botrorum moderatus usus etiam pro quaestu, et Dominus terrestris illum in eo impedire non potest, sive vineae Juri Montano, sive Nonae obnoxiae sint. (Res. Reg. 26-a Aprilis 1773 intimata)

Reliqua jura et oligationes Colonorum partim articulis promontorialibus, quibus fere singula promontoria provisa sunt, partim etiam usu determinantur. 1)

1) Resolutio Regia de 26-a Aprilis 1773 nunc citata Dominium ab exercitio pascui in Vineis Subditorum, cujus hactenus usum habuit, arcet, et prohibet.

§ 23.

De Praestationibus, quibus Colonus Domino terrestri a Vineis tenetur.

Praestatio, qua Colonus pro dominio utili Vineae stricte talis in Hungaria, et Croatia tenetur, est nona procreationis totius pars, vel

Jus Montanum, seu certa et determinata in urnis quantitas musti aut vini, pacto vel usu absque respectu ad procreationem quantitati vinearum commensurata. 1) (C V, § 6) A Subvinetis, seu pedibus Vinearum non semper, quemadmodum a Vineis, jus montanum, aut nona praestatur; sed saepe etiam inversa ratione a Subvineto Vineae nonae obnoxiae jus montanum, et vice versa penditur, saepe etiam census pecuniarius, saepe vero nihil, prout nempe pactum cum Domino vineae initum, vel usus fert. Sunt vero praestationes hae fixae, et stabiles, ita ut nonnisi mutuo Coloni et Domini consensu una in aliam, v. g. jus montanum in nonam mutari possit; sive enim pactum, sive usus hanc, vel illam speciem praestationis induxerit, utrumque fixam Domino, et Subdito normam ponit. Ad praecavendas facilius mutationes arbitrarias Domini terrestris circa has praestationes, etiam Conscriptio Vinearum seu juri montano, seu nonae obnoxiarum distincta Exequentibus Magistratualibus occasione primaevae Regulationis Urbarialis injuncta exstitit. (vide notam ad hunc § sub 3) Praeter Nonam et Jus Montanum, Domino terrestri praestandum, tenentur saepe Vinicolae adhuc Praelato Decimam praestare, quae tamen suo loco (Cap. IV § 15) pertractata est.

Tam nona, quam jus montanum sive a Vineis, sive a Subvinetis praestanda ex eadem procreatione, quam Vinea praestationibus respectivis obnoxia tulit, et promiscue, neque solum ex uvis, et vinis praestantioribus (1655, 79) 2) desumenda est, mensura posoniensi 32 pintarum, seu 64 mediarum (C V § 6; 97, 1715) Si igitur jus montanum jam ante annum 1715 alia a posoniensi diversa mensura exactum fuisset; ad illam reduci debet. Si vero jus monta-

num ante citatum annum mensura quidem posoniensi, serius tamen alia majori mensura posoniensi desumtum, et hac ratione auctum fuisset, prior denuo restituenda est (C V § 7). Id per se intelligitur, quod cum ejusmodi auctio, uti quaecunque alia illegalis, imo ipso jure nulla sit (97, 1715); refusio damni per Dominum terrestrem Subdito auctione juris montani illati locum habere debeat. Praeterea laesus Vinicola poena Violentiae excessum hunc Domini terrestris vindicare potest; lege positiva (1655, 31; et 1715, 97) eidem auctoritatem ad id tribuente. Si tandem a Vineis post annum 1715 implantatis jus montanum stipulatum fuisset, non tamen, quemadmodum articulus 97, 1715 praescribit, mensura posoniensi; ad illam aeque reducendum, simul et auctio juris montani seu majori et a posoniensi ante usitata diversa mensura seu alia quacunque ratione inducta sufferenda, vinicolisque, qui poenam violentiae petere praeterea possunt, compensanda est. Si nona majori, ac mensura posoniensis, exacta fuissset; aeque damnum Vinicolis hac ratione per Dominum terrestrem illatum compensandum est, et poena quoque violentialis Domino terrestri subeunda (ab analogia 1655, 31; et 1715, 97; C VIII, § 7).

Nona absque omni additamento exigenda est. (C III, § 6) Igitur omnes praestationes accessoriae sive in pecunia, seu re quacunque, quocunque item titulo, aut nomine cum Nona conjunctae sunt de lege vetitae, et ipso jure nullae; adeoque non tantum abrogandae, sed et Subditis, ut damnum revera passis, refundendae. Juris tamen montani accessoriae praestationes omnino tolerantur, si jam ante annum 1715 stipulatae, vel in usu saltim erant, aut novarum im-

plantationum occasione pactae fuerunt; serius inductae aeque sufferendae, et Vinicolis cum poena violentiae refundendae sunt, (C III, § 7) 3)

Jus porro montanum, uti ex definitione ejus supra allata patet, semper praestandum est, etiamsi nihil musti quodam anno vinea tulisset, vel minus quantitate juris montani. Sed quia simul, uti diximus, tam nona, quam jus montanum ex procreatione Vineae praestanda sunt, hujus defectus uno alterove anno nonnisi ex sequentium procreatione, in quantum sufficit, compensandus est. 4) Ad redimendum jus montanum sive ob defectum procreationis, sive etiam secus Dominus promontorii Vinicolam cogere non potest. (C III, § 9) Quod etiam de nona intelligendum est.

Omnes reliquae praeter nonam, et jus montanum ac huic adjunctas praestationes sunt illegales, et ipso jure nullae; adeoque abrogandae, et Subditis pro praeterito etiam refundendae. 5)

Sed quaeritur, an Vinicola nonam, et ejus montanum convehere, et quo teneatur? — Leges Codicis nec nonae (etiam ab agris praestandae) nec juris montani convectionem Colonis imponunt. Articulus 37, 1548 per expressum adeo statuit „quod per totum annum Coloni „ipsi, quodcunque genus servitii praestent; „nonnisi 52 dies expleant.“ Urbarium Hungaricum (C III, § 15) ita praecipit: „Colonus nonam, ubi hanc in natura praestat, aut jus montanum ad locum in territorio procreationis designandum extra imputationem robotae convehere tenebitur.“ Urbarium Croaticum ita habet (C III, § 15): „Frugum omnis generis, etiam dominalium, et allodialium convectio, (praeter Nonae in natura praestitae, et juris montani invectionem) in robotam imputetur.“

Articulus demum 3, 1807 articulo 7-o 1802-i addit „quod Dominiis vinicolas, ut totam procreationem suam ad domum nonatoriam devehant, adstringere nec in illis partibus liceat, in quibus nonam, aut qualecunque jus montanum hactenus sub ipsis vindemiis desumendi usus vigebat. Verum nonatores suos ad faciem vinearum exmittere, atque ibi partem pro nona, vel qualicunque jure montano obventuram designare teneantur, quam vinicolis ad domum nonatoriam invehére incumbet.“ – Hinc patet, quod convectio nonae (a vineis quoqne) et juris montani per Urbarium inducta, simulque locus designatus fuerit, quo eandem vinicolae convehere debeant, nempe quemcunque intra territorium procreationis, id est promontorii, adeoque non extra illud situm. Et hoc sensu intelligi debet lex recentior, citatus articulus 3, 1807, qui ad domum nonatoriam nonam, vel jus montanum convehendum dicit, ita videlicet si domus nonatoria in territorio procreationis sita sit, non vero si extra illud existat. Urbarium Croaticum quoque, quod abstrahendo a loco, quo nona et jus montanum convehi debeat, convectionemque illorum generatim tantum Vinicolis imponat; aeque sensu Urbarii Hungarici intelligi debet. Decimam vini Vinicola, uti generatim Decimam convehere non tenetur (vide Caput IV § 15).

Urbarium Banaticum in locum Nonae Decimam adoptavit, (a Vineis promontorialibus) posoniensi aeque mensura desumendam, et absque consensu Coloni non in pecuniam mutandam, neque vasis illius, gratis saltim, convehendam. (C V, § 4) A Vineis hortensibus non Decima sed prout ab aliis fundis industrialibus (extrasessio-

nalibus) reliquis 30 X-ri a singulis jugeribus praestari debent (C I § 3; C II, § 1, 1-o, 3-o; § 4, 1-o)

Urbarium Slavoniae (Part. I, 5-o) jus quidem montanum a Vineis illis, quae constitutivum sessionale ingressae non sunt, pendendum statuit. Sed quia quantitatem illius respectu procreationis annuae in certa ejus quota, a qualibet nempe urna musti in una pinta, (duabus mediis) mensurae posoniensis, adeoque generatim in una trigesima secunda parte totius procreationis defigit; sensu stricto pars haec jus montanum compellari non potest. De Convectione ejus Urbarium Slavonicum tacet.

Si Colonus praestanda a vineis praestare detrectet, quae jura Dominio in illum competant, vidimus. Cap. V § 17 huj. op.

1) Nonnunquam et Nona et Jus Montanum simul praestatur a Vineis, si utrumque jam ante annum 1715 in usu fuit, aut seriùs utrumque pactum fuit ratione novarum implantationum; secus vi articuli 97, 1715 Nona abroganda est.

2) Pauly Const. Rei urbarialis pag. 205 Nonam ex uvis passis haud competere, decisum esse asserit per Altissimam Res. Reg. in Processu urbariali Fisci dominalis contra incolas Oppidorum Tokay et Tartzal via novi agitato Nro aul. 13447 1815. Citatus articulus 79 1655 ita habet inter caetera: „Civitates submontanae repraesentant: „qualiter ex vineis Civium, ac etiam Nobilium „in promontoriis Dominorum terrestrium exi„stentibus non solum etc. etc. verum etiam a„busive uvae nigrae et passae sive prae„stantiores colligi, et absportari soleant."

3) Occasione Regulationis Urbarialis Rectificatio Juris montani, et accessoriorum tam quoad quantitatem, quam etiam quoad mensuram, qua praestabantur, fieri debebat per Exequentes Magistratuales juxta praemissa principia. (Instr. Ex. Mag. C III, § 4, et 5) Ut vero tam juris mon-

tani, quam et praestationum accessoriarum auctio quaecunque eo facilius dein etiam praecaveri posset; vineae juri montano obnoxiae connotari jubebantur Instructione Exequentium Magistralium (vide Partem II Sect. 1 C II § 8) Igitur si nondum connotatae fuissent; Magistratui concernentis Comitatus incumbit, defectum hunc supplere, et connotationem hanc in triplici exemplari sub authentico pro archivo suo, Colonis et Dominis respectivis expediri curare. (C III. § 8)

4) Sed quaeritur, quid si Vinea juri montano obnoxia non culpa Coloni, verum fato aliquo ita desoletur, ut juri montano amplius procreando par non sit, an etiam tunc jus montanum praestare obligetur, ex subsequentium annorum procreatione, dum nempe Vinea per Colonum in eum statum reponitur, ut jus montanum iterum proferat? Non obligatur ex simplici illo fundamento; quia casus nocet Domino, est autem Dominus juris montani Dominus terrae, et quidem etiam ante desumtionem illius, quia ex lege ei competit, adeoque illi. Obligatur tamen Colonus vineam desolatam reparare, si illam ultra quoque retinere velit, quia debet fundo destinationi suae convenienter uti. Si vero reparatio, et restauratio locum habere non possit. Jus montanum penitus cessat, et in locum ejus pro ratione circumstantiarum vel nulla, si Colonus nullam utilitatem fundi vineae desolatae capere potest, vel secus lege determinata jam, aut conventa inter Dominum et Subditum praestatio locum obtinebit. Ultima propositio etiam de Vineis Nonae obnoxiis intelligenda est.

5) In specie ut magis communes Urbario (C VII) notantur: straminis ad religandas vites Dominio subministratio (§ 9); merces Custodibus vinearum dominalium, et revisoribus laborum dominalium solvenda (§ 10); pintarum gustatoriarum, torcularis item pecuniae (Pressgeld) praestationes; intertentio Nonatorum (Decimatorum) vel jus montanum desumentium (§ 16); occasione collectionis vini, seu nonae (decimae) seu etiam juris montani titulo, vasorum pro dominio exactio (§ 17)

CAPUT VIII.

DE EXSTIRPATURIS.

§ 24.

De Exstirpaturis in genere.

Exstirpaturae sunt fundi, qui ante arboribus arbustisve obsiti, per Colonos his evulsis in agros vel prata conversi sunt, partim consensu domini accedente, partim etiam sine illo. Vocantur aliter fundi exstirpatitii, terraeque exstirpatitiae.

Jus reluendi Exstirpaturas, uti vidimus (Capite II huj. op.) Domino terrestri competit. Verum si jus hoc in collisionem veniat cum conservatione Colonorum, junctaque ei fundi Contributionalis, exceptionem patitur, et Exstirpaturae aut in Constitutiva urbarialia Colonorum pro ratione circumstantiarum imputantur, aut iisdem erga praestationes (hactenus) usitatas, ultra quoque ut Exstirpaturae relinquuntur. 1)

Ex principio hoc instar corollarii fluit, quod Exstirpaturae Conscriptionem Dicalem ingressae in regula relui per Dominum terrestrem non possint, et hinc etiam in Processibus ad Reluitionem Exstirpaturarum motis, et Reluitionibus Exstirpaturarum generatim Testimoniales Judicis Nobilium Districtualis produci solent de eo, quod Exstirpaturae Conscriptionem Dicalem ingressae non fuerint (Instr. Ex. Mag. C V, § 30). Porro si Exstirpaturae naturam suam ut

dici solet jam amiserunt, aeque Reluitioni in regula non obnoxiantur, verum in Constitutiva Urbarialia imputari debeant. (Ibid. C II, § 3 13-o; et Resolutio in nota 1) provocata.)

Modus reluendi Exstirpaturas jam articulo 58 1526 determinatur, qui praecipit: „ut exstirpatitii fundi praesente Judice Nobilium, cum suo Jurato Assessore (Jurassore), si videlicet loci consvetudo id exigat, convocatis vicinis, et commetaneis aestimentur, pretiumque aestimationis in bona, et per regnum currente moneta persolvatur, ac ita exstirpaturae vendicentur.“ Modus vero reluendi Exstirpaturas in specie, – quando nempe reluitio in regula locum habuit, quid pro mercede laboris a certa quantitate (jugero falcastro) exstirpatitiae terrae solvendum fuerit, quae Exstirpaturae absque bonificatione mercedis recipi potuerint? – in diversis Comitatibus diversus fuit, 2) per Urbaria, Instructiones urbariales ac Resolutiones Regias magis dein determinatus. Urbarium Ban. Exstirpaturarum quidem non meminit. Resolutio Regia 2-a 7-bris 1816 Nro 9839 Banatui intimata praecipit: „ut concernentes regni juris „dictiones ad strictam vigentium in negotio Ex„stirpaturarum reluitionis ordinationum obser„vantiam invientur; vigore quarum caetera in„ter constitutum est, ut quaestiones quoad a„demtionem, et reluitionem exstirpatitiorum „fundorum vertentes de casu ad casum ante „procurandum effectum supremae decisioni sub„sterni debeant.“ Ex quo patet, quod norma circa reluitionem Exstirpaturarum in Hungaria praescripta etiam Banatum obliget. Ut vero modus reluendi, seu abaestimandi Exstirpaturas, circa quem tota fere materia de Exstirpaturis, et correlatio ratione illarum inter Dominum et Sub-

ditum, velut circa cardinem versantur, uberius intelligi valeat; ad haec velut praecipuas conditiones, a quibus pendet, reflectendum, nempe: an exstirpatio cum Domini terrestris consensu expresso vel tacito, an sine illo per Colonum suscepta sit? An emtio, et venditio Exstirpaturarum seu conventione, seu usu locum habuerit? Demum an non Exstirpaturae jam naturam suam exuerint?

1) Ut exemplum aliquod etiam hoc assertum confirmans adferam, recitabo verba Resolutionis Regiae Nro 20195 21-a Julii 1818 Com. Zalad. intimatae, adeoque recentissimae, quae sic inter caetera habet: „Relate autem ad Exstirpaturas: „cum ex Conscriptione Tenutorum Geometrica de anno 1807 — pateat, competentiam in „agris cum 180, in falcastris cum 54; actuale „autem possessorium in agris cum 123 jugeribus, in pratis cum 145 falcastris exponi, terrasque quas Subditi habent — vilis procreationis, et difficilis culturae esse, „quantitatem autem fundorum exstirpatitiorum, „— in agris 139 3/8 jugera, in pratis 380 4/8 falcastra complecti; ne proinde per ademtionem „fundorum horum exstirpatitiorum, summam „Urbarialis Colonorum Constitutivi longe superantium, Coloni oneribus publicis, et „dominalibus ferendis impares reddantur: „— actionalis exstirpatitii fundi, quorum plures naturam Exstirpaturae haud probatam habent, et quibus alioquin praememorati Coloni (Zsidenses) — partim ob fundorum suorum sterilitatem, et difficiliorem culturam, quae fundos exstirpandi „necessitatem generarunt, partim autem ob subsistentiam e reflexione etiam Status Publici quantum fieri potest dotatione augendam, „indigent; occasione Tenutorum Regulationis, „in quantum ratio conditionis Colonicalis, et loci adjuncta admittunt, in Constitutiva Sessionum urbarialium applicentur, „— secus autem penes Colonos erga praestationes, quae vigent, — relinquantur.“

2) Usus, et statuta in diversis Comitatibus quoad reluitionem Exstirpaturarum diversa erant:

In Comitatu Zaladiensi Conventiones dupplicis generis in usu erant. Vel nempe immunitatis anni (6, 8, 10, etiam 12) ita concedebantur, ut iis lapsis Dominus Exstirpaturas, et quidem 1-ae Classis 4, 2-ae 3, et 3-ae Classis 2 finis singula jugera reluere potuerit; vel vero ita, ut iis elapsis sine ulla merede (hac jam conventorum annorum spatio compensata) proprietario resignarentur.

In Veszprimiensi et Simeghiensi Comitatu distinguebantur Exstirpaturae, quarum aetas memoriam transcendebat humanam, neque probam Exstirpaturae litterali documento admittebant, vel quas ab aliis derelictas actualis possessor absque ulla mercedis compensatione, aut laboris concursu possidebat, vel quae jam sessionales effectae sunt, ab reliquis. Priores absque ulla solutione ad constitutivum imputabantur. Posteriores et quidem agri in Comitatu Veszprimiensi 8 annis a prima seminatione computandis a censu liberi gratis per Colonos Dominis remittebantur, aut in competentiam sessionalem imputabantur; si ante 8 annorum effluxum recipiebantur, compensatio proportionata locum habebat. Prata certis libertatis annis non gaudebant; donec tamen possidebantur per Colonos, a terragio libera erant. In Comitatu Simeghiensi 3 annorum immunitas locum habuit, quibus elapsis, si usus fructus jugeri agrorum 4 florenos, falcastri (currus foeni capacis) pratorum 3 florenos, tamquam mercedem defixam adaequavit, gratis ad Dominum redivit; secus vero compensatio proportionata locum habuit. Conventiones quoque concessis certis libertatis annis, quibus elapsis gratuita remissio obtinuit, iniebantur.

In Nitriensi Comitatu ager medii jugeri (metretae poson. capacis) pratum item unius falcatoris infra 12 annos 4 florenorum, supra illos 3 florenorum mercede exsolvebatur (praeter pretium fimationis).

In Barsiensi pro agro unius posoniensis saponis, aut unius falcatoris prato, ante 12 annos

exstirpato 3 fl-ni, post 12-um annum 2 fl-ni mercedis instar solvebantur.

In Strigoniensi ab anno inchoatae exstirpationis ad 12-um usque singula jugera et falcastra 2 fl-nis; a 12 o usque annos praescriptionis medietas horum solvebatur; abinde vero (Exstirpaturis naturam suam amittentibus) gratis recipiebantur. Exstirpaturae penes Conventionem scriptam susceptae juxta tenorem ejus tractabantur.

In Neogradiensi usque 12 annos a singulis jugeris unus imperialis, a singulis falcastris 1 florenus titulo mercedis solvebatur; antiquiores 12 annis mercedem non consequebantur.

In Comaromiensi a' singulis mediis jugeribus terrae (metretae posoniensis capacibus) per rusticum 7 annis possessis floreni 2, annis 14 tentis 1 fl. 50 denarii, ultra illos possessis 75 den. per Dominos solvebantur occasione relutionis.

In Arvensi, Scepusiensi, Borsodiensi, Hevesiensi, et Albensi pro ratione Exstirpaturarum plures paucioresve anni libertatis concedebantur, quibus elapsis gratis recipiebantur; ante vero hos annos receptarum labor a proportione compensabatur aestimatione mediante, in Albensi in specie jugerum a 2, 3, et 4 florenis. In Scepusiensi etiam Conventiones obtinebant.

In Szathmariensi pro Exstirpaturis in silvis (nemoribus) 7; illis vero in spinetis 3 annorum immunitas dabatur; evolutisque annis libertatis 7 a prioribus Nona pendebatur, posteriores Exstirpaturae annis libertatis lapsis a libero Domini arbitrio pendebant.

In Lyptoviensi Exstirpaturae indultu Domini susceptae post triennium absque bonificatione recipiebantur.

In Bihariensi in facilioribus Exstirpaturis 5; in gravioribus 6; in gravissimis 7 anni libertatis concedebantur.

In Comitatu Castriferrei Domini Exstirpaturas cum praescitu illorum factas, a quibus census aut terragium praestabatur, dum et quando jugerum a 4 fl-nis, illas vero absque censu vel terragio possessas post 3-am, 4-am, aut 5-am procreationem gratis recipiebant.

In Soproniensi jugerum quodvis 2 cubulorum capax absque discrimine seu qualitatis terrae, seu laboris impensi 4 florenis redimebatur.

In Houthensi jugerum terrae 2 integrarum mensurarum Batthensium (vulgo Bathi fertály dictarum) capax, prout etiam pratum uno die falcandum 1 fl-no redimendum fuerat, secundum statutum anni 1694. Secundum praxim tamen medium jugerum (metretae poson. capax) 1 fl-no, pratum unius falcatoris 2 fl-nis exolvebatur.

In Marmarosiensi Comitatu Colono liberum erat intra ambitum Dominii Exstirpaturas facere, et quoad ipsi libuit possidere.

In Reliquis Comitatibus (Hungariae) Statuta peculiaria non existebant, quia partim uti in Csanadiensi, Csongradiensi, Bereghiensi, Pestiensi, et Jaurinensi Exstirpaturae fere nullae locum habuerunt, partim legis provisio aut conventio observabatur.

§ 25.

De tribus praecipuis Conditionibus in Reluitione Exstirpaturarum observandis, et Consectariis earundem.

Quod Consensum attinet: Urbarium (C VIII § 6) exstirpationes in posterum sine consensu et indultu Dominii sub poena amittendae mercedis, et refusionis illati damni fieri vetat. Exstirpaturas vero jam (ante inductum Urbarium) factas non secus, quam erga conscientiosam Comitatus limitationem a Subditis recipere Dominio integrum esse idem praecipit (C VIII § 6). Indultus autem seu Consensus Dominii potest esse vel expressus, scripto aut verbis declaratus; vel tacitus, factis manifestatus, ex quibus ad illum concludi potest. Ad haec facta praeprimis referuntur: Si Dominium terragium ab Exstirpatura desumsit; venditio-

nem, cambium, impignorationem, legationem, divisionem Exstirpaturae aut quamcunque dispositionem de illa ratihabuit, etiamsi sub certis conditionibus, et cautelis. Imo solus neglectus manifestationis contrariae voluntatis jam consensum inducit relate ad Exstirpationes, quae usque annum 1807-um per Colonos susceptae sunt; hic enim adagium illud juridicum: qui tacet consentire videtur, certe locum habet, cum, si consentire noluisset Dominus terrestris, tacendi certe nullam habuit rationem. Articulus tamen 28-us (§ 18) 1807 absque positiva Dominii concessione Exstirpationes addita quoque poena corporali interdicens, Dominos terrestres simul ab obligatione resensum contra Exstirpationes manifestandi relevavit; quod Urbarium – „Subdito absque indultu Dominii – Exstirpaturas imposterum facere licitum non esse“ disponens non fecit. Adeoque nisi Dominus terrestris relate ad Exstirpaturas per Colonos ante annum 1807-um et respective publicationem legis hujus anni diaetae factas per inhibitionem vel prohibitionem suo modo (auctoritate judiciaria) adversus Subditos praemissam indultum ipsis expresse et positive denegasset, etiamsi ex facto positivo aliquo ad consensum ejus concludi non possit; vel taciturnitas ejus vim Consensus (praesumti) habebit. Relate vero ad Exstirpaturas post promulgatam legem citatatam factas, nisi Coloni Consensum vel Indultum expressum aut tacitum, factis videlicet declaratum, probare possint; censuram legis merito incurrunt. 1)

Aliter tamen se res habet relate ad Slavoniam, ubi Colonus Exstirpaturam suscipere volens hanc suam voluntatem Domino terrestri

prius insinuare, et indultum petere obligatur. ,, Exstirpaturae in Silvis non secus fieri possunt, quam ubi et in quantum Dominus terrestris indulserit, cui proinde semper insinuatio per Colonum facienda est." (Urb. Slav. P. 1, 4-o)

Si consensus expressus Dominii certis conditionibus alligatus, ad quas Subditus accessit, adeoque conventio inter utrumque inita fuit ratione Exstirpaturae; haec utrique tam quoad censum seu terragium, quam et quoad dispositionem de fundo ejusque reluitionem legem ponit (C IV § 8; et Instr. Ex. Mag. C V § 30). Inter has conditiones peculiarem attentionem subit illa, vi cujus exstirpanti facultas Exstirpaturas vendendi quoque conceditur vel negatur. Huic facultati expresse largitae aequipollet iterum facultas tacite concessa et praesumta quae semper adest, si Dominus terrestris exstirpantes auctoritate judiciaria ab emtione venditione Exstirpaturarum licet expresse non concessa non inhibuit. (Res. Reg. de 26-a 7-bris 1774, Nro 4908) Adeoque et hic principium illud: qui tacet, consentire videtur, adoptatum fuit. 2)

Quod autem de Emtione et Venditione dicitur, id de reliquis quoque alienationum perennalium speciebus intelligi debet, sive inter consanguineos, sive extraneos interveniant, adeoque etiam in casu divisionum si unus, aut alter condividens in divisione Exstirpaturarum quid supersolvisset, id eidem compensandum est per Dominum terrestrem; ratio enim legis est eadem etiam in aliis (praeter venditionem) alienationibus perennalibus, adeoque et dispositio legis eadem esse debet. Hoc autem per se intelligitur, quod inhibitio tantum ad ven-

ditiones post illam intervenientes vim suam exerat.

Sed quaeri potest, quid si Dominus terrestris, vel ejus Officiolatus Subditos ab emtione venditione suo modo quidem non inhibuit, sed tamen eandem cum clausula salvo jure dominali confirmavit? – Nihilominus summas investitas persolvere obligatur occasione abaestimationis; quia clausula haec nullo ex fundamento eo interpretari potest, quod Dominus terrestris tantum summam aestimationis persolvere debeat. 3)

His praemissis

Si Coloni consensu seu expresso, seu tacito (praesumto) Exstirpaturas emerunt, vendiderunt, cambiarunt etc. investitae summae sive in acquisitionem, seu in meliorationem et quidem parato aere refundi debent (Instr. Ex. Mag. C V, § 30). Quantitas autem illarum doceri debet per Colonum vel literis vel vero fassionibus testium, pro ratione circumstantiarum juramento quoque, quamadmodum id in aliis objectis, et inter alios litigantes jus nostrum privatum commune praescribit. Regulae quoque probationum generales, in quantum natura rei patitur, hic applicari debent. – Caeterum si usus emendi vendendi Exstirpaturas in aliquo loco memoriam humanam excedat; Coloni vero testimonio humano destituti investitiones Litteris, quae utique, antiquioribus praesertim temporibus occasione emtionum venditionum non semper et ubique conficiebantur, neque modo conficiuntur, vel vero successu temporis periverunt, probare non possint: e probatis pretiis emtionalibus medius (arithmetice) proportionalis erui solet; ita videlicet, ut pretia probata in unam summam addantur, haecque inter jugera agrorum,

et pratorum respectivorum prius dimensorum dividantur. Quotiens dabit medium proportionalem. 4)

Si vero Coloni Consensum Domini seu expressum, seu tacitum (praesumtum) intuitu venditionum, cambiorum etc. intercessisse docere non possunt; refusio summae investitae locum non habet; sed si indultus Domini sive expressus sive tacitus (praesumtus) Exstirpationem suscipiendi probetur; labor impensus condigna mercede compensandus est. Hujus autem mercedis pro ratione laboris impensi 4 classes per Resolutionem Regiam 25-a Aprilis 1771 cunctis Jurisdictionibus intimatam statutae sunt: in montoso, saxisque referto terrarum situ, qui laborem improbum omnino exigere solet, merces jugeri exstirpati agri vel prati est 5 florenorum; in montibus planitie temparatis, neque saxorum compage occupatis, si praesertim evulsorum lignorum usum coeperunt exstirpantes, jugerum agri vel prati a 4 florenis compensandum est; in planitie, in qua tamen ingentia robora tollenda erant, 3 flni, pro jugero agri vel prati solvendi sunt; denique in plaga plana, si vepreta tantum et virgulta sufferenda erant, a singulo ejusmodi jugero, sive pratum sive ager sit, 2 floreni titulo mercedis pendi debent. Per hanc Resolutionem Usus et Statuta Comitatuum relate ad Abaestimationem Exstirpaturarum in nota priori sub 2) exhibita, et ea quae in Instructione Exequentium Magistratualium C V, § 30 de annis libertatis continentur, sublata sunt. 5) Cum porro quantitas pratorum non jugeribus, sed falcastris exprimi soleat; quae de jugeris pratorum dicuntur, de falcastris proprie intelligi debent, eo magis, quod in Regulatione Urbariali communiter jugerum agri, falcastro prati aequiparetur. Quantitas autem

jugerorum et respective falcastrorum singularum. Exstirpaturarum vel secundum fassionem juratam primorum, vel vero secundum dimensionem geometricam, (uti in reluitione cum rectificatione urbariali conjuncta semper) per Legale Testimonium conscribitur. – Sed a quot orgiis quadratis jugerum agri computari debet? Quod hic Classificatio Glebae dicta relate ad quantitatem orgiarum □ ad unum jugerum assumendarum locum habere non possit, per se intelligitur; quia in abaestimatione Exstirpaturarum tantum qualitas laboris non Glebae consideratur. Cum quantitas jugerorum communiter a 1100, 1200, et 1300 orgiis □ computetur, certe ut justitia distributiva nec relate ad Dominum, nec Colonum laedatur; medium tenere oportet inter duo extrema, adeoque 1200 orgias pro uno jugero agri computare. Nihilominus dum reluitio Exstirpaturarum una fidelia cum Rectificatione urbariali pertractatur; exceptio ab hac regula locum habere solet, ad negotium etiam Rectificationis compendiandum, et quantitas orgiarum □ pro jugero Exstirpaturae, quemadmodum pro illo Agrorum urbarialium computari consvevit. Quot orgiae □ falcastrum prati constituant, a quantitate graminis dependet.

Antequam Exstirpaturae per Dominum terrestrem suo modo reluantur, Subditi iis privari non possunt, nec praestationes hactenus usu vigentes vel conventione mutua aut lege determinatae 6) augeri, aut in alias transmutari (C II, § 2; C IV, § 8). Si Dominium via facti Exstirpaturas occuparet, repositio quidem in sensu articulorum novellarium locum non habet; Comitatus tamen praemissa investigandorum investigatione, Contribuentem in posses-

sione (possessorio) rei suae, praesertim si nec de indole Exstirpaturae, nec de fundamento occupationis satis constat, manutenere debet, usque dum res via sua decidatur. (Nro $1\frac{5931}{5924}$, 1811; Intimat. ddo 28-ae Maji 1799, Nro 12962) Neque sufficit ad Colonos mercede sua privandos antiquitatem Exstirpaturarum, signanter tempus Resolutionem (25-a Aprilis 1771) elargitam (citatam) antecedens, aut infructuositatem fundorum exstirpatitiorum obmovere, aut id, quod nullae pecuniae, sed praecise labores, Nona item et Decima ab Exstirpaturis praestita fuerint. (Res. Reg. 26-a Sept. 1774 Nro 4908, Com. Pest. 6-a Octob. e. a. Nro 4521 intimata; Res. Reg. 10-a Maji 1814 Nro 11837 in processu urbariali possessionis Kralotz Com. Zol. intimata)

Nihilominus si Exstirpaturae naturam suam jam exuerunt, absque compensatione mercedis in constitutivum sessionale imputari, et praestationibus urbarialibus subjici possunt, imo debent. (Instr. Ex. Mag. C II, § 3, 13-o; Res. Reg. Nro 20195 Com. Zalad. intimata citata) Censentur autem exuisse Exstirpaturae naturam suam, si exstirpantes de loco migrent, et illas derelinquant; aut Exstirpaturae secus de manu ad manum sine ulla mercedis refusione, aut investitione aliqua ad praesentes possessores devolutae sint; (excepto tamen casu successionis, quod per se intelligitur) vel tandem plane jam in fundos sessionales abiverunt. (C II, § 2) Extra hos casus, si Exstirpaturae ante suo modo institutam Reluitionem et Exolutionem constitutivis sessionalibus applicitae sint; pro praeterito praestationes urbariales refundi, ac praeterea merces compensari, debent. (Res. Reg. 2-a Nov. 1776, Nro 5393 –

Com. Lipt. 12-a e. m. et a. Nro 5813 intimata. Quae vero jura Dominis terrestribus in Colonos competant, si hi praestationibus debitis non satisfaciant, e Capite V § 17 huj. op. colligi potest.

1) Hinc si in processu ad Reluitionem Exstirpaturarum de consensu inter Dominum terestrem et Subditos non conveniat, hi relate ad Exstirpaturas ante annum 1807 susceptas consensum ejus seu indultum probare non obligantur; verum Dominus terrestris illum negans, se Inhibitionem erga eos praemisisse docere debet. Relate vero ad Exstirpaturas post annum memoratum evenientes Coloni consensum expressum vel tacitum Domini terrestris legitimare tenentur; quia consensus positivus factis jam innititur, et qui facta asserit, illa probare debet. Seu autem expressum seu tacitum consensum Subditus docuerit, plenam praestabit probam; idem enim utriusque in jure vigor. Credo, demonstrare non debeo, quod per citatam legem tacitus consensus Domini terrestris non sit sublatus, nec sufferri potuerit, adeoque is adhuc Colonis suffragetur.

2) Igitur si in Processu de Abaestimatione Exstirpaturarum Dominus indultum seu Consensum Exstirpaturas vendendi in quaestionem vocet, auctoritate judiciaria Colonos ab emtione et venditione inhibuisse probare debet; secus eo ipso praesumetur jure et de jure facultas Exstirpaturas vendendi.

3) Ita judicavit Sedria in Processu rectificatorio simul etiam reluitorio Exstirpaturarum Dominii Csáktornya, quam Resolutio Regia Nro 14147 13-a Julii 1802 Comitatui Zaladiensi intimata (in merito?) approbavit. Mihi autem vera et fundata ratio asserti illius ea videtur esse; quod jus Domini terrestris abaestimandi Exstirpaturas non hujusmodi cautela, sed Inhibitione Judiciaria tamquam uno legali remedio sustentari debeat. Et hinc nec Clausula Confirmationis: Salvo Jure Abaestimandi; Domino terrestri quidquam suffragaretur.

4) In probam asserti hujus verba Resolutionis Regiae sub Nro 20195 intimatae, et supra citatae, huc se referentia exscribere non piget, haec sunt: „prius omnes investiturae Exstirpaturis inhaerentes, quae probatae sunt, quae autem Documentis probari non possunt, siquidem usus liberae emtionis, et venditionis generalis memoriam humanam excedat, eruto in proportione ex Investituris probatis pretio diametrali depurentur, et concernentibus Individuis ex parte Dominii terrestralis parato exsolvantur.“

5) In mercedem videlicet Exstirpaturarum influxum quoque habebant anni libertatis, qui si per Dominum terrestrem allegabantur; distinguendi erant anni, quibus exstirpatio perficiebatur, et in opere adhuc existebat, ab illis, quibus Exstirpatura jam perfecta, a solutione canonis, vel conventae annuae praestationis exstirpans immunis erat. Antequam enim Exstirpatura fructus non ferat exstirpanti, utique nec canon, nec conventa praestatio a Domino exigi potest; adeoque immunitas ab illis, quemadmodum tempore Exstirpaturae paratae suapte consequitur, ita etiam mercedem defixam minuere non potest. Contra si exstirpatitio fundo jam fructificante canon vel census non exigebatur annis aliquot; hic in mercedem laboris Colono persolvendam imputabatur.

6) Urbarium enim Hung. et Croat. praestationes ab Exstirpaturis in specie determinat; exceptis pomariis, prunetis, lupuletis in terris exstirpatitiis existentibus. Praestationes a singulis jugeris horum in 30 X-ris defigit, ita tamen, ut a quantitate, quarta jugeri parte minori nihil exigi posse statuat. (Instr. Ex. Mag. Cap. V, § 12, 8-o. Urbarium Slav. (P 1, 4-o) ab agris Decimam frugum in eis procreatarum et quidem in stramine, a pratis vero a singulis falcastris (falcatoribus) annuos 15 cruciferos, et totidem etiam a singulis jugeris prunetorum, sed tantum post tres libertatis annos, quibus Colonus gaudet, praestari vult. (vide etiam Punct. regulator. 13-um) In Banatu generatim a fundis industrialibus adeoque etiam Exstirpaturis 30 X-ri praestari debent. (C IV, § 4, 1-o)

§ 26.

De Praxi reluendi Exstirpaturas.

Praxis reluendi (abaestimandi) Exstirpaturas dupplex est: vel nempe Processus summarius instituitur statim coram Sede dominali; vel vero Processus initio saltim non movetur, sed absque illo manus operationi admovetur 1). Caeterum praeter initium, decursus utriusque methodi parum a se discrepat; ut adeo simul commode pertractari possit. Ante omnia juxta methodum posteriorem Judex Nobilium cum adjuncto Jurassore et Fisco Magistratuali sive private per Dominum terrestrem requisitus, sive (prout nempe moris est in hoc vel illo Comitatu) per Universitatem Comitatus (e publico) erga recursum Domini, juxta methodum vero priorem per Sedem Dominalem vi Sententiae (una cum Fisco Magistratuali Colonis in Processu assistente) exmissus Exstirpaturas reluendas conscribere debet, et quidem secundum praecipuas circumstantias, quae in Reluitione earundem attendi debent. Conscriptione peracta, in facie Loci classificatio, et aestimatio Exstirpaturarum, earum videlicet, quae nondum emtae venditae penes exstirpantes vel eorum haeredes absque onere existunt 2) secundum praescriptum Res. Reg. 25-a Aprilis 1771 intimatae instituitur. Adesse autem debent in hac aestimatione possessores quoque Exstirpaturarum, qui debite audiendi sunt. Super aestimatione Relatio (relatoriae) per aestimantes magistratuales confieri debet, subscriptione et sigillo illorum roborata, in qua ratio quoque reddatur, cur Exstirpaturae in quaestione vertentes ad hanc vel illam classem re-

latae habeantur. Si, dum absque Sede Dominali instituitur reluitio, occasione aestimationis, et respective classificationis controversiae inter Dominum terrestrem, et exstirpantes circa indultum praetensive elargitum, vel non elargitum, emtionem et venditionem exstirpaturarum admissam vel negatam, summas investitas, aliaeque non evenirent; Relatio illa per aestimantes Magistratuales directe Comitatui exhibetur, ab hoc via Consilii R. L. Suae Majestati pro impertienda Resolutione Regia repraesentanda. Si vero controversiae et difficultates quaedam, quae superari capacitatione partium non possunt, enascerentur; antequam Comitatui Relatio fieret, hae omnes erecto in concernenti Sede dominali processu summario discuti debent. In hoc postulata Colonorum compendio proponere, Literas emtionales – venditionales, et si quae sunt alia probarum adminicula Fiscus Magistratualis assistens; Fiscus vero Dominalis ex parte Domini relationem Judicis Nobilium, et Jurassoris super aestimatione, et reliqua Documenta necessaria producere debent, debite discutienda, ita ut in singularum Exstirpaturarum naturam et indolem indagetur, ac ita qualitas earundem defigatur, 3) suaque serie decidatur; lata vero Sententia, Processus (in crudo maculatorio) per coassidens Legale Testimonium Sedi Judiciariae Comitatus concernentis referatur, et ab ea revisus Consilio R. L. submittatur, ab hoc vero Suae Majestati pro elargienda Resolutione praesentandus. Qua elargita juxta eandem Exstirpaturae praesente Legali Testimonio exstirpantibus exsolvuntur, et ab illis recipiuntur. Dominium pro securitate sua super exolutione hac litteras testimoniales a Le-

gali Testimonio, nonnunquam particulares etiam quietantias per Testimonium legale coramisandas a Colonis super exsolutis abaestimatis Exstirpaturis sibi dari curat. Si vero Coloni in sensu Resolutionis pretia Exstirpaturarum levare nollent; haec ad Cassam Comitatus in sortem Contributionis per eosdem pendendae imputanda deponantur, per levantem Cassae contributionalis Perceptorem quietantia desuper data. Et haec fere observanda sunt etiam peracta abaestimatione in Processu initio statim ad reluitionem Exstirpaturarum suscitato. (Instr. Ex. Mag. C V, § 30; Intimat. Consilii de 28-a Maji 1799, Nro 12962; Res. Reg. 25-a Apr. 1771 intimata citata; et usus; quoad Slavoniam Punctum Regulator. Urbarii Slav. 7-um). Si Exstirpaturas penes Conventionem amicam (amicabilem tractatum) inter Dominum et Subditum ineundam recipere intendatur; Resolutiones Regiae ddo 13-ae et 23-ae Aprilis 1772, Nro 1760, 1853 Comitatui Simeghiensi intimatae instar r e g u l a e g e n e r a l i s observari volunt, ut accurata semper Exstirpaturarum Conscriptio, et aestimatio secundum principia praescripta instituatur, et Instrumentum Combinatorium (praetium aestimationale et conventionale obtutui sistens) una et amica conventio, cum opinione Consilio L. R. per Comitatum submittatur. 5)

1) Si non facile Controversiae et Difficultates praemetuendae sunt, prior methodus praeferenda est posteriori utpote et sumtuosiori et longiori; secus vero hic adoptandus. Caeterum etiam hic melius Conscriptione et Aestimatione jam instituta, Processus erigitur. Nonnunquam reluitio Exstirpaturarum cum Rectificatione conjungitur.

2) Hoc tamen in rebus his minus versatus non ita intelligat, quasi singulae Exstirpaturae aestimarentur; hae enim secundum plagas majores (di-

verticula) ejusdem videlicet qualitatis ad semel aestimantur, ductu Resol. Regiae normalis.

3) Secus Processus per Consilium remittuntur pro accuratiori pertractatione (Intimatum Consilii de 28-a Maji 1799, Nro 12962).

4) Documenta praecipua, quae in Reluitione, et respective Processu Reluitionali Exstirpaturarum producuntur, sunt sequentia:

a) Conscriptio Exstirpaturarum; per aestimantes Judicem Nobilium et Jurassorem conficienda. Haec bene est discernenda ab illa Exstirpaturarum Conscriptione, quam Exequentes Magistratuales occasione Regulationis Urbarialis primaevae peregerunt (Instr. Ex. Mag. C II § 5); quae nempe pro scopo habet, ut Subditi in Exstirpaturis per se possessis, usque reluitionem illarum conserventur, neve praestationes ab illis obvenientes augeantur. Contra prior ideo instituitur per aestimantes Magistratuales, ut natura et indoles Exstirpaturarum reluendarum accurate eruatur, ut sic Sedes dominalis, Sedria, et altiora Dicasteria quomodo, et an reluitio secundum principia praescripta evenerit, uno quasi obtutu edoceantur, et informentur; quare etiam capita (rubricae) hujus Conscriptionis reflexe ad principia haec accommodari debent. Sunt autem in specie Conscriptionis hujus hae fere rubricae: 1-a Nomen, et Cognomen possessoris. — 2-a nomenclatio diverticulorum, in quibus Exstirpaturae sitae sunt. — 3-a Numerus topographicus. — 4-a Exstirpaturae per ipsum possessorem factae, a) agrorum jugera, b) pratorum falcastra. — 5-a Exstirpaturae per possessorem emtae a) agrorum jugera b) pratorum falcastra. — 6-a tempus exstirpationis. — 7-a habetne indultuales. — 8-a ab illis (Exstirpaturis) in A) pecunia vel B) operis a) jugalibus b) manualibus vel C) naturalibus hucusque praestabatur. — 9-a an Conscriptionem Comitatensem ingressae, vel secus pro objecto Contributionis computatae fuerint. — 10-a Classis Exstirpaturarum, secundum quam pretium earundem determinatur. — 11-a pretium pro ratione Classis obveniens in fl-nis X-ris. — 12-a Pretium Exstirpaturatum emptitiarum. 13-a summa pretii utrorumque in fl-nis et X-ris. Variant tamen hae rubricae pro ratione cir-

cumstantiarum, et a prudenti arbitrio conscribentium habita ratione principiorum circa Exstirpaturas stabilitorum dependent. — Conscriptio secundum Rubricas exhibitas deservit quasi pro paradigmate generali, quod cuivis casui speciali adaptari potest. Caeterum in praxi nihil magis vidi arbitrarium, quam concinnationem rubricarum hujus Conscriptionis. Sic v.g. Classis Exstirpaturarum exmittitur saepe; quia illa in Relatione continetur. Sic etiam rubrica 9-a exmitti solet, et de ea peculiares Testimoniales confici; Exstirpaturae emtae penitus exmittuntur, de quibus Liquidatorium Instrumentum conficitur, et sic porro. Quo tamen plures continet rubricas ad rem facientes ejusmodi Tabella eo perfectior est, et eo magis fini suo respondet. Ut assertum meum de varietate Conscriptionis hujus exemplis quoque confirmem, produco duas formas in satis magni substrati Processibus duobus exhibitarum Conscriptionum sub P et P Nro 1. Prior certe longe est aptior, quam posterior; quae fere convenit cum forma, secundum quam Exstirpaturae per Comitatum pro Dica conscribi deberent. In fine Conscriptionis subnectitur per Conscribentes recognitio de suo modo abaestimatis Exstirpaturis juxta formas sub Q et Q Nro 1. Posterior deservit pro casu, si reluitio Exstirpaturarum cum Rectificatione Urbariali conjungatur.

b) Relatio (Relatoriae) de Abaestimatione Exstirpaturarum. Hujus tenor convenit cum tenore nunc memoratae Recognitionis.

c) Testimoniales de eo, quod Exstirpaturae pro objecto Contributionis assumtae non fuerint. Exhibetur stylus earundem sub R.

d) Inhibitio Colonorum, ne Exstirpaturas faciant, aut vendant. Stylus ejusdem duplex exhibetur sub S, et S Nro 1. Prior medio currentalium peracta generalis est; posterior vero personalis adeoque specialis relate ad singulos Colonos. Haec praeferenda.

e) Liquidatorium Instrumentum; quod summas Exstirpaturis emtis, venditis, cambiatis etc. inhaerentes edocet (liquidat) relate ad singulas Exstirpaturas, et Exstirpantes. Rubricae ejus ex

praecedentibus per se clarae, nulla uberiori ex- explicatione egent. Forma exhibetur sub T.

f) Instrumentum Exolutorium. Docet summarum investitarum, quae legitimatae, adeoque et Exstirpantibus adjudicatae sunt, coram Legali Testimonio Exolutionem. Forma ejus producitur sub U.

5) Quod aliqui dicunt, receptionem Exstirpaturarum conventione amica locum generatim non habere, sine fundamento dicunt; locum habebit, si, et sub quibus modificationibus per altiora Fora approbata fuerit; potest enim non tantum Domini sed et Subditorum interesse, potius penes Conventionem negotium hoc conficiendi. Juvat tamen semper Fiscum Magistratualem accire.

CAPUT IX.

DE MIGRATIONE COLONORUM.

§ 27.

De tempore et modo ac restrictione Migrationis Colonorum.

Ultima Lex in Codice, quae Subditis omnibus libere ab uno ad alium Dominum migrandi facultatem tribuit, est articulus 35-us 1791 1) – Hic idem conditiones quoque observandas a Colonis migrare volentibus has praescribit:

1-o) Colonus intentionem migrandi circa festum S. Michaëlis Archangeli Domino terrestri manifestare debet, et dein festo Gregorii Papae (12-a Martii), adeoque non absque praevia suo

tempore, insinuatione, neque quovis anni tempore, migrare potest. (1791, a. 35)

2-o) Terminus tamen hic tantum ita subservit Colono, si debita tam publica, quam privata quaevis ante depuravit, secus enim migrare nullatenus potest.

3-o) Ne vero Colonus per clanculariam migrationem Dominum terrestrem aliosque, quibus videlicet adhuc re vel opera tenetur, defraudare possit; vetatur receptio Coloni cuivis Domino terrestri, nisi ille testimonialibus prioris Domini terrestris, et Vice - Comitis 2) concernentis Comitatus instructus sit, sub poena contra fugitivorum Colonorum detentores statuta (100 florenorum), et persolutione quorumvis debitorum tam publicorum, quam privatorum per ejusmodi Colonum sub priori Domino terrestri (in priori loco) contractorum; praeterea si ad consequendam hanc poenam, et persolutionem debitorum prior Dominus terrestris Fiscus Magistratualis vel privatus, cujus interest, Processum movere debeat, etiam expensarum in illum factarum refusione tenebitur 3) (1791, 35). Dominus terrestris vel alter privatus movet hunc processum coram Judlium illius Comitatus, in quo Dominus terrestris recipiens constituitur sensu 101 1715; Fiscus vero Magistratualis coram Sedria ejusdem Comitatus. Fundant ambo actionem suam in 35 1791, et citato 101 1715. - Sed quaeritur, cui cedat poena 100 florenorum? Hanc poenam utique tantum semel luit Dominus terrestris absque testimonialibus Colonum recipiens; si adeoque diversi Processus per Dominum terrestrem, Fiscum Magistratualem et alios, quorum interest, moveantur, quod utique fieri potest, tantum in uno Processu poena haec peti, et adjudicari potest, in quo ergo adjudicabitur, et cui cedet?

Ego hanc poenam habeo pro publico politica, quae non ob laesa jura privata, Dominus enim terrestris vel alter jus in personam Coloni, absque Dimissorialibus migrantis non habet, sed ob turbatam securitatem et ordinem publicum per legislatorem dictata fuit; adeoque haec nec a Domino terrestri, nec altero privato, sed directe tantum a Fisco Magistratuali concernentis Comitatus peti potest, et cedit Cassae Comitatus publicae. Processus ad repetitionem fugitivi Coloni amplius locum non habet; Dominus enim terrestris jus habet ad illud, quo ipsi Colonus tenetur, – et hoc consequendi modum per legem statutum nunc vidimus, – nullatenus vero in personam ejus, sublato jobbagionato perpetuo 4). Dominus terrestris Colono migrare volenti Testimoniales sub poena plagii, – neque enim processus repetitorii jam obsoleti poena triplicata huc applicari potest, – si Vice – Comes jam dedit, denegare amplius non potest (1791, 35),

4-o) Facultas migrandi tantum ad Colonos singulares restricta integris Communitatibus neutiquam (nisi in peculiaribus omnino adjunctis rarius locum habentibus) competit. Imo etiam Colonorum singularium migrationes cum desolatione locorum et notabili fundi publici (contributionalis) detrimento conjunctae vetantur; ne autem locum habeant, cura concernentibus Comitatibus imposita (1791, 35; vide etiam Res. Reg. de 24-a X-bris 1771, Nro 6422 – Com. Bacs. 13-a Jan. 1772 Nro 182 intimatam).

1) Sublato Colonicatu perpetuo, et restituta facultate libere migrandi, dispositio Urbarii: „Demortuorum Colonorum Viduae se praescripto a. 21 Ulad. D. VII accommodent, idest etiamsi alteri nupserint, praeter Do-

minorum suorum permissionem ex domo recedere nequeant; secus substantia earundem arbitrio Domini terrestris subjiciatur" quae ex duris illis temporibus, quibus Coloni jugo perpetuae rusticitatis subjecti fuere, originem trahit, intercidit, et pro abrogata habenda est. Pro abrogato habendus est etiam 30 1630 § 4, vi cujus praecipitur ut „Colonicalis — conditionis personae nullo modo nobilitentur; nisi obtento speciali consensu, et commendatione Dominorum terrestrium, et Comitatus: Alioquin Armales litterae Impetratoribus minime suffragentur: Verum ii Dominis-Terrestribus instar aliorum Subditorum subesse teneantur" relate videlicet ad consensum dominorum terrestrium. Et hinc etiam ratio secundaria Decisionis Curialis de Actoratu personali 5-a „quatenus ille, qui erga „personam ejusmodi praetensi Nobi-„lis sibi jurisdictionem vendicat, jus „suum sustentare possit" cessat.

2) In praxi testimonium Vice — Comitis tantum tunc requiritur, si Colonus ad alium Comitatum migrare intendat; in eodem Comitatu sufficit Testimonium solius Domini terrestris.

3) Decisio Curialis Liquidorum Debitorum 19-a „Si Dominus Terrestris apud Jurisdictionatum suum Debitum contrahat, iste vero profugiat, et postea Dominus ille Terrestris, sub cujus jurisdictionem se recepit, ad desumtionem praescripti debiti processum suscitet, in tali casu Actoratus eousque sistitur, donec profugus ille obligationi suae secundum Leges de migratione Colonorum sancitas, satisfaciat, quia Leges solum veris et legitimis Dominis Terrestribus nomine Colonorum vel Jurisdictionatorum suorum agendi facultatem tribuunt, talis autem, qui Colonum alterius profugum sub protectionem suam recipit, pro legitimo ejusdem Domino Terrestri reputari nequit, donec cum priore Domino concordet" Decisio inquam haec sublato Colonicatu perpetuo, adeoque et jure in personam Colonorum, amplius vigorem habere nequit.

4) Ex eadem ratione Processus ille nec tunc locum habebit, si Subditus vi abducatur, et detineatur; violenta haec abductio, et detentio est plagium (Menschenraub), quod actione publica criminali per Fiscum Magistratualem concernentis Comitatus vindicari, Colonus vero auctoritate Magistratus Comitatensis statim libertati restitui debet. Idem quoque locum habere debet, si Dominus Colonum migrare volentem, qui conditionibus praescriptis satisfecit, vi detineat. Ex eadem tandem ratione Dominus terrestris Colonum ex uno Comitatu ad alium sub poena plagii transferre non potest. Processusque eapropter ad consequendam poenam homagii abducti Coloni cessat. (vide etiam Res. Reg. de 21-a Aug. 1782, Nro 7988 circularem)

§ 28.

De Superaedificatorum, et reliquarum in fundis per Colonos relinquendis Meliorationum venditione.

Quod attinet superaedificata, et alias fundorum per Colonum migrantem possessorum meliorationes immobiles (terrae infixas); 1) haec quidem secundum pretium, aestimatione per Judicem Nobilium eatenus requisitum (stricte loquendo coram his per vicinos et commetaneos prius juramento adstrictos) cum interventu (influxu) Domini terrestris, conscientiose peragenda erutum, una cum fundis (quod per se intelligitur) vendere potest. In aestimatione tamen horum, velut ad Dominum terrestrem pertinentium, uti et materialium a Domino pro meliorationibus his suppeditatorum, ratio nulla haberi, seu aestimationem ingredi non debent (1791 35). Aestimationem meliorationum in Banatu (Urb. Ban. C I § 2, 8-o) et illis locis, in quibus libera emtio et venditio fundorum colonicalium

obtinet, adjicitur etiam summa illa, qua fundus comparatus fuit, quae summa investita seu investitura communiter appellari solet. Potest tamen emtor fundos, seu potius meliorationes eorum, supra pretium aestimationale, (et investitum) emere, neque semper damno suo; dum enim Dominus terrestris ejusmodi fundos ab emtore iterum abaestimari curat, novam utique eorundem aestimationem institui curare debet, et secundum illam exsolvere, potest autem pretium aestimationale rei ob diversa adjuncta crescere, et hinc nonnunquam etiam ejusmodi emtio lucrum adferre emtori. Si vero pretium aestimationale adjunctis temporum decrescat ita, ut instituta nova aestimatione praesens pretium aestimationale priori minus evadat; tamen Dominus terrestris prius ut summam legitime investitam Colono persolvere debet. In fundis urbarialibus utique nullum est periculum, cum eorum ab emtore abaestimatio tantum fere culpa illius evenire possit (vide § 5 a) Part. 1 huj. op. et 1791 35).

Si Colonus migrans emtorem non reperiret, meliorationes terrae infixae cedunt Domino terresiri (1791 35).

Hoc tamen de fundis tantum stricte urbarialibus (praeprimis sessionalibus, et inquilinaribus) intelligendum est, qui nihilominus absque mora novis Colonis provideri debent, ne fundus contributionalis detrimentum patiatur. (35, 1791) Fundi industriales, Vineae praesertim et Exstirpaturae aliique etiam Colonis migrantibus, dummodo praestanda ab illis praestent, adimi non possunt.

1) Quod attinet Meliorationes mobiles, de iis Colonus migrans libere omnino disponere potest, adeoque illas vendere vel secum accipere prout ipsi libet.

SECTIO II.

DE JURISDICTIONE DOMINALI ET CONSECTARIIS EJUSDEM.

CAPUT I.

DE JURISDICTIONE DOMINALI.

§ 29.

Notio Jurisdictionis, et determinatio, quis et quomodo ei subsit?

Jurisdictio Dominalis, aliter Patrimonialis icta, est facultas (potestas) Domino terrestri ompetens causas sive inter se, et Colonos sus, seu inter hos et alios ut actores, controersas secundum praescriptum legum decideni, ac delinquentes Colonos puniendi.

Sed non omnis Colonus aequali ratione Juisdictioni Dominali subest; ut autem quis et uomodo ei subsit, clare intelligatur, altius em repetere, necesse est.

Omnis Jurisdictio obligationem aliquam suponit, quae ansam ipsi suppeditet, ut efficaiam suam exerere possit. Obligatio autem nacitur aut ex facto licito, seu pacto (contractu onventione) et quidem vel Nexu Subditelae, el alio pacto; aut ex facto illicito seu delito, (excessu crimine). Contractus seu verus,

sive quasi contractus iniri potest vel intuitu rei, (do ut des, vel facio ut des), vel intuitu operae per unum vel alium contrahentem praestandae (do ut facias, vel facio ut facias), vel demum intuitu rei et operae simul. Res potest esse mobilis, vel immobilis; haec vel fundus (una cum accessoriis superaedificatisque) dominalis stricte talis vel colonicalis (rusticanus). Delicta autem possunt esse vel politica (quorsum et detrectatio obligationum e Nexu Subditelae profluentium refertur) vel criminalia (utraque secundum naturam suam).

His praemissis facile videre est, quod cum omnis Jurisdictio vel intuitu rei, vel personae exerceatur; omnis porro Jurisdictio in regula territorialis sit, tantum res et personae intra territorium dominale existentes objectum ejus esse possint. 1) Fundi in specie debent esse et in territorio, et simul de territorio, ut dici amat.

Utrique Jurisdictioni dominali tam personali, quam reali subsunt tantum Coloni, qui ratione status, aut characteris civilis alteri non obnoxiantur, quive stricte tales appellantur, sive dein sint Coloni sessionati, seu Inquilini, aut etiam Subinquilini 2) (vide Tractatum Verböczii de Jobagionibus seu Villanis titulo 25, et sequentibus; etiam § 1 huj. op.). Nobiles 3) prout etiam Libertini (Agiles) seu ignobiles bona nobilitaria jure perpetuo (materno, uxoreo) vel temporaneo (pignoratitio, arendatitio) possidentes, aut vi status, characterisque civilis quoad personam suam et quae eam sequuntur res mobiles (1546 41, 1635 21, 1647 78, 93 pr, 1715 36, et relate ad ignobilium vi characteris sui civilis, quoad personam suam a jurisdictione dominali exemtorum res mobiles ab analogia eorum; vide etiam Dec. Cur. 5. pag. 172 editio

1-a) alteri jurisdictioni subjacentes, cum nemo quoad personam duabus jurisdictionibus subesse possit, a Jurisdictione Dominali personali eximuntur (nisi sponte se eidem subjiciant), et tantum eidem quoad fundum colonicalem 4) (non dominalem stricte talem) obligationes item ex usufructu vel dominio utili ejusdem intuitu Domini promanantes 5) aliasque, quas pactum cum aliis ratione illius (fundi) initum producit, obnoxiantur.

1) Quaeritur an v. g. vinicola, qui quidem vineam in territorio Domini terrestris A possidet, sed in territorio Domini terrestris B habitat, Jurisdictioni personali hujus vel illius subsit? Utique hujus. — Effatum igitur Resolutionis Regiae 26-a Aprilis 1773 per Consilium intimatae contrarium tenens sustineri non potest, quia nemo duabus Jurisdictionibus quoad personam suam subjectus esse potest.

2) Etiam ignobiles, qui in famulitio apud quoscunque in territorio Domini terrestris habitantes existunt; subsunt Jurisdictioni dominali utrique.

3) Est quaestio non tantum Jurisprudentiae speculativae, sed et Foris ipsis controversa (vide Resolutiones Regias 27-a 7bris 1808, Nro 21651, per Ex. Consilium ratione Oppidi Ketskeméth ad Principem Franciscum Koháry pertinentis Com. Pestiensi intimatam, et aliam in nexu hujus 24-a Febr. 1818, Nro 5308, ad eundem Comitatum emanatam), an nobiles in Fundis rusticanis degentes quoad res mobiles Jurisdictioni Dominali, vel Comitatensi subsint? — Notandum imprimis, quod leges quaestionem hanc tantum indirecte attingant; igitur et applicatio ejusdem casuumque specialium ad leges tantum indirecta est, dum videlicet id, quod per illas ratione rerum mobilium ad nobiles in civitatibus liberis et regiis degentes pertinentium statuitur, ad ipsas quoque res mobiles nobilium in fundis rusticanis habitantium accommodatur. Nobiles vero in civitatibus degentes, qui extra territorium illarum possessorium nobilitare habent,

secernendi sunt a nobilibus, qui possessorio ejusmodi carent; inter hos vero qui sunt indubitatae nobilitatis distinguendi sunt ab illis, qui suspectae sunt nobilitatis.

His praemissis censeo, quemadmodum nobiles extra territorium civitatis possessionati hujus jurisdictioni non subsunt, eidem vero subjiciuntur nobiles suspectae nobilitatis, tam quoad res, quam personas; ita idem relate ad nobiles in fundis rusticanis degentes ab analogia subsistere *). Ut adeo tota quaestio feriat tantum res nobilium in fundis rusticanis degentium impossessionatorum. Quamvis autem quaestio haec (relate ad Civitates) legibus non sibi satis cohaerentibus pro et contra decidatur; posteriores tamen prioribus utique derogantes, usus item, et argumentum, quod omnium nobilium eadem sit immunitas et praerogativa aliaque, auctoritas demum Curiae (Dec. Cur. 2-a de Judicatu) satis ut mihi quidem videtur et etiam meo condam Magistro juris **) videbatur, evincunt; personas et res nobilium a Jurisdictione civica, adeoque et res illorum nam de illis solum hic agitur (ab analogia vero etiam Libertinorum) a jurisdictione dominali exemptas esse.

Adferuntur contra hanc sententiam argumenta aliqua in Constitutione Rei Urbarialis (a Concipista Pauly edita; pag. 49), sunt haec levis ponderis. Sed quia non omnes lectores ea perspicacia juris pollent, ut earum levitatem perspiciant, brevibus refutabo.

Argumentum 1-um. Dominalis successio in rebus mobilibus (generatim) ex ipsa natura jurisdictionis dominalis profluit. Resp. Ita est; sed quaestio quando successio in rebus mobilibus Colonorum Dominio competat, ipsá controversa est. (vide Caput sequens)

Argum. 2-um. Usus immemorialis; nam ex illo latus est articulus 62 1715, quoad nobiles in fundis colonicalibus degentes proprietario obligatos. — (vide Caput sequens) Resp. Ipsum hoc controversum est, an nobiles in fundis colonicalibus degentes proprietario quoad rem mobilem obligâti sint (vide Caput sequens).

Argum. 3-um. Sed usui huic convenientes existunt Decisiones plures. Resp. Etiam illi contrariae vide Caput sequens.)

Argum. 4-um. Provisio art. 93 1647 nobiles quoad personas, et res mobiles a Jurisdictione civica eximens alterata est per articulum 20 1649, et art. 49 1681; adeoque analogia adducta non subsistit. — Resp. subsistit; articulo enim 20 1649 articulum 93 1647 magis declarante Magistratuales Comitatenses res mobiles nobilium in Civitatibus degentium, ibi existentes in Executionem sumere possunt; articulo vero 49 1681 residentiam Generalatus Confiniorum Ujvarino oppositorum quantocyus determinandam SS. et OO. supplicant!!!

Argum. 5-um. Evictum est ex a. 17 1649, res mobiles immunitate personae nobilis non gaudere. — Resp. minime; per facultates enim, a quibus Decimae. et aliae contributiones ab Armalistis civitatensibus pendi debent, fundi immobiles utique intelligi debent in articulo citato.

Argum. 6-um. Quemadmodum fundi colonicales, ita et fructus eorum, et comparatae ex illis res mobiles Jurisdictioni Dominali subjiciuntur tamquam accessoria. Resp. Argumentum hoc, ut breviter respondeam, tantum ibi adhiberi potest, ubi lex contrarium non disponit. Caeterum non omnes res mobiles ex fructibus fundòrum comparantur; non enim hic unicus est res mobiles acquirendi modus.

Argum. 7-um. Dum successores Coloni nobilis ad successionem, vel divisionem agunt ratione fundi rusticani, extendunt institutum utrumque etiam ad res mobiles, et debent etiam extendere; quia secus successio et divisio duplici processu posci deberet, uno quoad immobilia, altero quoad mobilia, quod legibus ignotum est, et praxi judiciariae. Ergo jurisdictio dominalis subsistit etiam quoad res mobiles nobilium in fundis rusticanis degentium. Resp. Omnino, si jurisdictioni nobilitari quoad illas renuncient, et in dominalem consentiant, quod in casibus citatis fit; volenti enim non fit injuria, et dispositio hominis tollit dispositionem legis. Quod autem praxi judiciariae ignotus sit

duplex processus memoratus, ratio est, quia et ad compendium litis, et lucrandum tempus, et ipsas expensas inaniter non profundendas, et tandem nexum quoque rerum mobilium et immobilium, utique summae stoliditatis si non impossibile foret, duplicem processum suscitare.

Argum. 8-um. Liquida quoad Debita praescripto 21 1635 nobiles ratione debitorum in civitatibus contractorum ibidem respondere debent; quae lex respectu Oppidorum aeque condita, uti testatur Decisio in causa liquidi Debiti Judithae Birò contra nobiles Nyáry (1784) coram Oppidano Magistratu Ketskemét levata. Resp. Lex citata per 1647 78 § 5 et 93 pr. nobiles quoad personas et res generatim a Jurisdictione civica eximens sublata est, adeoque analogia non subsistit. Decisionis motiva non adferuntur, sine quibus in probam asserti produci, in omnem vero casum legi derogare non potest.

*) Nisi forte Nobiles suspecti ratione characteris exemti essent a Jurisdictione civili.

**) Vide Kelemen Lib. 1, pag 286 sequent. Edition. 1-am.

4) Coloni stricte tales etiam ratione fundorum dominalium stricte talium seu allodialium, v. g. exarendatorum Jurisdictioni Dominali subjiciuntur; quia haec est Jurisdictio illorum ordinaria. Clausula itaque in Contractibus arendatitiis, ut se subjicere debeant Jurisdictioni dominali, est inanis.

5) Decisio de Judicatus Quaestione 4-a: „Si Vinea per personam ignobilem sub onere praestandi juris montani possessa, sub possessorium personae nobilis deveniat, et ista uno alterove anno ab eadem vinea jus montanum non praestet, atque ideo ad Sedem Dominalem citetur, Judicatus condescendit, praeterquam enim quod Judicatus Sedium Dominalium contra nobiles articulis 2 1638 et 22 1647 limitatus sit, acquisitio insuper actoris tendit his in circumstantiis ad redintegrationem amissi usus, quam coram legali Judice prosequi debet“ caret fundamento juris; articuli etiam citati non de Nexu Subditelae, sed potius feudali loquuntur, adeoque huc applicari non possunt. Etiam Sedes Dominalis est Judex legalis.

§ 30.

Divisio Jurisdictionis Dominalis in Civilem, Politicam, et Criminalem; definitio item limitum, quibus quaeque harum clauditur, in abstracto.

Jurisdictio tribuitur communiter in Civilem, Politicam, et Criminalem, ratione videlicet objecti, fororum a quibus, et formae qua exercetur (procedurae).

Relate ad hanc divisionem Jurisdictionis 1-o) evolvenda sunt objecta, quae ad hanc vel illam spectant, seu determinandi limites harum Jurisdictionum (§ 30, 31) 2-o) determinanda Fora, quibus haec vel illa competit Jurisdictio, simulque Procedura in illis enucleanda (§ 32).

Determinatio recta limitum Jurisdictionis Civilis, Politicae, et Criminalis ut summe est necessaria, praesertim in statu monarchico, ne omnia in transversum agantur, ipsaque tandem evertatur; ita et magnis laborat difficultatibus in abstracto, maximis vero in concreto. Nolo me hanc in rem uberius immittere, eo minus theorias doctorum juris recentiores discutere; solummodo ut res haec tanti momenti clarius perspici possit, praecipua quaedam illius momenta in abstracto attingam. Sequar principia Consiliarii aulici Pratobevera 1) recentissima, quae mihi nota sunt, et ut mihi videtur, rem hanc intricatam clarissime et maxima cum determinatione evolventia.

Omnes administrationis publicae partes unum tantum habent finem communem, et eundem Societatis civilis, (bonum commune, publicum, salutem civitatis, securitatem jurium a

diversis juris publici doctoribus appellatum). Igitur rami administrationis publicae nullius nota characteristica (distinctiva) in antithesi cum alio finis hic societatis esse potest; adeoque scriptorum discernentium justitiae (juris) objecta (ad Jurisdictionem civilem pertinentia) a politicis ita, ut haec salutem publicam (öffentliche Wohlfart) illa vero securitatem jurium privatorum respicere dicant, falsum est judicium; nam et posterior constituit partem praecipuam et essentialem prioris. – Est tamen cuique parti administrationis publicae finis quidam immediatus (proximus), per quem ad mediatum, et ultimum tendit. Sic administratio rei aerariae curam sumtuum publicorum, administratio justitiae securitatem jurium privatorum, exercitium (administratio) juris puniendi (Strafrechtspflege) punitionem jam commissarum laesionum (violationum), politia (in sensu latissimo) praecautionem omnis generis laesionum ex causis sive physicis, sive moralibus finem proximum immediatumque habent.

His praemissis notio objecti justitiae haec datur: quod sit persecutio et decisio controversae ad jus privatum pertinentis, seu coactionis capacis praetensionis civium inter se, in quantum fines reliquarum administrationis partium simul subsistere possunt. Est

1-o) persecutio juris privati, ad cujus agnitionem quisque per judicium cogi potest. Igitur praetensiones, expectationes, quae jura privata sunt coactionis expertia, v. g. remunerationes, res gratiae, favores, et munera (officia); porro jura publica (politica), quae secundum leges fundamentales, vel ab integris statibus, vel singularibus etiam personis, v. g. nobilitate, clero etc. praetenduntur; demum praetensiones su-

bditorum contra imperantem ut talem, objectum justitiae non constituunt. Si ab administratione publica (politica) ipsa nos laesos censemus, sive per dispositiones ejus, seu ab ministris, et organis ejus occasione functionum suarum, executionisque legum, remedium vel apud laedentem Jurisdictionem ipsam, aut superiorem vel imperantem quaerendum est; ex simplici illo fundamento, quod administrationis publicae rami diversi a potestate judiciaria non dependeant quoad actiones muneris sui (officiosas), tantumque superiori jurisdictioni, vel imperanti eatenus respondere teneantur. Si subditus apud imperantem remedium non obtineat; supponi potest tute, querelam infundatam fuisse. Aliud est, si controversia de obligationibus juris privati non e Nexu Subditi profluentibus sit; tunc judiciariis foris omnino subest. Sic saepe apud nos locum habet actio privati adversus Fiscum.

2-o) Objectum justitiae praetensionem controversam supponit. Hinc omnes functiones jurisdictionis ita dictae voluntariae 2) ex ambitu Jurisdictionis civilis merito excluduntur. Hae enim functiones, quae acquisitionem jurium, et legalitatem actionum securam reddunt 3), juraque acquisita civium sub peculiari legum tutela constitutorum v. g. pupillorum conservant, non fluunt ex natura Fororum judiciariorum; verum ramum constituunt administrationis executivae (politicae), quae laesiones omnis generis praecavere debet.

3-o) Objectum aliquod in tantum est justitiae, in quantum fines proximi reliquarum independentium administrationis publicae partium simul subsistere possunt:

a) Multa enim negotia videntur tantum jura privata civium inter se involvere, verum ex-

perientia, ipseque nexus naturalis administrationis ramorum diversorum palam faciunt, quod hi fines proximos assequi non possent, si negotia ejusmodi ab illorum sphaera abstraherentur. Si igitur magis interest negotium civitatis, quam privatorum; illud non obstante quaestione quoque juris privati interveniente, ad sphaeram Jurisdictionis politicae pertinebit. Hinc mutuae inter Dominos, et Colonos praetensiones juris e nexu Subditelae profluentes ad administrationem politicam etiam in Hungaria spectant; quia ne Domini (politica) correlatione adversus Subditos suos abutantur, non tantum illius, cujus res agitur, sed omnium in simili correlatione constitutorum interest.

b) Saepe negotium aliquod diverso quidem respectu et politicum est, et justitiae. – Tunc utique et unius, et alterius Jurisdictionis exercitium in sphaera sua subsistere potest. Sic apud nos occupatio via facti rerum seu mobilium, seu immobilium partim via politica, ne videlicet securitas publica laedatur, partim via juris ordinaria, ad decidendam quaestionem juris privati inter duos litigantes controversi circa rem occupatam vindicatur. Haec est vera intentio, verusque spiritus legum novellarium de repositione via summaria agentium.

c) Si non executio vel applicatio legis politicae, sed tantum jura inter cives ex illa profluentia subversentur; haec decidere ad Jurisdictionem civilem pertinebit.

d) Sed et Legum politicarum multarum omnino et momentosarum applicatio, et executio, quae celerem aut peculiarem proceduram non desiderant; propter propiorem momentosum nexum cum statu civium juris privati foris judiciariis tribui solet. Sic v. g. leges relate ad im-

pedimenta publica matrimonium dirimentia, amortisationis, intuitu acquisitionum, leges item ratione jurium et obligationum fisci in casibus confiscationum, successionum ex defectu etc. et aliae quam plurimae sunt natura sua politicae; subsumtio tamen casuum singularium, et decisio Jurisdictioni judiciariae, et in Hungaria et alibi v. g. in Austria delata habetur.

Haec quoad limites inter Jurisdictionem praeprimis politicam, et civilem.

Jurisdictio Criminalis seu potius administratio juris puniendi (Strafrechtspflege) est peculiaris administrationis publicae ramus, distinctum et finem, ut vidimus, et principia habens diversa a jure privato. Conjunctio igitur Judicii Criminalis (vel potius punientis) cum Civili in eodem subjecto juxta systema Judiciorum cujusdam Status, uti v. g. Hungariae generatim, Austriae vero quoad Forum supremum, et Fora appellatoria judiciaria, arbitraria tantum est, et accidentalis.

1) Vide Materialien für Gesetzkunde, und Rechtspflege. Wien 1815. Erster Band. pag. 1-a seq.
2) Vide Kelemen Libro III. pag. 1308-a editio 1-a.
3) Sic apud nos in Hungaria authentica Loca (credibilia) ejusmodi functiones politicas peragunt, in authenticatione fassionum, revisione aetatis pupillorum etc. Idem personae authenticae faciunt.

§ 31.

De distinctione objectorum ad Jurisdictiones diversas spectantium in Hungaria A) relate ad cognitionem et decisionem controversiarum, B) relate ad jus puniendi; et de fundamento Jurisdictionis dominalis.

Ita objectis Jurisdictionum civilis (judiciariae) politicae, et criminalis in abstracto, et

generatim quantum fieri potuit determinatis; videndum est, quomodo objecta concernentia inter Jurisdictiones has in Hungaria in specie relate ad Colonos distributa sint:

A) Quod attinet primam partem Jurisdictionis dominalis, decisionem controversiarum; controversiae, quae e Nexu Subditelae profluunt (querelae urbariales), pertinent ad Jurisdictionem politicam, seu singulares Colonos, seu Communitatem *(1792 12)*, illosque seu proprie seu improprie tales respiciant.

Per Nexum autem Subditelae non ille hic tantum intelligitur, qui ex usufructu, dominiove utili fundorum urbarialium proficiscitur, verum etiam ille, qui ex usufructu dominioque utili fundorum non urbarialium (industrialium) nascitur; adeoque Jurisdictio politica non tantum ratione fundorum urbarialium, sed etiam non urbarialium, obligationumque et jurium inde profluentium locum habet. Verum quidem est, principium hoc saepe modificationem patitur, ita ut controversiae Colonorum non proprie talium praeprimis singularium, et ratione fundorum non urbarialium, (censualium) contra Dominos, et horum contra illos per Jurisdictionem civilem saepe dijudicentur. Hoc ideo, quia videlicet juris via ordinaria quoad quaedam objecta Nexum Subditelae respicientia (urbarialia) jam ante introductam Regulationem urbarialem trita, per hanc vero expresse sublata non fuerit, tolereturque adhuc hodie per administrationem publicam relate ad illos casus, in quibus summum illius, et Jurisdictionis politicae relate ad Nexum Subditelae principium, c o n s e r v a t i o videlicet c o n t r i b u e n t i u m (plebis contribuentis) j u n c t a q u e e i f u n d i c o n t r i b u t i o n a l i s, ex quo videlicet Administra-

tio et Jurisdictio politica in omnibus et normis suis, et decisis procedunt, quodve ideo horum constituit spiritum, in quaestionem non venit, (uti fere in casibus memoratis) vel saltim non laeditur. 1) Hoc principium ex natura ipsa Jurisdictionis politicae fluit. Nihilominus normam statutam ut fixam et stabilem mutare arbitrarie non potest sine laesione civium singularium, quorum jura aeque tuenda sunt per administrationem publicam.

Regulas hic speciales dare non possum, sed nec dari forte possunt. Neque hoc asserere possum, quod in Austria infra Onasum juxta systema (urbariale) ibi introductum locum habet, 2) videlicet, quod controversiae e Nexu Subditelae profluentes tunc tantum respiciant Jurisdictionem politicam, si quaestio facti, secus vero si quaestio juris subversetur, civilem, v. g. quaestio, qua mensura et quomodo robotae praestari debeant, pertinet ibi ad decisionem Jurisdictionis politicae, quaestionem vero an robotae praestari debeant, seu an fundamentum, unde jus hoc deducitur v. g. Contractus, Privilegium validum, et vigorosum sit, decidit forum judiciale. Nam quamvis Decisio (17-a p. 15-a ed. 1-a) id statuat, quod discussio privilegiorum, et judicium de validitate eorumdem ferendum Sedi Dominali non competat, ex eo videlicet principio generali, quod fora inferiora non de litteris, verum secundum eas judicare debeant; cum tamen principium hoc ad fora judiciaria (de illis enim Decisiones latae sunt) non vero politica applicari debeat: quoad haec subsistere illam non posse per se clarum est; et factis quoque confirmari potest quam plurimis, Fora politica judicium de validitate Contractuum, et Privilegiorum tulisse. 3) Ex alia parte nec il-

lud negare possum, saepe Consilium vel Cancellariam Processum concernentem (urbarialem) vel ex integro, vel in quantum quaestiones stricte juridicae subversabantur, praesertim ratione Privilegiorum, ad Curiam pro ferendo eatenus judicio relegasse.

Reliquae controversiae omnes sive inter Dominum terrestrem, et Colonos, etiam proprietales, sive inter hos ipsos, sive demum inter Colonos, ut incattos, et alios ut actores vertentes ad jurisdictionem civilem spectant.

Exercet vero Dominus terrestris hanc Jurisdictionem vel in Sede Dominali, 4) vel extra illam. In regula omnes causae civiles contra Subditos suscitatae in Sede Dominali pertractari debent, adeoque Jurisdictio Domino terrestri tantum in illa competit, nihilominus Causae minutae praesertim inter Subditos vertentes, vel quae per partes cum renunciatione Sedis Dominalis Decisioni Domini terrestris, vel ejus Fiscalatui deferuntur; etiam extra Sedem dominalem cognosci et decidi possunt, ita tamen, ut parti non contentae deciso Domini terrestris, vel ejus Fiscalatus recursus ad Sedem Dominalem admittatur. In majoribus Dominiis multae querelae etiam majoris momenti, et Subditorum inter se, et aliorum contra hos partim complanantur, et amicis terminantur pactis, partim etiam deciduntur, salvo semper tamen parti non contentae ad Sedem dominalem recursu. 5) – Sedes autem dominalis in regula est forum primae instantiae; in privilegiatis tamen Oppidis, in quibus ab anno 1780 gremiales causas suas civiles coram magistratu locali (oppidano) promovebant, decisasque ex usu vel privilegio ad Sedem dominalem, vel Sedem judiciariam Comitatus concernentis appellabant; haec

ratio cognoscendi et decidendi, ac appellandi causas ultra quoque stabilita est, et respective intercidens medio tempore restabiliri jubetur (Intim. Cons. R. de 5-a Martii 1790, quoad publicam regni, reique justitiariae administrationem ad universas regni jurisdictiones dimissum.)

B) Quod attinet aliam partem Jurisdictionis dominalis, quae videlicet jure puniendi absolvitur: relate ad hanc Delictorum qualitas diversa eruderanda erit, antequam certi aliquid statui possit quoad objectum illius. – Delicta 6) mensuram quoad poenas accipiunt a fine civitatis, damno vel periculo in illam et Cives redundante, et gradu liberi arbitrii delinquentis. Finis civitatis securitas videlicet communis, vel alter aliquis juxta diversas theorias, potest varia ratione varia etiam mensura turbari, et quidem 1-o) per laesiones jurium proprie tales, quibus alterius sphaera juris coarctatur; 2-o) per laesionem mediorum, quae absolute; et 3-o) per laesionem mediorum, quae relative, idest spectatis loci, temporis, et societatis civilis circumstantiis necessaria sunt, ut laesiones juris et alia mala securitati internae impendentia praecaveantur. Laesiones juris vel possunt esse cum proposito (studio, dolo) conjunctae, vel sine illo evenire, adeoque tantum ex culpa; possunt item esse vel graviores vel leviores, secundum dupplicem mensuram supra memoratam. Idem hoc quoque dicendum est de laesionibus 2-i et 3-ii generis. Generatim laesiones 3-ii generis pro levioribus reputari solent. Laesiones porro 2-i et 3-ii generis politica delicta constituunt vero nomine, si sub politia illam partem potestatis publicae intelligamus, sicut et intelligi debet, quae malis et periculis sive physicis, seu moralibus securitati internae impendentibus (mi-

nantibus) obsistere debet. Laesiones vero jurium proprie tales, et dolosae Delicta criminalia, Crimina stricte talia vocantur. Ad politica sed graviora referri solent etiam lesiones jurium culposae in specie, et leviores generatim ob aequalem fere gradum poenalitatis (Strafbarkeit). Et sic laesiones jurium dolosae, et graviores tantum Delictorum criminalium nomine insigniri solent (uti v. g. in Austria). 7)

Codex noster philosophice Delicta Politica a Criminalibus non secernit. Ex utrisque aliqua Jurisdictio civilis judicat et quidem ita dicta delicta privata: Actus majoris et minoris potentiae, proditionem fraterni sanguinis, larvam, dehonestationem verbalem, et realem etc. erga actionem laesi in actus majoris potentiae quibusdam casibus Fisci etiam; publica vero (publico politica): perjurium, abusum in mensuris, commercii flagellationem etc. etc. erga actionem Fiscalem civilem non criminalem (vide Kelemen edition. 1-am Libro II, Vol. II). In genere illa regula statui potest, quod omnia delicta criminalia et politica leviora, ex gravioribus vero, quae secundum leges, aut praxim judiciorum ad criminalia non referuntur, ad Jurisdictionem Civilem spectent; reliqua Jurisdictionis Criminalis censurae subjaceant. Id in specie relate ad Colonos quoque locum obtinet; Capite VIII § 4-o Urbarii Hung. ita habetur: „quia tamen eveniret nonnunquam, quemadmodum oris sui libertate, aut corpore deliquit, vel secus per poenalem trium dierum laborem coërceri nequiret (Colonus), ita ut eundem in corpore castigare oporteat; hinc in quibuslibet similibus – casibus delinquenti pro qualitate delicti ad summum 24 baculorum, aut pro qualitate sexus 24 scuticarum ictus infligendi sta-

tuantur, quod si autem puniendus gravioris aetatis esset, aut fractarum alias virium, talis poena aresti — puniendus erit, eo tamen observato, ne Colonus titulo talis poenae extra casus gravioris delicti ad judicium ipsius Sedis dominalis spectantis diutius, quam per tres dies a perficiendis laboribus suis abstrahatur." 8)

Hinc patet, quod coërcitio delictorum criminalium, et politicorum leviorum, quae videlicet imputatione sua juxta prudens Domini terrestris arbitrium mensuram poenarum statutam non excedunt; propriae ejusdem auctoritati (absque celebratione Sedis Dominalis) subsit: delictorum vero politicorum graviorum poenae per Sedem Dominalem dictari debeant; nam in textu citato sub vocibus gravioris delicti utique politica intelligenda sunt, cum Urbarium absque distinctione an Domino terrestri jurisdictio criminalis competat nec ne, Sedi ejus dominali auctoritatem deferat delicta graviora puniendi, Jurisdictio autem criminalis non omni Domino terrestri competat, imo Dominus terrestris jure gladii destitutus, et malefactorem Comitatui non resignans, poena 500 florenorum mulctetur. (Dec. Cur. 12-a pag. 188-a editio prima) Principia haec usus quoque confirmat. (vide etiam Urbarium Ban. C. VI, 9-o.)

Exercetur igitur jus hoc puniendi, in quantum Jurisdictionem Civilem respicit, pro ratione circumstantiarum in vel extra Sedem dominalem. Delicta politica, quae gravitate sua (imputatione sua) poenam corporis 24 baculorum (relate ad viros) vel scuticarum (relate ad foeminas) aut aresti trium dierum cum jejunio penes solum panem, et aquam exigendi, aut totidem dierum manualis laboris excedunt, quor-

sum etiam pertinent Delicta, quae birsagium seu mulctam pecuniariam secundum praescriptum legum (civilium) uti v. g. venatio post se trahunt; judicio Sedis dominalis sunt reservata. Delicta Politica et criminalia leviora, quorum imputatio mensuram memoratam poenarum non transcendit, et in specie illa, quae in legibus (civilibus) peculiarem poenam pecuniariam statutam non habent; extra Sedem Dominalem 9) per Dominum terrestrem secundum prudens arbitrium normam tamen praescriptam non excedens puniri possunt. – Generalis regula, quam Domini terrestres in puniendis propria auctoritate Subditis observare debent, est illa, quod excedentes nec poena corporis, nec pecuniaria, velut plebem contribuentem exhauriente puniri debeant, verum unius, duarum, aut ad summum trium dierum manuali labore, qui tamen non tempore araturae, messis, falcaturae vel vindemiarum sed alio magis congruo exigi debet. Si nihilominus Subditus per poenam trium dierum laboris coërceri nequiret, aut oris libertate vel corpore delinqueret; poena quoque corporis afflictiva dictari potest, viro sano et valido pro qualitate delicti 24 baculorum, feminae aeque sanae et validae 24 scuticarum nec plurium: delinquens aetatis gravioris, aut virium fractarum, poena carceris plectendus pro qualitate delicti etiam in jejunio cum pane et aqua, vel compedibus tolerandi, non tamen ultra tres dies duraturi. In casu incompediationis taxa 15 cruciferorum solvenda est per reum, si videlicet taxa haec jam ante in usu fuisset. Urbarium Slav. (P II. 14-0) generatim negotium majoris momenti in Sede Dominali coram Testimonio Comitatus revideri, decidi, et Magistratui Comitatensi referri, porro (P. II 4-0)

Colonos nonnisi in casibus lege mulcta affectis pecunia puniri praecipit, taxam demum incompediationis in 12 X-ris (P. II 19-o) defigit. Urbarium Ban. (C. VI 9-o) Delicta criminalia, nisi Dominus terrestris jure gladii gauderet, Comitatus jurisdictioni asserit. Minora vero delicta (politica aeque ac criminalia) eidem punienda defert non tamen pecunia, verum duarum, triumve dierum labore, aut poena corporali moderata, aetati, sexui, complexionique corporis attemperata, nec 24 ictus apud viros baculorum, apud feminas vero scuticarum excedente, aut carceris etiam non tam diuturni tamen, ut res familiaris Coloni detrimentum aliquod patiatur, taxa incompediationis aeque in 15 X-ris defixa. Quod attinet in specie mensuram in puniendis delictis Colonorum respectu Nexus Subditelae commissis (urbarialibus) observandam; haec partim Urbario determinata, partim prudentis Domini seu judicis arbitrio relicta est, quin tamen illi limites privatae auctoritatis supra praescriptos excedere, vel principia adducta negligere liceat. Quae Urbariis determinatae sunt poenae in specialibus casibus, hae sunt:

1-o) Arbores decorticans vel succidens, praeter damnum resarciendum trium dierum manuali labore plectitur. (C VIII § 8) Urbarium Ban. furtum lignorum e silvis dominalibus duplici taxa lignorum sublatorum, et si haec mulcta effectu careret, furem carcere et poena corporali etiam plecti statuit. (C III, § 3, 1-o)

2-o) Glandium decussio et gallarum collectio in silvis dominalibus; item epocillatio vini extra tempus legale; vel alterius potus praeter vinum quocunque tempore; tandem carnium pro pretio emacillatio; vel in praejudicium macelli dominalis ab extraneis locis inductio, poena con-

fiscationis, et triduani manualis laboris mulctatur. (C VIII § 11) Urbarium Slav. Glandium decussionem, et Gallarum quercinarum collectionem praeter refusionem damni moderate castigari jubet. (P 1, 10-o)

3-o) Colonus 10) arma gestans, vel canes venaticos servans, trium dierum manualem laborem pro poena praestare debet (C VIII § 12). Urbarium Slav. confiscationem, et gravem praeterea animadversionem eidem intentat. (P II, 11-o) 11)

4 o) Collectam pecuniae aut naturalium inter Colonos faciens 24 baculorum ictibus afficitur. (C VIII § 9) Urb. Slav. (P II 3-o) sub gravissima animadversione illam prohibet.

5-o) Sabellicorum dolosa in silvas dominales prohibitas (prohibititias) impulsio, si in ipsis silvis deprehendantur; dupplici pro Subditis limitata glandinationis taxa mulctatur. (C VIII, § 10; Urb Slav. P 1, 10-o). Urbarium Ban. illos, qui sine indultu Glandinatione utuntur, praeter damni refusionem poena pro ratione delicti affici vult (C III, § 3, 2-o).

6-o) Emtio, venditio, cambiatio, et legatio fundorum urbarialium sine praescitu Domini terrestris amissionem summae investitae in regula post se trahit relate ad incautum emtorem, cambiantem, vel legatarium; verum hoc stricte poena non est, sed damnum potius in casum, si vendens, cambians alter, vel haeredes solvendo non sint (vide Part 1 § 5 a) huj. op.).

7-o) Circa invagiationem pecorum et pecudum in campis damnum inferentium provisio legis observari praecipitur (vide etiam Res. Reg. 24-a Maji 1771 Nro 2670, circulariter publicatam). Comitatibus praeterea injunctum universis etiam Resolutione, ut curae habeant, quo

in casibus invagiationum et abactionum provisio legis observetur, neve gravibus parati aeris extorsionibus Subditi graventur, sub poena Actionis Fiscalis adversus Dominum terrestrem secus erigendae (Res. Reg. de 24-a Maji 1771 (Pauly habet 1729!) Nro 2670, - 31-a Maji e. a. Nro 3128 universis Comitatibus intimata). 12) Urbarium Slav. circa invagiationem pecorum et pecudum praecipit, ut damnum, illico per judices pagenses aestimandum, refundatur: praeterea a quolibet sabellico, capra et vitulo unus, a singulis majoribus pecoribus vero duo cruciferi impellenti solvantur. Pecora et pecudes tamen in damnis reperta, nisi invagiari non possent, vel praemissa erga pagenses, aut illos, ad quos pertinent, binaria admonitione (praemonitione), mactare non licet, et tunc etiam unum tantum ex illis mactanti cedentem, praeter refusionem damni; mulcta supra memorata a residuis pecoribus amplius locum non habente (P II, 20-o).

Si tamen Subditi mitioribus his poenis per Dominum terrestrem, vel gravioribus etiam per Sedem dominalem dictandis non corrigerentur, vel plane obedientiam et obtemperantiam Domino terrestri denegarent; auctoritate magistratuali Comitatus, qui Domino terrestri adjutorium (assistentiam) praebere debet, coërcendi sunt, et quidem poena severiori exemplo quoque aliis servienti (C VIII § 8). Si vero tanta esset protervia, et pervicacia Subditorum, ut nec assistentia Comitatus (Hajdones comitatenses) eam frangere, quietemque ac tranquillitatem publicam revehere posset, aut plane vi agere tentarent, cui resistentes Comitatus vires non sufficerent; ad compescendos ejusmodi tumultuantes et rebelles erga requisitionem con-

cernentium Comitatuum per supremam armorum Praefecturam eatenus jam instructam tribuenda militaris assistentia, cum moderatione tamen et circumspectione maxima, adhiberi debet, simulque cum respectivo statu militari correspondentia foveri (Res. Reg. de 26-a 7-bris 1782, Nro $\frac{6221}{7141}$). Poena vero, quae graves hos excessus comitatur, est aeque gravis, pro ratione videlicet circumstantiarum 5, 10 annorum, aut perpetui carceris, etiam mortis. (Res. Reg. de 26-a Aprilis 1766, et 14-a Junii 1776 circulariter publicatae; vide etiam Patentales Francisci I-i de 3-a Julii 1802 contra rebelles Subditos)

Relate ad detrectationem obligationum e Nexu Subditelae (urbarialium) Colonis incumbentium haec notanda:

1-o Subditus ad robotam vocatus, culpa sua non comparens in Hungaria et Croatia (C VIII § 14) 12; in Slav. (P II 13-o) 2, 3, ad summum 4 baculis illam luit (C VIII, § 14), robotamque neglectam supplere debet.

2-o Praestationes Naturalium vel Pecuniae (obtingentias urbariales) detrectans, aut eatenus morosum se exhibens executione ad satisfaciendum adigi potest; quo casu executoribus pro executione realium restantiarum, non vero aliis negotiis dominalibus exmittendis, morosi (restantiarii) dietim grossum executionalem usque terminatam executionem persolvere tenentur. (C IX § 6) Non tamen singuli restantiarii, verum omnes simul sumti, et tot grossos dietim pendere obligantur, quot executores ad incassandas reales restantias in loco morantur. (Instr. Ex. Mag. Cap. V § 30) Hominum dominalium ad executiones exmissorum intertentio, aut alia quaecunque exactio pecuniae

praeter grossum executionalem diserte vetatur (C VII § 11).

3-o In casum morositatis, vel detrectationis abaestimatio quoque Colonorum Domino terrestri competit. 13)

Jurisdictio Dominalis Domino terrestri quidem ex usu fructu vel dominio utili fundi Colono cessi tamquam fundamento remoto (mediato) secundum antiquum regni systema judiciale competit; 14) proximum (immediatum) tamen vel est lex vel privilegium. Jurisdictio civilis et politica Domino terrestri ex lege 15) competit, 16) criminalis e privilegio; adeoque priores duae omnibus Dominis terrestribus communes sunt, posterior vero tantum aliquibus, iisque majora Dominia possidentibus (Dynastis) competit, semper in Sede dominali exercenda, extenditque se ad omnia crimina, excepta Nota, et crimine laesae Majestatis. Caetera non tantum Domino terrestri perpetuo (haereditario) sed et temporaneo, (arendatitio, pignoratitio) exercitium Jurisdictionis dominalis competit. – Functiones vero Jurisdictionis Dominalis sive Civilis seu Politicae et Criminalis tam respectu Colonorum, quam quorumcunque aliorum sunt gratuitae; in specie ratione Colonorum etiam confectiones et expeditiones diversorum Instrumentorum v. g. Divisiones etc. (C VII, § 1; Urb. Ban. C VI 8-o e) gratuitae sunt.

1) Principium hic a me stabilitum non speculativum est; sed omnino in experientia, et usu judiciorum fundatum, ex combinatione satis operosa resultans. Ne autem asserto hoc tantum fucum facere videar lectoribus; adferre juvat aliquas Causas, principium assertumque hoc confirmantes. Sunt autem Causae Colonorum,

et contra hos suscitatae civiles per Curiam quoque Regiam revisae pauciores longe quam putes, ita ut inter caeteras rarae in vasto gurgite natent. E recentioribus memorari meretur:

Causa Fisci Magistratualis Comitatus Krassoviensis, qua pro parte Kosztae, et Marthae Schein resoluti assistentis, contra Andream Kiss Dominii Szubotitzensis Terrestrem Dominum, a Martha Hocsics uxore Constantini Schein certos fundos industriales in territorio Possessionis Szuboticzensis jure acquisito praehabitos, et in 25 jugeribus consistentes, atque inde ab anno 1795 usque 1801 pacifice possessos, anno praeattacto 1801, utut dicta Martha Hocsics iisdem inhaerentia onera colonicalia semper de anno in annum persolvisset, via facti citra omnem bonificationem, uti per actorem exponitur, adimentem; coram Sede Dominali Dominii Szubotitza 1804 mota. In qua Tabula Septemviralis unice fundamento illo, quod Dominio jus abaestimandi fundi industrialis competierit, eademque forma lege praescripta acciderit; actionem et actoratum condescensioni obnoxiavit.

Causa Marci Kornely contra Taxalistas Nobiles Familiae Serb homines in Possessione Mézes degentes, et fundos rusticanos tenentes, qua exercitium jurium dominalium violentis quibusvis mediis relate ad dictum Marcum Kornely Donatarium dictae Possessionis Mézes impetratorem impedientes; anno 1805 ad abaestimationem coram Sede Dominali mota. In qua Curia Regia Partibus I. I. penes temporaneum duntaxat Contractum sub camerali adhuc Dominio initum censuali possessorio immanentibus, post impetratam tamen totalem possessionem Mézes Parti A annuum censum simpliciter denegantibus, imo nec pro Domino terrestri recognoscere volentibus, adeoque facto hoc Parte A ad erigendum abaestimationalem Processum omni cum fundamento provocata, actoratu eidem hoc instituto non saltem quoad primipilos, sed et omnes in concreto Partes I. I. competente; Sententiam Sedis Dominalis approbavit. — Processus hic urbarialis practicis quaestionibus refertus est.

Causa Fisci Dominalis Dominii Toplika contra montanistas, et censualistas praefati Dominii coram Comite Curiali Capituli Zagrabiensis ad regulationem cunctorum montanistarum propterea suscitata, quod nonnulli in semine defecerint, alii ab idgenus fundis decimam, et jus montanum pendere detrectaverint, alii vicissim solitas et consvetas super Tenutis suis Litteras guerales vel non haberent, vel antiquitate laceras possiderent, complures demum vineas suas aut implantatione auxerint, aut novas implantaverint terras, dein foenilia, palisecia, aliaque tenuta exstirpatione adaucta, in suos usus converterint, multi denique socordia tenuta sua desolaverint. In qua Comes Curialis montanistas illos et praedialistas, qui nondum regulati sunt, ad solvendos pro jure liberae venditoinis ad semel pro quibusvis quadratis Orgiis vinearum 5 florenos obligavit etc. etc. quod etiam Curia Regia approbavit. Processus hic valde memorabilis est.

Causa Bernardi Reizner, qua Censualistis Dominii Bosjako ex publico ordinati assistentis Fiscalis, contra Comitem Georgium Draskovits ad correctionem Executionis in Processu abaestimationali Censualisticorum Tenutorum per eundem Comitem I. moto, in favoremque ejusdem terminato erronee peractae coram Sede Dominali praefati Dominii mota.

Causa abaestimationalis Stephani Atzél contra Fehér, Józsa, et alios nobiles Taxalistas Boros-Jenőienses in eodem Oppido jure dominali ad Partem A. spectante fundos colonicales tenentes; coram Sede Dominali praememorati Oppidi suscitata ideo, quod Partes II. non tantum praestationes a fundis rusticanis solito obvenientes denegaverint, sed et alios nobiles ad similem illegalem renitentiam seduxerint, imo eosdem seditiose contra Dominium terrestrale concitando, homines quoque dominales verberaverint. Curia Sententias Sedium dominalis, et Judiciariae Comitatus petitam abaestimationem adinvenientis, Incattosque ex territorio Domini terrestris eliminandos decernentis ratihabuit.

Causa Fisci dominalis Dominii Szadvár contra Zsebekianos Possessionis Kőrtvélyes incolas,

ad Exaestimationem fundorum in Possessione Kőrtvélyes Comitatui Tornensi ingremiata, in quibus Partes II. domos erectas habent, non secus agrorum pratorum et hortorum postfundualium aeque ac exstirpaturarum per eosdem II. tentorum, vi tit. 9-i 1-ae, 48 1655, 58 1625, aliarumque legum patriarum coram Sede Dominali praeattacti Dominii mota. In qua eadem procedens Sedes Dominalis actionetenus petitam Exaestimationem erga tamen inhaerentis sub O. specificatae 300 fl-norum summae, et aliorum nefors ultra objecta sub aestimationem cadentia judicio productarum sub N. et 2 liquidabilium, ac tempore Executionis debite legitimandarum summarum Partibus II. fiendam depositionem, tanto magis decrevit, quod ipsae Partes II. in Recursu suo sub N. inhaerentis summae, ac superaedificatorum, atque Exstirpaturarum exolutionem petierint, ac proinde Executionem exequendorum sub cautela tamen per Fiscum quoque Dominalem allegative declarata non imminuendi Fundi Contributionalis ordinavit. Sedria vero Comitatus, summis sub O. et 2 in fl-nis 300 pignoratitiis, et 660 manumissionalibus per Partes II. comprobatis existentibus, et ideo judicialiter quoque stabilitis, reliquorum vero aestimandorum aestimationem, in quantum videlicet Partes II. primos inscriptionalistas repraesentarent, non juxta Urbarium, sed condigno pretio peragendam adinvenit, in reliquo autem sententiam Sedis dominalis approbavit. Curia quoque Regia Sententiam Sedriae Comitatus ratihabente.

Causa Comitissae Christianae Győry Viduae Somogyianae, qua etiam prolium suarum Tutricis, et Curatricis, contra vinearum in promontoriis Szigeth, et Nagy Mihes, in terreno praedii Döbrönte existentibus habitarum censuales possessores coram Sede Dominali mota, decisa, in Sede Judiciaria Comitatus Veszprimiensis revisa, et abinde per Partes II. via gradualis appellatae ad Curiam Regiam deducta. In qua Parte A. promontoriorum Szigeth et Nagy Mihes tam propter pascuationem propriorum, prout et inquilinarium pecorum et pecudum,

quam etiam scopo procurandi eisdem ex Döbröntensi ad Jakoiense terrenum transitus absolutam necessitatem habendo, Sedes Dominalis ex recognitione etiam Partium II. sub K. et ex eo, quod in Censuali Contractu sub Nro 1-o reservatum jus Dominii terrestralis fuerit, abaestimationem dictarum vinearum adinvenit. Quam Sententiam quoque Curia Regia ratihabuit.

Possem adhuc plura exempla in rem meam adferre, sed haec credo sufficient. Similes Causae abaestimationales fundorum, prouti etiam ad abaestimationem beneficiorum regalium, molae praesertim, ad revindicationem fundorum per Dominium Colonis ademtorum, ad vindicationem injuriarum personalium, et realium (refusionem illatorum damnorum) impensionales demum, et successionales causae, tam videlicet Colonorum inter se, quam et contra Fiscum Dominalem, et hujus contra illos, constituunt praeprimis sphaeram controversiarum ad Jurisdictionem civilem intuitu Colonorum exercendam spectantium.

2) Vide Praktische Darstellung der in Oesterreich unter der Ens, für das Unterthansfach bestehenden Gesetze. Zweite Auflage. Zwiter Band pag. 156 sequent.

3) „Contractus, Privilegia, et Urbaria in primitus „statim vero hoc fine praefigenda Sedria moda„litate praededucta assumantur, et altae fatae „Suae Majestati Sacratissimae via Ex. Consilii „R. L. repraesententur.“ (Instr. Com. Reg. § 26). — Item: „Privilegia, Contractus, et Urba„ria primum quidem in Sedria referantur, et „si per eandem pro validis et vigorosis habe„buntur, tandem via Consilii R. L. pro supre„ma Inspectione Suae Majestati Ssmae repraе„sententur.“ (citato § Instr. Com. Reg.). — Item „Privilegiis antelatorum Oppidorum Csáktor„nya, Perlak, Nedelitz, hac occasione repro„ductis velut alioquin, ut in alio jam anni 1767 „Processu patuit, facto etiam ipsorum incola„rum evanescentibus, ad manutentionem dun„taxat Status Censualis, non vero ad juris so„liditatem sumendis; latam eatenus utri„usque Sedis (Dominalis et Judicia-

„riae) sententiam stare." (Res. Reg. relate ad Processum Executionalem Dominii Csáktornya per Consilium 5-a 7-bris 1771, Nro 5016 Com. Zalad. intimata ad punctum 2-um).

4) Constitutio Sedis Dominalis est haec: praesidium gerit Dominus terrestris, vel ejus Officialis, aut alter pro hoc munere requisitus (tit. 26 3-ae § 7, et usus); pro assessoribus plures minimum vero tres convocantur, qui inde etiam Convocati dicuntur; (1729 28 § 5, et usus) praeterea adesse debet inomisse et de lege Judex Nobilium cum Jurato Assessore (Jurassore) concernentis Comitatus, seu ut communiter vocatur Testimonium Legale vel Articulare (tit. 26 3-ae § 7, 1729 28, § 5, et 1729 41 § 5); Referentem et Notarium agit vel Fiscus dominalis, vel hoc impedito, aut non existente unus e Convocatis (usus). Auctoritas Sedium Dominalium per 51, 1791 iterum restituta est, illa forma, quae ante novam judiciorum regulationem observabatur, et secundum leges patrias, vigentemque in harum conformitate praxim judiciariam celebrandarum

5) In specie per art. 21, 1802 praecipitur, ut usurarii casus minoris indaginis „in quantum — in contribuentes sub speciosis interusuriorum titulis exercentur, seu per operarum, seu per naturalium desumtionem exactiones, quin imo fructus etiam annui a fundis provenientes ita stipularentur, ut per desumtionem unius anni fructus capitale suum una cum interusurio creditor ex integro recipiat, via politica cum influxu dominii terrestralis pertractentur (ergo extra Sedem dominalem id enim intelligit lex per expressionem via politica) et (interusuria) ad mensuram legis reflexe ad locales circumstantias reducantur; majoris indaginis casibus ad Sedem Dominalem relegatis, salva abhinc consveta appellata."

6) Vide Beyträge zur Gesetzkunde und Rechtswissenschaft, von Franz Edlen v. Zeiller. 1 Band, pag. 70-a.

7) Vide Das Oesterreichische Criminal Recht nach seinen Gründen und seinem Geiste dargestellt, von Sebastian Jenull. Gräcz 1808, Erster Theil, pag. 99-a sequent.

8) Melius adhuc, prout generatim, ita etiam hic et magis determinate se exprimit Urbarium Croaticum: § 3 „Excessuosi Subditi extra casus lege decisos, et in punctis urbarialibus specificatos, nec pecuniaria nec corporali poena afficiantur, verum unius, duarum, aut ad summum trium dierum manuali robota — — puniantur." § 4: „Si Subditi non attenta 3 dierum manualis „robottae mulcta, ultro excederent, iidem ex- „tra casus gravioris delicti, per Sedem Domi- „nalem decidendos, etiam commensurata deli- „cto corporali poena ita castigandi erunt, ut „haec, si excedens fuerit sanus, et fortis con- „stitutionis, 24 baculos, vel apud sexum sequi- „orem totidem scuticas non excedat. — Si ve- „ro delinquens senio confectus, aut secus etiam „debilis complexionis fuerit, ad summum 3 di- „erum carcere, pro ratione circumstantiarum „etiam in pane et aqua subeundo puniatur."

9) Articulus 35, 1791, § 2 „ne ullae arbitrariae poenae Colonis a Dominis dictari possint, sed quaevis poena, vel in judicio Sedis Dominalis tantum, vel excessu urbariali interveniente, ex praescripto Urbarii audito prius Colono, locum habere possit" praecipiens; Resolutiones item Regiae 2-a Junii 1785, Nro 6875, Comitatui Sárosiensi, et 27-a Junii 1785, Nro 7796, Comitatui Ungvariensi intimatae, aliaeque plures, causas ad poenas aresti et verberum in Sede Dominali assumi, et in Sedria revideri mandantes, dispositionem hanc Urbarii modificant quidem, sed usus eam confirmat.

10) Per Colonum hic intelligendus est Colonus stricte talis, hoc est quoad personam quoque suam Domino terrestri subjectus: asserere enim quod Libertini, (Agiles) seu Coloni non stricte tales arma gestare, et servare non possint, illudque ex lege (art. 60 1514, quo r u s t i c i s sub poena truncationis manus dextrae pixidem habere vetatur) ideo, quod Libertini quoque r u s t i c i sint, et ex rei natura, quod obligationes illorum arma non requirant, neque securitas personae vel rei, cum publica provisio ratione ejus existat, demonstrare velle; ridiculum omnino est. Leges enim nostrae vocem hanc r u s t i c u s fere pro Colono stricte tali usurpant; in

lege citata certe de Colonis stricte talibus est sermo, ubi a Praesbyteris, Hajdonibus, Scholaribus contradistinguuntur. Et utique ipse usus refutat argumentum illud; quot enim sunt Advocati ignobiles, qui continuo arma (frameas) portant? Argumentum aliud probat nimium adeoque nihil; nam propter vitae conditionem multi etiam nobiles arma gestare non possent.

11) Custodibus vinearum, verum illis solum, qui actu in custodia illarum constituuntur, sclopetorum usus fine arcendarum avium botris inhiantium, sed non alio admittitur. (Res. Reg. relate ad Processum Executionalem Dominii Csáktornya per Consilium 5-a 7-bris 1771, Nro 5016 Com. Zalad. intimata).

12) Nihilominus haec dispositio fere tantum adversus Subditos alterius Domini terestris rigorose observatur. Coloni ejusdem Domini terrestris fere tantum damnum illatum secundum conscientiosam aestimationem judicis, et juratorum refundunt; nisi positivum nocendi studium adsit, quo casu tamquam violenti poena homagii judicio Sedis dominalis damnantur. Vi Resolutionis Regiae de 6-a Febr. 1771, Nro 538; 15-a Febr. e. a. Nro 857 Comitatui Aradiensi intimatae si pecora Subditorum per alios Dominos terrestres invagientur, — ad quod praecavendum, Domini territoria sua juxta praescriptum legum metis definiri curare debent, — eisdem Domini proprii sufficientem satisfactionem suo modo et loco procurare tenentur; Magistratuales vero Comitatenses in similibus causis procedentes easdem citra ambages et inanes protelationes, servatis tamen de jure servandis, quo ocyus terminare, et sic Subditis (contribuentibus) damni ipsis illati refusionem procurare obligantur.

13) Nobilis vel alii Coloni jurisdictioni dominali personali non subjecti detrectationem obligationum urbarialium aeque abaestimatione, reliqua vero delicta convenienti poena et foro luunt. Idem de Ignobilibus ratione characteris civilis a Jurisdictione dominali personali exemtis intelligendum est.

14) Postquam Forma Regiminis monarchica a S. Stephano inducta est; Jurisdictio patrimonialis ab

imperante Dominis terrestribus concessa censeri debet.
15) Prima, quae mihi nota, est articulus 18, 1351 (vide etiam Urb. C IX, § 7).
16) Causae spirituales ad S. Sedem pertinent.

§ 32.

De Procedura A) in Causis civilibus. B) in Causis urbarialibus.

Hic stricte tantum de procedura Causarum ad Jurisdictionem politicam pertinentium agendum esset, procedura in causis civilibus et criminalibus ad ambitum juris civilis et criminalis relegatis, quia tamen summaria procedura civilis non satis adhuc nota esse videtur, de hac quoque aliqua hic commemorare non abs re esse putavi.

A) Procedura in Causis Civilibus vel est ordinaria (formalis, solennis), vel summaria. – Ordinaria formis regni legibus, consvetudine et praxi judiciaria inductis continetur, et communiter in Judiciis obtinet. Summaria essentialibus solum formis (formalitatibus) absolvitur, et consensu partium vel in levioris momenti causis tantum adhibetur. Procedura ordinaria iterum quaedam habet peculiaria, si nobilis per Colonum alterius Domini terrestris stricte talem, seu quoad personam quoque eidem subjectum, aut etiam familiarem ignobilem, actu aliquo violento seu majoris seu minoris potentiae absque influxu, seu absque commissione, missione, aut assumtione Domini terrestris in juribus suis seu personalibus, seu realibus laedatur. Vocatur haec procedura impensionalis in specie; nam generatim nomine Impensionis (subintelligitur justitiae) venit omnis justitiae ad-

ministratio per Dominum terrestrem in quacunque causa et cuicunque extraneo actori contra Colonum suum, vel familiarem ignobilem in Sede dominali praestita (tit 26 3-ae, 1609 29, 1613 23, 1729 41 etc.). 1)

Caeterum hujus, quemadmodum Procedurae ordinariae generatim uberior pertractatio ad jus commune privatum pertinet: De procedura summaria satis obvia haec notasse juvabit.

Partes litigantes vel coram Domino terrestri (Officiolatu Fiscalatu) aut figura judicii Sedis Dominalis verbotenus pro et contra de praetensione disceptant, et argumenta sua depromunt, e quibus dein judicium fertur; vel vero Instantias porrigunt ad Dominum terrestrem (vel ejus Officiolatum, Fiscalatum) aut Sedem dominalem, quae prius per Dominum terrestrem cum partibus adversis pro dando responso communicantur. Dato responso ambae partes in praesentiam Domini terrestris, Fiscalatus, vel figuram Sedis dominalis constituuntur, et Instantia ac responso ipsis praelectis Judex uberius relate ad circumstantias controversiae partes interrogat, ut illam sibi ex disceptatione illarum mutua claram reddat; demum Sententiam inter illas jus constituentem pronunciat, quae dorso Instantiae inscribi solet, parti concernenti restituendae; in Sede vero dominali lata etiam Protocollo eatenus conficiendo et per praesentes Sedis Notarium, Praesidem, Convocatos, ac Testimonium Legale subscribendo et respective commisando inseritur, et quidem in dextra parte philyrae per mediam longitudinem fractae; sinistram meritum querimoniae succincte propositum occupat. In majoribus Dominiis bene regulatis Sessiones certa singulis hebdomadibus die celebrare solet Officium Fiscalatus, quibus con-

troversiae Colonorum inter se, et aliorum contra hos assumuntur, et deciduntur; decisa vero ad Protocollum peculiare eadem ratione inferuntur. Si controversia vel querela duobus his actis, instantia et responso ad illam, absolvi nequeat, et partes formalem proceduram ob longiorem moram, observare nolint; more libellatico procedunt. Pars laesa petitionem suam in forma Instantiae seu Recursus proponit, ad quam pars adversa meritorie respondet; ad hujus responsum pars querulans iterum suas reflexiones in peculiari acto proponit, quod pro responso secundo cum parte ab adverso agente communicatur, hoc iterum cum parte actorea, et sic porro donec meritum rei exhauriatur, quo exhausto res Sedi Dominali substernitur pro decisione. Levata concinnatur hujus fere tenoris: Anno, mense, et die hac coram Sede Dominali hac levata est Causa haec, hujus ut Actoris contra hunc ut Incattum; Et pro Actore producuntur petitio (actio) et reflexiones ad responsa Incatti sub I, III etc. cum Documentis sub A. B. etc. I. comparet (vel pro I. comparet) et producit Responsa sua ad petitionem, et reflexiones actoreas sub Nro II, IV etc. una cum Documentis sub Nro 1-o, 2-o, 3-o etc. Post Levatam statim Sententia inscribitur, et huic Levatae imponuntur Acta memorata actorea, et Incattea, ac in casu appellatae Testimonio Legali consignantur.

B) Quod attinet causas inter Dominum, aut ejus Officialem, et Subditum controversas Nexum Subditelae respicientes (urbariales); illarum judex primae instantiae est ipse Dominus terrestris, quem Colonus declinare non potest. Si Subditus deciso Domini contentetur, res ubique cessat, si vero Dominus Colono justitiam

administrare detrectet, aut hic illius Sententia non contentetur, opem Magistratualium Comitatensium implorare debet, eatenusque se vel ad Supremum, vel Vice-Comitem, vel vero ad processualem (districtualem) Judicem Nobilium convertere; quorum obligationis est, et quidem Supremi, vel Vice-Comitis, ut investigationem subalterno Magistratuali committant, Judicis vero Nobilium (per Colonum immediate requisiti), ut non expectata Generali, vel Particulari Congregatione aut sui exmissione, meritum querelae investiget, audita utique utraque parte Domino videlicet et Colono, remque inter eos amicis pactis terminare satagat, et si id sibi minus succederet, Dominum ad Sedem dominalem proximius celebrandam actutum admoneat, 2) dein sub proxima Congregatione (seu particulari, sive generali) de peracta investigatione, et resultato ejusdem referat 3). Erga hanc Relationem Universitas Comitatus circa Sedem dominalem celebrandam, praefigendum, si opus esset, ejus terminum, aut si Sedes dominalis erga admonitionem investigantis Magistratualis per Dominum asservata non fuisset, querelam Coloni in Sede sua Judiciaria assumendam, et decidendam, ordinandam item in omnem casum Subditis assistentiam Fisci magistratualis congrua disponere debet. Investigatio per Magistratualem relata, et Decisio eam in Congregatione vel Sede Judiciaria (urbariali) subsequens Protocollo reliquorum negotiorum inscriptioni (improtocollationi) deservienti rite inserenda. Parti Sententia Sedis Judiciariae non contentae intra Dominium ad altiora loca, Consilium R. L. H. et Cancellariam R. H. A. recursu salvo manente. — Haec articulo 12, 1792 in locum annuarum urbarialium visitationum

(visitarum) 4) abrogatarum pro celeriori et adaequata querelarum urbarialium complanatione et decisione constituta sunt, quibus § 7-us Cap. IX Urb. Hung. et Croat.; Cap. VI 8-o Urb. Ban.; tandem Urb. Slav. Par. II 14-o 5) magis determinata sunt. – Serius Sua Majestas Resolutione 3-a Aprilis 1798 Nro 8392 a Consilio R. L. H. universis Comitatibus intimata praecepit, „ut in singulis Comitatibus distinctum Urbariale Protocollum ducatur, in quo occurrentes quaevis urbariales querelae, et causae cum eo, quandonam tales exhibitae, quando assumtae, qualiterve superatae habeantur? aut si fors unum vel aliud querulosum objectum definiri statim nequiret, adjecta etiam causalitate, ob quam simile objectum indecisum adhuc relinqui debuerit, connotentur, eademque Protocolla quovis trimestri Consilio R. L. H. submittantur, ut ex his dein perspici queat, num urbarialia negotia praescripta modalitate pertractentur.“ Porro praecipitur: „ut Judicibus Nobilium districtim injungatur, quo in Dominiis, et Possessionibus in gremio Processus sui existentibus, per occasionem frequentiorum officiosarum visitationum (hic utique non urbariales sunt intelligendae) signanter in id inquirant, utrum Sedes Dominalis debito tempore, dum nempe querimoniarum casus emergunt, celebrari consueverint, anve Dominia querulantibus Subditis justitiam administrari faciant“ (ad mentem 35 1790; vide etiam Urb Ban. C VI, 8-o c); Urb. Slav. P II, 14-o). Quia vero altissimo loco observatum fuit, in obversum dispositionis hujus Protocolla urbarialia per nonnullos Comitatus plane non, vel justo serius Consilio R. L. H. submitti; Sua Majestas supra citatae Resolutionis republicationem Consilio demandavit,

quae etiam 30-a 8-bris 1815 cum reflexione accuratae ejus observationis relate ad omnes Comitatus intervenit.

Sedes, in qua causae respectu Nexus Subditelae pertractantur, urbarialis communiter dicta, a civili discernenda est, neque pertractatione objectorum stricte civilium et urbarialium simul utraque miscenda, sed separatim asservanda est (Res. Reg. de 23-a Febr. 1781; Nro 1349 Com. Trench. intimata.). 6)

In Sede Dominali (urbariali) praeter Testimonium legale nullus Magistratualium coassidere debet, ne videlicet quod in illa praesentes fuerint, adeoque judicem primae instantiae egerint; sibi viam praecludant in Sede Judiciaria concernentis Comitatus revisioni causarum urbarialium vacandi, sicque Sedes Judiciaria necessariis assessoribus magistratualibus destituatur (Instr. Com. Reg. § 25; Res. Reg. de 9-a Julii 1773 Nro 3385, 20-a Julii Nro 3437 Com. Toln. intimata; – Nro aul. 274 anni 1769). Collocat enim administratio publica in Magistratualibus Comitatensibus peculiarem fiduciam, quam quaqua ratione labefactare cautum est, et hinc Comitatus Officiales, signanter Fiscales Magistratuales Domino terrestri semet quoquo modo obligare, et Conventiones assumere, sub officii amissione (instantanea) non audent. (Res. Reg. de 1769 Nro aul. 283) Praeter Testimonium legale saltem duo cojudices (non Magistratuales), viri jurium periti, justi, et aequi amantes, ab omnique partium studio remoti adesse debent. (Res. Reg. de 21-a Aug. 1773 Nro 4292, 30-a Aug. e. a. Nro 4110 Com. Marmar. intimata) Officiales Dominales a Sedibus Dominalibus (urbarialibus) excludi quidem non possunt; dum tamen testes sive pro Dominio, seu

pro Colonis producti authenticantur, tam Fiscalis, quam reliqui Officiales Dominales Sede dominali exesse debent; legales, si quas contra testes habent exceptiones (reflexiones) in Processu allegative inducendae, et ita judicio substernendae sunt (Res. Reg. de 4-a Aug. 1778 Nro 4351, Com. Zalad. 27 a Aug. e. a. Nro 4621 intimata.) Subditos (etiam nobiles) 7) porro Fiscus Comitatensis in querelis eorum activis et passivis tuetur, iisque gratuitam operam locat (art. 35 1791; Res. Reg. de 21-a Aug. 1782 Nro 7988; de 8-a Jan. 1784 Nro 91; de 23-a Junii 1773 Nro 3098, 1-a Julii e. a. Nro 3076 Commissario Reg. Com. Sáros. intimata); nisi in promotionem causae illorum, aut itinerationes expensas facere cogeretur, quae illi refundi debent. (Res. Reg. de 8-a April. 1774 Nro 1627 Com. Barany. 28-a April. e. a. Nro 1964 intimata). Possunt nihilominus Coloni Causarum suarum promotionem etiam alteri cuicunque Advocato concredere, et Instantias suas seu Recursus per quemcunque concinnari curare, id solum desideratur, ut nomen concinnantis dorso Instantiae apponatur, ad praecavendas videlicet instigationes (sufflamminationes) Subditorum (Res. Reg. de 30-a 7-bris 1776 Nro 4877 7-a Octob. 1776 Nro 5302 Com. Thurocz. inmata). Si controversiae (urbariales) inter Communitates diversorum Comitatuum vigeant, hae in Sede Dominali ex cujusvis Comitatus respectivi Testimonio Legali, et Assessoribus, Fiscalibus item Colonis assistentibus conflata assumi et decidi, ac per Sedriam aeque ex cujusque respectivi Comitatus Magistratualibus constituta revideri, demum revisae Consilio R. L. H. submitti debent (Res. Reg. de 24-a Decemb.

1773 Nro 6477 – 7-a Januarii 1774 Nro 156, ratione dissidiarum inter Possessionem Szent György Barsiensi, et Possessionem Füzes Gyarmath Honthensi Comitatibus intimata). 8)

Procedura in Sedibus dominalibus urbarialibus est summaria (observatis tantum formalitatibus ad essentiam rei pertinentibus). Possunt de ea sequentia notari:

1-o) Colonus (penes assistentiam Fisci Magistratualis (art. 35 1791) vel alterius, quem ipsi deligere lubet Advocati) querimoniam suam distinctis punctis inque peculiari scripto (acto) proponere debet; quae (Instr. Com. Reg. § 25) in Sede dominali perlecta cum Domino terrestri, vel ejus Fiscali pro dando responso communicanda est. Hic si minoris momenti aut planum sit negotium, statim (eadem Sede) verbo vel scripto (scripta Declaratione) ad eas respondet et controversia deciditur; si majoris momenti aut intricatius, in levatam deducitur responsum eidem adnectitur vel inscribitur, et cum Colono, vel Fisco magistratuali, aut alio ejus assistente communicatur, ut reflexiones ratione illius, si quas habet, aeque manifestare possit, quae iterum cum Fisco Dominali communicantur, et sic porro, donec videlicet res ex utraque parte sufficienter enucleetur. Quod si factum est, decisioni in eadem Sede dominali substernitur. Si vero querela pluribus punctis constaret, ad quae refutanda ex parte Dominii plura forte Documenta requirerentur, quae statim conquiri non possent; res ita instituitur, ut in una Sede Dominali causa levetur, postea inter partes ab utrinque disceptetur, et sufficienter disceptata (pro et contra disputata) ac pro judicio matura convocandae denuo Sedi Dominali pro ferenda in eadem Sententia (vel re-

ıte ad omnia puncta, adeoque finali, vel pro
ıtione circumstantiarum tantum quoad aliqua)
ubmittatur. In hoc casu tamen Domino terre-
tri vetatur intervallum inter unam et alteram
edem Dominalem, quod videlicet disceptationi
ıutuae deservit, negligentia in respondendo
ısto longius protrahere; articulus enim 35 1791
raecipit, ut Colonis in omnibus eorundem que-
elis citra quaspiam ambages et protelatio-
es, cum plena legali eorundem satisfactione
ıstitia prompte, et praeferenter admi-
istretur (vide Res. Reg. de 1814 Nro aul. 5537).
'triusque autem partis officium est, allegatio-
es succincto quantum fieri potest stylo con-
tringere, et reflexe ad puncta actionis aeque
unctatim adornare 9) – Documenta, quae in
robam assertorum per partes litigantes produ-
ıntur, in margine Processus congruo loco suis
ıb notis provocentur, et eidem adnectantur.
ıquisitiones in specie in merito Causae pera-
tae submitti debent; nec sufficit sola relatio
xmissorum pro investigatione Magistratualium
ısque adnexis Fassionibus testium juratorum
Res. Reg. de 29-a Aprilis 1774 Nro 1993, 14-a
Iaji e. a. Nro 2201 Com. Abaujv. intimata) 10).
ocumenta vero sclavonico, aut croatico idio-
ıate concepta in latinum vertenda, et cum ver-
one hac per Notarium Comitatus pro genuina
ecognoscenda, in Processibus altioribus locis
ıbmitti debent; ut omne circa veram eorum
ıterpretationem, relate ad dialectum, loquen-
ique in hoc vel illo Comitatu usum peculia-
em, dubium tollatur (Res. Reg. de 28-a Junii
785 Nro 17281, et 6-a Apr. 1786 Nro 3768, et
liae plures, item Instr. Com. Reg. § 25).

2-o) Querelae Communitatis a querelis singu-
ırium ejusdem Colonorum discernendae, et sepa-

ratim, prius quidem Communitatis, postea vero singularium Colonorum punctatim pertractandae. Si plures concurrant Possessiones querelas easdem habentes, hae in uno Processu pertractari possunt; diversae vero Possessionum diversarum querelae in distinctis Processibus assumendae, et decidendae sunt. (Res. Reg. circularis de 1801 Nro aul. 12848)

3-o) Authenticatio testium pro parte Colonorum productorum peragi debet, et quidem absentibus Officialibus dominalibus (Res. Reg. de 4-a Aug. 1778 Nro 4351, Com. Zalad. 27-a Aug. e. a. Nro 4621 intimata), uti jam supra memoratum.

4-o) Processus pro ferenda Sententia submissus per Sedem dominalem accurate discutiendus est, ita ut allegata tam actorea, quam incattea una cum provocatis Documentis per extensum a Notario Sedis relata bene perpendantur, ac iis perpensis, ruminatisque omnibus motivis, et argumentis pro et contra allatis Sententia feratur, et quidem finalis relate ad singula puncta Actionis, ita ut motiva et argumenta tam actorea, quam incattea recenseantur, combinentur, ac tandem effatum judicis subnectatur.

Ut autem haec omnia accurate observentur; Magistratualibus Comitatensibus praesertim Testimonio Legali in Sede Dominali praesentibus curare incumbit. (Res. Reg. de 1801 Nro aul. 12848)

Circa Appellatam, Revisionem, et Superrevisonem Processuum urbarialium haec notanda. Processus urbariales longe aliam viam appellatae ingrediuntur, quam civiles; aliaque ratione appellata in illis, quam in his locum obtinet. Fora videlicet revisoria, et superrevisoria Processuum urbarialium sunt, et hoc ordine se

excipiunt: Sedes Judiciaria concernentis Comitatus, Consilium R. L. H., ubi ad accelerandum justitiae Colonis administrandae cursum 4 Consiliarii pro relatione causarum urbarialium constituti sunt, cujusve Protocollum, quod pertractationes illarum continet, Cancellariae R. H. A. submittitur (una cum reliquis), 11) demum Cancellaria Regia H. A., ad quam aeque 3 Referendarii referendis causis urbarialibus vacantes existunt, cujusque Protocollum urbariale una cum reliquis de Sessione ad Sessionem Altissimo Suae Majestatis Ssmae obtutui substerni solet. Via haec nobis politica audit, et opponitur judiciariae (civili). – Appellata in Processibus civilibus est beneficium, cujus usus a voluntate partium litigantium pendet; in Causis vero urbarialibus, in quibus praescripta est, admittitur, et admitti debet, quin respectus habeatur ad voluntatem partium litigantium, adeoque quin Appellata, ut dici solet, interponatur, (nisi forte Dominus terrestris velut actor a petito suo amotus eandem prosequi nollet). Appellata porro in Causis civilibus aliquibus intra aliis extra Dominium, et quidem jam post Sententiam fori primae, jam post Sententiam altioris instantiae admittitur; in Causis vero urbarialibus in regula (nisi videlicet occupationes, vel exactiones illegales, et contra usum vigentem ex parte Domini terrestris subversarentur) intra dominium admittitur. (Instr. Com. Reg. § 25) Et quidem Causa omnis urbarialis in Sede dominali decisa appellari debet ad Sedem Judiciariam Comitatus 12). Videtur id Respublica ad majorem certitudinem sibi de recta Colonis justitiae administratione conciliandam statuisse; cum in Sedibus Dominalibus Dominus terrestris idem sit judex et actor vel

incattus. Sedes Judiciaria imprimis videre obligatur, an formalitates praescriptae, et supra recensitae, in pertractatione Causarum urbarialium in Sede Dominali per partes litigantes ipsamque Sedem Dominalem accurate observatae sint, et si observatae non fuissent, Processum Sedi Dominali remittere debet, quam non tantum expensae reiterandae Sedis sed et damni ex mora enati compensatio manet (Res. Reg. de 1801 Nro aul. 12848). „Occasione re„visionis processuum in Sedria infelix sors mi„serorum et totum pro defensione regni requi„situm onus unice supportantium contribuen„tium per omnes magistratuales et assessores ea „cum aequanimitate cordi sumatur, ut ab iis„dem omnis illegalis oppressio, et excessivum „onus secundum jus et aequum avertatur" (Instr. Com. Reg. § 25). Methodus in concinnanda per eandem Sententia ea observanda, ut puncta Sententiae Sedis dominalis, quae approbantur, una clausula approbatoria, adjecta quoque in compendio approbationis ratione, quae autem reformanda sunt, horum reformationes peculiaribus punctis complectatur, aeque rationum momentis roborandas (Instr. Com. Reg. § 25). Praeterea si Processus altioribus foris submittatur; semper elenchus provocatorum in eodem Documentorum confectus per Notarium Comitatus simul eidem adnecti debet (Res. Reg. de 1801 Nro 12848). — Hucusque de revisione Sedriae, quam omnes Causae urbariales subire debent 13).

Quaenam Causae a Sedriis ad Consilium R. L. H., et ab hoc ad Cancellariam R. H. A. appellari debeant, ex professo quidem nec Lege, nec Urbario, et quae huic adnexae sunt, Instructionibus, nec demum Resolutione Regia ulla recensentur; si vero nunc citatorum fon-

tium spiritum consulamus, resultantia inde principia huc fere redeunt:

1-o) Omnes causae urbariales, quarum objectum est Regulatio Colonorum generatim, adeoque in quibus de stabiliendis Privilegiis Contractibus, et Urbariis specialibus (particularibus) iisdem modificandis, vel seponendis agitur; (Res. Reg. de 21-a Febr. 1777 Nro aul. 757) aut neo impopulatae possessionis, vel alterius hactenus nondum regulatae urbarialis Regulatio suscipitur; aut demum Classificatio alicujus loci ejus adjunctis ita exigentibus immutari petitur; foris altioribus pro superrevisione substerni debent.

2-o) Omnes item Causae, quae fundorum colonicalium Receptionem, vel Ademtionem quaqua ratione involvunt, adeoque Causae ad Abaestimationem fundorum urbarialium praesertim sessionalium quocunque demum ex fundamento; ad Reluitionem item exstirpaturarum, aliorumque fundorum industrialium erectae, aeque ad altiora fora Consilium et Cancellariam appellari debent.

3-o) Si casus quidam obvenientes nondum decisi in Processibus occurrerent; quoad illos Appellata quoque ad supremum forum pro elargienda Resolutione normam in futurum positura deduci debet. (Res. Reg. 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata)

4-o) Caeterum in omni Causa urbariali Communitati, vel Colonis singularibus decisione (Sedis dominalis, et Judiciariae) non contentis, vel fundatam medelam apud Dominium et Comitatum non consecutis (Res. Reg. de. 11-a Junii 1779 Nro 2817, Com. Pest. 21-a Junii Nro 2714 intimata; vide etiam Patentales Francisci 1-i contra rebelles Subditos de 3-a Julii 1802) recursus ad altiora fora admittitur, et secundum

prudens horum arbitrium pro ratione circumstantiarum Causae etiam revidentur, aut congrua illarum pertractatio, si ea nondum locum habuisset, demandatur; ideoque (Comitatui) praestanda super recursibus his informatio, et pro re nata submissio Causae praecipitur (1792 art. 12, item Res. Reg. de 6-a Octob. 1795 Nro 20824). Neque Dominis terrestribus, aut eorundem Officialibus Subditos sub quocunque demum praetextu a formandis ad Comitatus vel altiora loca recursibus praepedire, aut eapropter eos divexare, in persona, vel rebus damnificare impune licet 14) (C IX § 8; item Instr. Exequ. Mag. Cap. V § 30; Urb. Ban. C VI 8-o f.). Recursus tamen hi per Colonos modo praescripto fieri debent, nempe:

1-o) Coloni singulares, vel Communitas in concreto sumta nonnisi Causis eorum jam per fora inferiora, Sedem Dominalem et Judiciariam Comitatus decisis recursum ad fora altiora Consilium, vel Cancellariam formare possunt, et hinc decisa subalternarum jurisdictionum ejusmodi Recursibus adnecti debent, secus hi non acceptantur, verum partes ad viam juris praescripta ratione ingrediendam relegantur (Circulare de anno 1798 Nro 614). Aliud est, si Coloni medelam apud Dominum terrestrem non nanciscantur.

2-o) Recursus (Instantiae) per Communitates in concreto porrecti per Judicem Communitatis supplicantis, et Juratos subscribi debent; secus non acceptandi. (Res. Reg. circularis de 1798, Nro 614)

3-o) Communitatibus vetitum est absque obtento praevie altiori indultu deputatos exmittere, et per hos Suae Majestati (altissimo loco) querimonias suas proponere, sub onere respon-

sionis, et refusionis expensarum in exmissionem erogatarum, pro ratione circumstantiarum promeritae quoque poenae (irremissibiliter) tam auctores exmissionis, quam exmissos deputatos manentis; ejusmodi enim exmissiones oneri sunt Cassae contributionali Communitatum, et ipsorum Contribuentium, quin inde utilitatis aliquid in illas redundet, cum utique ad Cancellariam R. H. A. Agens (Aulicus) pro parte Subditorum (contribuentium) constitutus habeatur, qui ex officio sibi incumbente querelas Subditorum altissimo loco substernere obligatur, ad hunc igitur Communitates se convertere, eique Recursum suum communicare debent (Res. Reg. de 6-a Octob. 1795, Nro 20824). Hoc idem intelligendum est quoque de Colonis singularibus ad altiora loca recurrentibus. Nihilominus his, si absolute recursus altissimo loco exhibere mallent, quam praescriptam observare viam, id admittitur quidem, passualibus tamen a jurisdictione comitatensi extrahendis semet providere debent; secus sine mora ad locum habitationis reinviantur, et pro demerito puniuntur. Imo illi quoque, qui Colonos ad recursus provocant, Instantiasque iisdem concinnant, pro re nata ad onus responsionis trahi, et ad refundendas contribuentibus inaniter factas expensas stringi; ac si ignobiles sint, exemplari quoque corporis afflictiva poena affici, nobiles vero actione Fisci conveniri, et pro ratione reatus condigne puniri debent.

Processus Urbariales per fora altiora, Consilium R. L. H. et Cancellariam R. H. A. revisi per Consilium Universitati Comitatus respectivi remittuntur, una cum Determinatione (Resolutione) seu ipsius Consilii, si videlicet Processus ab eo Cancellariae non submittatur, seu

hujus, si Causam urbarialem revidit, (superrevidit); nam et hujus resolutio per Consilium intimatur. Universitas in proxima post remissionem celebranda Congregatione Generali, vel Particulari Intimatum (intimatam determinationem vel resolutionem) suo modo publicat, et Protocollo consveto infert; una vero determinat, ut concernens districtualis Judlium illud (in paribus) cum Domino terrestri respectivo communicet, et Processum eidem consignet, ut ita ea, quae Intimatum praecipit, penes assistentiam Fisci Magistratualis, et celebrandam pro ratione circumstantiarum etiam Sedem Dominalem in effectum deducantur. An autem, et quomodo ea, quae Intimato praecipiuntur, effectui mancipata sint? idem Judlium suo tempore Relationem Comitatui praestare, simul etiam Processum referre obligatur, ad Archivum Comitatus reponendum. Comitatus vero Consilium e Generali vel Particulari Congregatione de effectu qua ratione procurato edocet.

Quae in Procedura hac de Colonis, ut actoribus dicta sunt, etiam intelligenda sunt de Dominis terrestribus a proportione, dum contra Colonos, ut actores procedunt.

1) Caeterum si delictum vel excessus per Colonum commissus jus puniendi auctoritate propria non excedat, et pars laesa contentetur data poena; citra Sedem dominalem justitiae impensio locum habere potest. Si vero Colonus stricte talis (vel familiaris ignobilis) actum majoris, vel minoris potentiae cum influxu Domini sui, adeoque per illum assumtus, missus, vel destinatus (commissionatus) patret, Processus principaliter adversus Dominum suscitatur, et Coloni (vel familiares ignobiles) ejus juri statui petuntur, in eodemque Processu sententiam cum Domino recipiunt. (tit. 82 2-ae; 1655 56; 2-ae 23; 1681 31 etc.)

2) „In pertractatione querelarum urbarialium, praesertim ubi de refusionibus, et bonificationibus

agitur, cum hae non arbitrii sed sententiae objectum sint, observata legali Dominorum terrestrium jurisdictione (Sede Dominali) legitime semper procedatur." (Res. Reg. 26-a Martii 1811 relate ad querelam Colonorum Bétshelyiensium, et Sz. Pétervariensium intimata).

3) „Siquidem Relationes hujus tenoris: Quod auditis etiam Colonis hoc et id evenerit, nimium genericae, et mere ab investigantis expressione pendentes essent; occasione quarumlibet Investigationum semper in specifico declaretur, quid Coloni auditi dixerint, quid affirmaverint, quid negaverint." (Res. Reg. de 9-a Julii 1773).

4) Relate ad Visitationes has seu Investigationes urbariales singulis annis mense Decembri peragendas Instructio peculiaris pro Magistratualibus elaborata fuit, pluresque emanarunt Resolutiones Regiae; operae pretium forte erit praecipuas illarum, quae ipsam quoque Instructionem memoratam fere exhauriunt, hic adferre:

Circularis 22-a Maji 1772 intimata praecipit: 1-o Investigationes hae per confrontationes, et oculatas in facie singuli loci, non vero incolas plurium locorum ad unum locum convocando peragantur. — 2-o Compertorum excessuum complanatio in instanti procuretur, si vero id fieri non posset, ex ipsa Sede Judiciaria adurgeatur, et super effectu Consilium informetur. — 3-o Investigationes has duo peragant, Judlium nempe et Jurassor, relationesque (urbariales) uterque subscribat. — 4-o Investigantes occasione primae investigationis conformiter ad Instr. Mag. Cap. V § 22 ad rubricam butyri puncto 2-o eruant numerum pecorum et pecudum, et deteminent, quot pecora et pecudes pro futuro singulus superior, et inferior officialis dominalis, ac servitor, parochus item, et ludimagister servare possint. Subseque vero investigent, an non excedatur numerus, et Relatoriis inserant.—5-o Quoad loca sigillis carentia, ejusmodi carentiam recognoscant. — 6-o An Examine 9 Punctorum, Conscriptione, Urbario, Tabella Urbariali, Executionalibus, Supplementis, Punctis Prohibitorum, Conscriptione Vinearum, et Exstirpaturarum provisae sint Communitates, inspiciant. — 7-o Que-

relas Colonorum punctatim in Investigationibus fracto margine ad dexteram, replicam vero Domini terrestris ad sinistram collocent; spacio vacuo ad singulum punctum pro decisione Sedriae relicto, ad quod etiam haec Decisum suum inseri curet. — 8-o Relationes Investigantium ad seriem numerorum reducantur, provocationesque ad has fiant. — 9-o Series locorum totius Comitatus adnotetur.

Resolutio Regia 9-a Junii 1774 Nro 2622 intimata circularis de sequentibus punctis separatam investigationis annuae relationem exhiberi, et submitti jubet: 1-o an tauri magni, et apti dentur. — 2-o an hyieme alimentationem congruam habeant. — 3-o an hoc fine pro eis penes habitaculum pastorum locus aptus, et idoneus sit. — 4-o an judex et jurati de alimentatione horum provideant. — 5-o an pro casu senescentium succrescentes dentur (eatenus audiatur etiam pastor) — 6-o numerus et aetas taurorum connotetur. 7-o Si defectum observant investigantes, corrigant, et sufficientiam taurorum a numero vaccarum, et juvencorum in 4 annum vergentium metiantur. 8-o tauri et juvencae ante 4 annum ad coitum non admittantur. — 9-o Trifolii inseminatio adurgeatur.

Resolutio Regia 14-a Junii 1774, Nro 2569 aeque circularis relate ad sequentia adhuc puncta occasione annuae Investigationis urbarialis reflecti, et de iis separatam relationem confici, et submitti mandat: 1-o Quae instrumenta ad supprimenda incendia coemta sint. — 2-o Quomodo puncta incendialis ordinis per Comitatum elaborati effectuata sint. — 3-o Quales ordinationes in effectum hujus dispositionis in quovis loco factae fuerint.

Vi Resolutionis Regiae 12-a Febr. 1777, Nro 757 circularis Magistratuales restantiarios praefixione termini non obstante, morosos (circa Investigationes urbariales annuas) aut rem integre haud praestantes Supremus Comes respectivus ad dandam neglectus talismodi rationem stringere debebat.

Virtute Resolutionis Regiae 4-a Octobris 1785, Nro 23219 (3-a Junii 1782 Pauly) circulariter intimatae praecipitur, ut occasione Investigatio-

num urbarialium annuarum indagetur, num merces praejuncturarum militiae praestitarum incolis in Contributionem imputata, aut per eos, quibus soluta est, in hunc finem conversa fuerit. Ut vero cuncta magis dignosci possint, ea quae Magistratuales pro Investigatione exmissi referunt, actis et documentis fulciantur. — Fassiones Colonorum non generice, sed specifice deducantur, sicque submittantur, nec Magistratuales in unius, aut alterius fassione conquiescant, verum realitatem querimoniarum exacte in forma probante investigent, ac ita comperta fideliter referant.

Resolutione circulari 12-a Januarii 1786, Nro 1829 intimata jubetur, ut deinceps in quibusvis, praecipue autem querimonias, et oppressiones Colonorum concernentibus negotiis praescriptae Investigationes omnimode accelerentur, et super progressu, ac statu ejusmodi negotii, in quo nempe subsistat, aut cur, et ubi adhaereat de mense in mensem, nisi brevior forte in specificis casibus terminus altissimo loco praefigatur, genuina Informatio submittatur; illi vero, qui protelationis causa fuerint, ad dandam facti rationem illico adigantur, et pro comperto in eos cum suspensione a salariis, et pro re nata severioribus etiam poenis animadvertatur.

Resolutio Regia 6-a Aprilis 1780 Nro 1661 Comitatibus Croatiae intimata praecipit, ut occasione peragendae annuae Investigationis urbarialis, una de Contractibus, per quos Dominos terrestres, et cum quibus initis, prout etiam de eo, num non supernumerarii nefors laboratores desumantur, specificae Relationes submittantur.

Reliquae sunt speciales.

5) Vide etiam Instructionem Ex. Mag. C V § 30.

6) Hoc in praxi non adeo religiose observatur.

7) Resolutio Regia relate ad Processum executionalem Dominii Csáktornya per Consilium 5-a Septembris 1771, Nro 5016 Comitatui Zaladiensi intimata.

8) Sedibus dominalibus sub nomine potioris Domini terrestris celebrari solitis reliqui quoque Compossessores interesse possunt.

9) „In re urbariali non esse opus multo processu, et verbis, quae negotium solum obscurant, protrahunt, et confundunt" (Instr. Com. Reg. § 25).

10) Inquisitiones autem in causis (objectis) urbarialibus tamquam politicis, non per Juratos Tabulae Regiae Notarios, verum per Magistratuales Comitatenses fieri debent (Intimatum Consilii R. L. H. 12-a Junii 1798 ad Comitatum Simeghiensem directum). Porro Inquisitiones ita peragi debent, ut singulorum testium fassiones ad respectiva puncta deutri annotentur, non vero omnium testimonia una tantum generali responsione complectantur Inquirentes (Res. Reg. 27-a Jan. 1775, Nro 412 — 13-a Febr. e. a. Nro 680 Com. Abaujv.; item 10-a de Junii 1774, Nro 2851 — 23-a Junii e. a. Nro 2814; item de 9 a Julii 1774, Nro 3319 — 22-a Julii e. a. Nro 2435 intimatae.)

11) Relate ad urbarialia negotia, quae pro ratione circumstantiarum longiorem dilationem haud patiuntur, verum celeriorem rei decisionem exigunt; Sua Majestas (Resolutione de 19-a Febr. 1772) praecipit, ut per Consilium R. L. praeferenter in revisionem sumantur, et Eidem repraesententur.

12) Processus videlicet terminatus in Sede Dominali cum omnibus Actis coassidenti Legali Testimonio traditur, quod eundem in proxime celebranda Generali vel Particulari Congregatione Universitati concernentis Comitatus exhibet; haec vero revisionem ejusdem Sedi Judiciariae (Sedriae) committit. Ab ea (praeferenter) revisus Processus dein ex Congregatione Generali vel Particulari proxime post revisionem celebranda Consilio R. L. H. submittitur, et quidem in crudo maculatorio (ut Instr. Com. Reg. § 25 expresse praecipit), seu quin modo in causis civilibus usitato expediatur.

13) Si controversia inter potiorem Dominum Terrestrem ex una, et reliquos Compossessores (Comportionatos) ex alia parte ratione beneficiorum communium, pascui, lignationis etc. Colonis eorum competentium vigeat; hanc Sedes Judiciaria ut forum primae instantiae decidit, eo magis, quod nullum juribus potioris Domini terrestris inferatur praejudicium, sed id dun-

taxat fiat, quod comportionatis Dominis terrestribus inter se dissidentibus de lege fieri oportet (1794 Nro 1375 1470).

14) Recursus urbariales, qui per Colonos altioribus locis exhibentur, et per haec ad Sedem Dominalem relegantur, utque hanc celebrari curent, Comitatibus communicantur, ab una Generali Congregatione usque aliam, etiamsi plene terminari nequirent, semper tamen inomisse inchoentur (assumantur), processuales autem Judices Nobilium pro testimoniis (legalibus in Sede dominali) adhibendi quoad singula objecta distinctam scriptam relationem Comitatui praestare, hic vero illam pro notitiae statu (interimali) Consilio Regio submittere tenetur.— Nonnunquam erga Recursum Subditorum in majoris momenti negotiis solet altiori loco Universitati concernentis Comitatus praevia punctorum ejusdem investigatio per exmissos e medio sui deputatos demandari, quo casu resultatum Deputationis comite opinione sua altiori loco submittere debet.

15) Relate ad Causas (Querimonias) urbariales duae quaestiones poni possunt, quae forte hic non incongruo loco solventur; nempe 1-o) an Colonus ratione Causarum urbarialium in judicem aliquem compromittere possit? 2-o) An intuitu illarum transactionem inire possit? — Ante omnia distinguenda objecta (urbarialia), in quibus principium administrationis publicae adductum, conservationis videlicet contribuentium, fundique contributionalis in quaestionem venit, ab objectis (urbarialibus), in quibus principium hoc non subversatur. Hoc praemisso, quod attinet quaestionem 1-am, relate ad objecta primi generis compromissum locum habere non potest; quia Colonus, etsi praescindatur a sui conservatione, quae etiam administrationis publicae interest, de fundo contributionali disponere non potest; nec ratio secus etiam adest compromissi, etiamsi principium allatum non laederetur, quia procedura politica legalis est utique summaria. Intuitu objectorum secundi generis, quae etiam via juris ordinaria pertractari possent, compromissum subsistere potest. — Quod vero attinet 2-am quaestionem; transactiones quidem fieri possunt, ita tamen, ut in objectis primi gene-

ris quemadmodum Contractus urbariales altissimae ratificationi substernantur, et principia etiam pro Contractibus urbarialibus stabilita observentur. Hoc per se intelligitur, quod mutuus partium litigantium, isque ab omni coactione liber, consensus, et respective etiam influxus Fisci Magistratualis Colonis assistentis adesse debeat.

§ 33.

De Saevitie, et ejusdem poena.

Dominus terrestris, (vel Officialis ejusdem) limites Jurisdictionis privata auctoritate exercendae praesertim cum graviore laesione Subditorum suorum transgrediens, saevire in eosdem sensu juris dicitur; 1) et ideo poenam saevitiei metuendam habet, actore Fisco Magistratuali, et judice Sede Judiciaria concernentis Comitatus (1729 a. 35). 2) Poena haec pro qualitate laesionis varia est. Si Dominus terrestris illegales praetensiones ab Subditis suis extorserit, fundos illorum citra viam juris ademerit, aut quacunque alia injuria reali ipsos affecerit; in hujus compensatione, damnorum refusione, fundorumque illegaliter ademtorum una cum fructibus intermedio tempore perceptorum restitutione, convincitur. Si vero Colonum sine legitima causa verberari aliaque poena affici curavit vel modum in verberibus, aut alia castigatione excessit; excessum hunc detrimentumque eo corpori Subditi illatum convenienti arbitrio prudentis judicis determinanda mulcta pecuniaria (graviori etiam poena pro ratione circumstantiarum) luit. Porro si Subditus saevitie Domini adactus fugam arripiat, Dominus terrestris saeviens in homagiis (40 florenorum) singulorum profugorum Colonorum convincitur;

facultates vero illorum, si amplius non revertantur, aut se non insinuent, deductis utique ante oneribus publicis, et privatis, in Communitatis illius, ex qua Colonus profugit, utilitatem et emolumentum (alleviamen) convertuntur. Denuim expensae quoque processuales (quibus honorarium quoque Fisci magistratualis ex natura sua, et analogia etiam art. 21 1807 includitur) Dominum saevientem manent 3). Officiales pro ratione status civilis, muneris item, quod gerunt, et excessus commissi, praeter compensationem damni illati, restitutionem rerum ademtarum, saevitiem poena arbitraria aeque, foro convenienti luunt 4). Idem quoque de Servitoribus a proportione intelligendum est. Si vero Officiales, et Servitores discedant, antequam satisfecissent Colonis quoad injurias reales, aut vero secus satisfaciendo non essent; Dominus terrestris pro illis satisfacere obligatur, neque defectu regressus a satisfactione absolvi potest, quia Dominus terrestris pro Officialibus respondere tenetur. (Res. Reg. relate ad Processum Executionalem Dominii Csáktornya per Consilium 5-a Sept. 1771, Nro 5016 Com. Zalad. intimata; – Res. Reg. 26-a April. 1773 intimata) 5). Quod attinet Sessiones, et caeteros fundos, qui connumerationem portarum jam ingressi sunt, ejusmodi profugorum, et non amplius revertentium Colonorum; hi erga praestationes urbariales aut novis Colonis, aut vero reliquis in loco degentibus cedi debent (C VI, § 2), nullatenus vero Allodiaturae applicari possunt. – Homagii in casu fugae Colonorum dictandi una tertia pars judici cedens Cassae publicae infertur. Hanc quidem Fiscales assistentes sibi adjudicari petebant, sed Resolu-

tio Regia ipsis denegavit (Res. Reg. de 8-a Jan. 1784, Nro 91). Duae tertiae partes laeso Colono, (quemadmodum et in aliis causis birsagialibus incatto) obveniunt. Si vero non revertatur, nec se insinuet, has quoque Cassae publicae cedere mihi dubium non est.

1) Ab Saevitie distincta est Oppressio, quae stricte in excessu normae legalis alteriusque praevigentis ratione praestationum urbarialium, vel terrarum aliarumque rerum illegitima ademtione consistit. Ob nexum tamen utriusque excessus, qui communiter nomine Excessus Urbarialis insignitur, eundem hic una fidelia pertractandum censui, et quidem sub nomenclatione Saevitiei, quae stricte tantum personales laesiones per excessum juris puniendi propria auctoritate exercendi involvit. Etiam Decisio utrumque excessum eodem Saevitiei nomine comprehendit. Hoc autem per se intelligitur, quod Dominus terrestris non tantum damnum excessu urbariali Colono illatum, sed alia quacunque etiam ratione eidem causatum refundere obligetur juxta canonem juris: damni auctor ad illud resarciendum obligatur. Sic v. g. si controversia inter Dominos terrestres vertente Subditi ad sustentanda jura dominalia commissionati damnum aliquod patiantur, per ademtionem rerum etc. etc. id Dominus terrestris concernens ipsis refundere tenetur (1802, 23-us; vide etiam Decis. Cur. in Causa Fisci Mag. Com. Zagrab. contra Disman Szrebrics, Georgium Chachkovits, et Joannem Bussán sub termino S. Stephani 1813 latam).

2) Vide etiam articulos 1715 101, 1723 18.

3) Decisio Curialis unica de Poena saevientium in Colonos; vide etiam Res. Reg. 7-a 9-bris 1815 relate ad querelas urbariales Possessionum Hotsod, Récse, Orosztony, Felsö Rajk, Petred, Meremye, Garaboner, Gyepő, Szent Balás, Pölöske et Uj Udvar Szerdahely, Sz. Mihály et Szabak Comitatui respectivo intimatam; item Res. Reg. relate ad Processum urbarialem Colonorum Ikervariensium 28-a Maji 1799, Nro 12962 per Consilium Regium intimatam, praeter plures alias.

4) Vide etiam Resolutionem circularem de 28-a April. 1766.
5) Res. Reg. de 1-a Maji 1772 praecipit, ne provisores, aut quicunque alii Officiales, vel Servitores prius per Dominum manumittantur, (dimittantur) quam cum Colonis habitas nefors praetensiones complanaverint.

CAPUT II.

DE CONSECTARIIS JURISDICTIONIS DOMINALIS.

§ 34.

De Defensione Subditorum stricte talium Domino terrestri incumbente.

Defensio Colonorum Domino terrestri incumbit in omnibus casibus, in quibus eorundem personae resque periculo exponuntur, vel detrimentum quodpiam patiuntur injuria ipsis per alios extraneos inferenda, vel jam illata. – Praecipuam tamen partem hujus defensionis constituit obligatio Domini terrestris, Colonorum stricte talium causas civiles activas adversus nobiles ob injuriam realem, vel personalem ipsis (Colonis) illatam, proprio actoratu persequendi. „Advertendum est praeterea, quod rustici Dominis eorum temporalibus in tantum subjecti „sunt, ut per semet ipsos cum nobilibus „ratione quorumcunque negotiorum lites pro-„trahere non possint", ita titulus 31-us principio. Subditi igitur, seu Coloni stricte tales (nam de illis tantum agit Verböczius in tractatu suo

de Villanis inde a titulo 25-o usque 31-um inclusive; vide § seq.) actoratu proprio adversus nobiles extraneos (non Dominos terrestres) 1) destituuntur in causis et controversiis civilibus, egentque defensione Domini terrestris, qui pro ipsis agat. In causis criminalibus et publico politicis Fisco respectivo (dominali, magistratuali, vel regio) actione ex officio utique incumbente. Lex illa ad omnes causas civiles ut videtur contra nobiles (extraneos) suscitandas se extendens modificata est per articulum 20-um anni 1802, 2) ita videlicet, ut Colonis ratione causarum contractualium et simplicis successionis 3) libera proprio actoratu coram jure agendi facultas, ni actoratu Domini sui et in illis sibi subveniri mallent, tributa fuerit. Licet enim citatus articulus initio absolute (ut videtur) statuat, ut Dominus terrestris teneatur ultra quoque Subditos seu Colonos stricte tales actoratu suo coram jure tueri, et si id aut negligeret, (intermitteret) aut propter defectum facultatum non posset, Fiscus Magistratualis ex publico assignandus vices ejus supplere obligetur: quia tamen rationem dispositionis hujus lex ipsa illam reddit, quod ipsi Coloni sub proprio actoratu vix aut nonnisi cum dispendio procedere possent, adeoque dispositio legis quoad Dominos terrestres tantum absolute, quoad Subditos vero solum conditionate, si velint videlicet actoratum a Domino suo mutuare, obligans sit; paulo post subjicitur, quod in contractualibus, et simplicis successionis casibus, (si velint subintelligendo) procedere, (proprio actoratu) possint, quemadmodum nempe alii ignobiles. Per hanc igitur modificationem tributa est Colonis etiam stricte talibus litigandi activitas etiam contra

nobiles fere relate ad negotia omnia vitae civilis, quorum tractandorum, et ratione rerum omnium, quarum possidendarum capaces sunt; remanentque solummodo facta illicita inter delicta privata relata (publico politicis et criminalibus alioquin actione Fisci respectivi vindicandis), maxime vero actus potentiarii minores (actu enim majoris potentiae tantum nobilis in persona et rebus suis laedi potest) relate ad poenam civilem, dum videlicet adhibita vi in persona vel rebus suis a nobilibus laeduntur, in quibus Coloni proprie tales actoratum a Domino terrestri mutuare debent (vide Caput I, de Jurisdictione dominali). 4)

Dum vero Dominus terrestris pro Subditis suis agit, si actio pro scopo acquisitionem rerum, (illarum utique, quarum possidendarum Subditi capaces sunt) vel obligationis ex pacto ortae impletionem habet; leges nihil peculiare disponunt quoad Colonos. Si autem factum illicitum, (ad jus civile pertinens) praeprimis violentum (violentia) vindicetur: tunc si eo persona Subditi v. g. verberatione, vulneratione laedatur, nobilis incattus in poena violentiae 100 fl-norum Domino terrestri, cujus jurisdictio violata est laesione Coloni, cedentium, porro poena homagii Subditi laesi 40 fl-norum eidem persolvendorum convincitur; si vero in rebus suis per violentiam nobilis damnum passus est, hic adversus Dominum terrestrem aeque in 100 florenis, adversus Subditum vero in restitutione rei ablatae, et resarciendo damno illato convincitur, poena homagiali hic locum non habente, quae in injuriis realibus solum nobilibus adjudicatur. (3-ae 31-us, et in sensum ejusdem factae Deciones 10-a et 31-a ad poenam violentiae) 5) Expensarum vero Domino terrestri cedentium refusio in utroque casu locum habet.

Idem obtinet, si Fiscus Magistratualis in casu negligentiae Domini terrestris, vel defectu facultatum apud eundem subversante pro Colonis agit; nisi quod poena 100 florenorum propter violatam jurisdictionem dominalem, cum illam Dominus terrestris haud vindicet, locum non habeat, 6) expensae vero litis per illum, qui causa cadit, solvendae Fisco magistratuali cedant. Haec si Incattus sit nobilis;

Si vero Incattus sit ignobilis, activitas litigandi Colono in propria persona utique nullum dubium patitur (a sensu contrario tit. 31-i 3-ae). Superius commemoratis quoad poenam principiis etiam hic locum habentibus.

1) Adversus proprium Dominum terrestrem Colono tam in civilibus quam et politicis (urbarialibus) causis et controversiis actio omnino competit sub assistentia Fisci Magistratualis etiam, si illam desideret.

2) „Ut illorum, quibus hucusque Personalis Actoratus non competebat, sed pro illis vel Magistratus Civici, vel Terrestris Domini Actoratu procedebatur, Negotia litigiosa facilius promoveantur, Status et Ordines cum annutu Suae Majestatis Sacratissimae statuunt: ut ut Civibus, et liberae Conditionis nulli Jurisdictioni Dominali subjectis in Contractualibus, et simplicis Successionis Casibus proprio Nomine contra Nobiles litigandi Activitas concedatur, in Potentiariis autem, et Personalibus Actoratus Fisco Magistratuali ex Publico ordinando ea ratione competat, ut adjudicandum homagium, et refusio damni laesis ignobilibus, Expensae autem Litis per illum, qui Causa ceciderit, compensandae Fisco Magistratuali cedant. Illos vero, qui Jurisdictioni Dominali subjecti sunt, quia vix, aut non nisi cum dispendio procedere possent, ultro etiam Domini Terrestres in Negotiis, quae hucusque eorum Actoratu promovebantur, tueantur; si vero intermitterent, aut propter defectum facultatum non possent, Fiscus Magistra-

tualis ex Publico assignandus eorum Causas coram Jure promoveat, et Fisco assistenti Expensae perinde adjudicentur, per eum, qui Causa ceciderit, complanandae. Eo praeterea suapte intellecto, quod his quoque, qui Jurisdictioni Dominali subjecti sunt, in Contractualibus proprio Actoratu procedere liceat."

3) Inapposite aliqui Commentatorum Juris civilis addunt quoque causas divisionales; quia hae utique cum inter consanguineos vertantur, qui ignobiles sunt, actoratu Domini terrestris non egent.

4) Cum Coloni stricte tales jurium possessionariorum possidendorum sint incapaces; restrictiones, quae generatim quoad ignobiles jure materno, uxoreo, aut emtitio jura haec possidentes locum habent, quod videlicet ad invalidationem Fassionis perennalis (sive ex praejudicio, sive ex neglecta praemonitione (Dec. 22-a et 23 a pag. 83, et 89-a Editio prima), seu antiquae successionis titulo agere non possint, etiam quoad illos obtinent.

5) Decisio 4-a ad poenam violentiae est contra titulum, et decisiones citatas.

6) Decisio Curialis 4-a pag. 171-a Ed. 1-a ignobili nulli dominali Jurisdictioni subjecto, in proprio fundo degenti, via facti ex bonis suis ejecto vel damnificato penes assistentiam Fisci Magistratualis ad respositionem sui, et una ad violentiae poenas agenti contra Nobilem, hunc ultra restitutionem Bonorum occupatorum, fructuum item medio tempore perceptorum prout et expensarum refusionem in florenis 40 homagio Ignobilium convincit. Quod tamen mihi cum spiritu legis minus convenire videtur.

§ 35.

De successione Domini terrestris in defectu et nota, fuga item Colonorum stricte talium

Jus Successionis Dominorum terrestrium in rebus Colonorum suorum ex triplici fonte promanat, videlicet: Defectu, Nota in sensu lato adeoque pro Nota Infidelitatis stricte tali, Cri-

mine laesae Majestatis, et Perduellionis sumta, ac Fuga.

Quod attinet Jus Successionis ex Defectu, haec notanda sunt: Generatim Colonorum testandi facultas duplicem subit restrictionem, ratione qualitatis patrimonii (rusticani utique, nam de illo tantum hic agitur) et ratione juris successionalis Domini terrestris. Per qualitatem patrimonii intelligimus hic aviticitatem, vel acquisitionem illius intuitu testatoris; haec restringit Colonum quemcunque ratione dispositionis secundum receptum in jure civili communi principium, quod de aviticis non competat disponendi facultas, sed solummodo de acquisitis, aviticis via successionis legalis (ordinariae) haeredibus cedentibus. Alia restrictio ratione juris succedendi Domino terrestri competentis respicit solummodo Colonos stricte tales, et in defectu constitutos. Secundum hanc restrictionem hi tantum de rebus mobilibus (tam avitis quam acquisitis) et medietate immobilium acquisitorum 1) libere disponere possunt; alia medietas acquisitorum, et universa avitica, in casu vero defectus ab intestato totum patrimonium deficientis vi juris successionalis Domino terrestri cedunt. Hanc vero restrictionem tantum Colonos stricte tales respicere, et Domino terrestri tantum in defectu Colonorum stricte talium successionem competere, evidens et manifestum est; nam Verböczius titulum 25-um 3-ae ita orditur: „Caeterum habita jurium civitatum liberarum, ac defensionis, et offensionis declaratione, jam de Villanis (quos Jobbagyones nuncupamus) tractandum est" et agit de illis serie titulorum 25-i 26-i 27-i 28-i 29-i 30-i 31-i, inter quos in titulo 30-o tamquam lege classica jus successionis in defectu Colo-

norum Domino terrestri competens fundatur. Sub Villanis vero seu Jobbagyionibus Verbőczius Colonos stricte tales Dominis ipsorum terestribus mera et perpetua jam rusticitate subjectos 2) intelligit, quemadmodum totus contextus tituli 25-i et etiam 26-i de impensione sonantis denotat; nam impensio nonnisi de Colonis quoad personam quoque suam jurisdictioni Domini terrestris subjectis, seu de Colonis stricte talibus locum habere potest. – Haec quamvis plani juris sint, tamen articulo 62 1715-i ita legislatores loquuntur: „Siquidem circa personarum nobilium in fundis tamen rusticanis degentium, imo etiam ignobilium caducitates, taliumque successionem nonnullae hactenus – – exortae fuissent quaestiones, et difficultates, ideo – – statuitur; ut Domini quidem terrestres omnes et singuli in universis bonis, rebusque mobilibus Rusticorum seu Colonorum suorum acquisitis, non tantum in semine deficientium, et ab intestato decedentium, sed etiam Notae infidelitatis aut Criminis laesae majestatis reorum imperturbate succedant. Nobilium vero, et liberarum personarum nulli proprietario domino obligatarum, in fundis rusticanis degentium, seu in semine deficientium et ab intestato decedentium, seu de nota infidelitatis, aut criminis laesae majestatis convictorum universae res mobiles per eos acquisitae una cum summa pecuniaria, si quae in ejusmodi fundis rusticanis investita comperiretur (solis duntaxat fundis ac iisdem allegatis appertinentiis per Dominum terrestrem, nisi et is eotum a fidelitate defecerit, libere reluendis, sicque pro se retinendis) ad rationem Fisci regii applicari debeant.“ Verum lex haec, tantum abest ut quaestiones et difficultates, ad

quas tollendas lata erat, revera sustulisset, ut potius novas, et ampliores crearet, ipsamque Curiam Regiam in discordiam adduceret, 3) semine discordiae per expressionem illam legis „Nobilium vero, et Liberarum Persona„rum nulli proprietario Domino obli„gatarum in Fundis rusticanis 4) de„gentium" etc. etc. jacto. – Tabula Regia videlicet locum hunc ita interpretabatur (Dec. 20-a, et 32-a de actionibus Fisci regii), Nobilium vero in fundis rusticanis degentium, et liberarum personarum nulli proprietario domino obligatarum in fundis rusticanis degentium etc. etc., ut illud: „nulli proprietario obli„gatarum" non ad ly: Nobilium, sed ad ly: „et liberarum personarum" referret. Tabula vero Septemviralis ita legebat, ut substantivum personarum ad utrumque praecedens epithetum: nobilium, et liberarum referret, et sic ly: „proprietario do„mino obligatarum" tam nobiles quam liberas personas respicit (Dec. 32-a citata). Juxta interpretationem igitur Tabulae Regiae ex defectu Nobilium in fundis rusticanis degentium nunquam Dominus terrestris, sed semper Fiscus Regius succedit; in defectu vero Ignobilium in fundis rusticanis degentium tantum illorum, qui Domino terrestri obligati, adeoque liberi non sunt, hic succedere potest. Juxta mentem Tabulae Septemviralis (Dec. 32-a) et Nobilium et Ignobilium in fundis rusticanis degentium, ac Domino terrestri sive quoad personam, seu quoad fundum obligatorum defectus successionem eidem aperit. Sed ipsa Tabula Septemviralis in Decisione alia (Dec. 20-a citata de actione Fisci Regii) interpretationem Tabulae Regiae secuta est. Tota quaestio igitur tantum eo

recideret, quaenam sint illae personae liberae, seu nulli proprietario Domino obligatae? Quod hic immunitas a jurisdictione dominali quoad fundum rusticanum intelligi non possit, per se patet; quia fundi rusticani ex natura sua jurisdictioni dominali subsunt, adeoque relate ad illum possessores etiam nobiles proprietario domino obligati omnino sunt, et esse debent: igitur immunitas haec quoad personam ignobilis in fundo rusticano degentis accipienda est. Ex quo sequitur: 1-o quod Dominus terrestris tantum in defectu Colonorum stricte talium, quemadmodum relate ad defectum titulus 30-us 3-ae – qui alioquin per citatum articulum 62 1715 sublatus non est, sed quem potius lege hac legislatores uberius explicare volebant, – statuit, succedere possit. 2-o quod jus hoc Successionis ex identitate rationis etiam ad Subinquilinos, qui praeterea etiam Colonorum nomine veniunt, et omnes illos, qui in famulitio seu apud Colonos, seu alios quoscunque in territorio Domini terrestris habitantes constituuntur, et ignobiles sunt, extendatur. Hoc per se intelligitur, quod Fisco Dominali Jus successionis tantum deducto jure et aere alieno competat. Porro Fiscus Regius tantum in mobilibus nobilium, prout et liberarum personarum succedit, non vero in fundis ipsis; ad mobilia vero refertur etiam pecunia, si quae in fundis (superaedificatis, implantatis) investita esset. Fundos, (intravillanos) prout alligatas iisdem appertinentias Dominus terrestris a Fisco Regio secundum aestimationem consvetam (in aliis reluitionibus locum habentem) reluere, sed non prout lex habet, pro se retinere, hoc est allodiaturae suae applicare potest; eatenus enim modificatus est articulus hic per 1723 a. 18-um, ad quem etiam

Urbarium (C VI § 1) provocat, asserens, quod Dominus terrestris tantum salvo illo, caduca Subditorum bona recipiendi facultatem habeat. Igitur ejusmodi fundi, quemadmodum remanentiales et deserti aliis Colonis erga aestimationalis pretii persolutionem, et consvetas urbariales praestationes dandi sunt. Idem utique intelligendum est secundum citatum Caput Urbarii, si Dominus terrestris succedat in fundis Colonorum.

Quod relate ad Jus Successionis ex defectu Domino terrestri competentis hucusque dictum est, intelligi debet quoque de jure Successionis ex nota eidem per citatum articulum 62 1715 attributum; cum lex haec utrumque conjungat.

Relate ad pertractationem Caducitatum Urbarium (citato Capite et §) praecipit, ut ad praecavendos omnes eatenus evenire queuntes excessus res caducitatum per solos dominales Officiales non tractentur; verum hae in Sede Dominali suo debito modo assumantur, et juxta praescriptum tituli 30-i partis 3-ae determinentur, ac tandem negotium hac ratione coram Sede Dominali determinatum ad Sedriam Comitatus referatur. Haec tamen dispositio in sensu articuli 25-i 1715 intelligenda est, vi cujus „Fiscus Regius in manifestis defectibus, adin„star aliorum successorum vi tituli 10 et 67 „Partis 1-ae Operis Tripartiti, sine praescripto „juris processu, propria duntaxat auctoritate, „bona apprehendere potest." Quod enim Fisco Regio, et omnibus aliis successoribus licet, nec Fisco Dominali denegari potest, adeoque hic ad Caducitates tantum dubias via juris ordinaria pertractandas obligari potest; si videlicet quaestiones obvenientes amica ratione, (moda-

litate) complanari non possent. – Colonis diserte vetatur usurpatio Bonorum caducorum, iisque imponitur, ut illico post deficientis mortem illa Domino terrestri detegant. (Cap. VI § 1; Urb. Slav. P II, 5-o)

Species quaedam Successionis Domino terrestri competit etiam in bonis profugorum Colonorum juxta Caput VI, § 1, et Urb. Slav. P II 5-o. Sed jus hoc uberiori eget dilucidatione. Articulis 28, 29, 30, 31, 32, et 33 1556 libera Colonis migratio iterum admittitur, modusque migrandi determinatur, articulo 31-o citato statuitur: „Si vero Colonus cujuspiam non observatis praemissis modis Transmigrationis ad aliena bona se, vel clam, vel fugitive moraturum conferret; vel violenter abduci faceret: extunc omnes haereditates, et bona mobilia, et immobilia talis Coloni, in bonis et ditione Domini sui existentia, et habita, in eundem Dominum suum terrestrem (more antiquitus semper observato) devolvantur, et per eum libere occupentur, et auferantur.“ Ex hoc articulo Compilator Urbarii Hung. Croat. et Slav. jus hoc Domini terrestris desumsit. Hoc praemisso certum est, 1-o quod jus hoc tantum ratione profugorum Colonorum stricte talium competat Domino terrestri, de illis enim agit memoratus articulus; 2-o quod jus hoc non competat Domino terrestri etiam ratione Colonorum stricte talium propter severiorem tractationem profugorum obstante Decisione (unica de saevitie); 3-o quod jus hoc competere non possit Domino terrestri in casum illum, si adsint haeredes legitimi profugi Coloni in loco remanentes, quia legibus nostris nulla poena ferit haeredes innocentes ipsius delinquentis; 4-o jus hoc cessat, si Colonus profugus revertatur; 5-o

jus hoc tantum ita competit Domino terrestri, ut onera quaecunque bonis ejusmodi Colonorum inhaerentia prius depurentur. Urbarium Slav. (cit. loc.) diserte praecipit, ut usque reductionem profugi facultates ejus in sequestrum sumantur, restantia tamen onera publica, aliaque ex iis depurentur. 6-o Salvo articulo 18-o 1723-ii 5).

1) Urbarium Ban. Colonis deficientibus de tota acquisita substantia disponendi facultatem tribuit; ita enim C VI 1-o habet: „Dieweil den Unterthanen dieses Districts die Ansässigkeit von Erben, auf Erben, wie auch das Verkaufsrecht, wie oben erwähnt, vermög der bereits geschehenen Einrichtung zugestanden worden ist, so hat der Grundherr bey den Unterthanen, welche keine successionsfähige Erben hinterlassen, und von ihren Habschaften (wozu doch die Grundansässigkeit nicht zu rechnen ist) durch kein Testament disponiret haben, das Successions-Recht vermöge des Tituli 30 Partis 3-ae fernerhin zu geniessen."

2) Tituli 25 § 2 „Et quamvis omnes istae nationes (Jobbagyionum) hac libertatis praerogativa hactenus gavisi fuerint, ut dum et quando voluissent de loco residentiae ipsorum ad alia loca, quae maluissent — liberam se se moraturos conferendi habuissent facultatem; hujusmodi tamen ipsorum libertatem superiore hac aestate propter Seditionem penitus amiserunt, Dominisque ipsorum terrestribus mera et perpetua jam rusticitate subjecti sunt." — De his igitur, et non aliis agit Verböczius titulis in textu memoratis; de quibus utique nullum dubium esse potest, quod intuitu et rei, et personae Domino terrestri subjecti fuerint.

3) Dec. 32 „Si nobilis in Fundo Rusticano degens, et Domino terrestri obligatus deficiat, in substantia ejusdem mobili non Fisco Regio, sed Domino terrestri competit successio; quia articulus 62 1715 in mobilibus personarum Nobilium, et liberarum fundos rusticanos incolentium solum tunc defert successionem Fisco Regio, si

illae Dominis terrestribus nullatenus obligatae *) sint." Tabula Septemviralis.

Notandum. „Tabula Regia articulum 62 1715 ita interpretabatur, qaod Fiscus Regius in mobilibus personarum Nobilium indiscriminatim succedere debeat, seu in fundis Rusticanis degant, et Domino terrestri obligatae sint, sive non; clausulam illam praecitati articuli nulli Proprietario Domino obligatarum solum ad personas liberas, et ignobiles referendam esse arbitrabatur, et ideo cum in casu praemisso deficiens fuerit indubitatus nobilis in substantia ejusdem mobili Successionem Fisco Regio detulit." (pag. 208-a Ed. 1-ae)

Dec. 20 „Si Fiscus Regius per defectum talis personae, quae in fundo rusticano degebat, et cujus nobilitas dubia erat, ex articulo 62 1715 processum moveat, tunc non secus, quam si deficientis nobilitatem, aut a jurisdictione dominali immunitatem **) luculenter comprobet, actionem sortitur; in dubiis enim leges liberant potius, quam obligant, et ubi actor plene non probat, standum est pro possessore." Tabula Septemviralis.

Notandum: „In praemissa Causa Tabula Regia ex eo, quod deficiens Elisabetha Cseh alias rustico nupta, adeoque una eum marito suo contributioni subjecta, ad Comitatum certam Instantiam dederit, atque in illa semet tamquam personam nobilem, et alioquin senio, morbisque confectam a contributione immunitari petierit, Comitatus vero eandem omnino immunitaverit, adstipulante etiam certa super nobilitate ejusdem producta collaterali Inquisitione, eandem defiicientem pro nobili reputavit, adeoque substantiam illius Fisco Regio adjudicavit: e converso Tabula Septemviralis ideo, quod deficiens rustico nupta continuo dicationi obnoxia, atque adeo extra usum nobilitatis posita fuerit, praedeductas probas pro edocenda nobilitate pro insufficientibus reputavit." (pag. 219 Ed. 1-ae)

Dec. 37 „Siquidem Successio Fisci Civici in defectibus per art. 16 1649 ad bona duntaxat civilia restricta esset, idcirco eveniente alicujus liberae in Civitate degentis, sed nulla bona civilia possidentis personae defectu, ex art. 62

1715 in substantia deficientis nullam successionem praetendere potest, verum Fisco Regio immediata successio competit; quia praecitatus articulus habet pro objecto liberas personas in fundis rusticanis degentes, sub istam vero classem fundi civiles non cadunt, cum itaque circa Successionem Fisci civici post superius citatum art. 16 1649 nihil novi per leges statutum sit, ideo illa ultra sensum ejusdem articuli extendi nequit, verum praecise exinde repeti debet.“ Tabula Septemviralis.

Notandum: „In praemissa Causa Tabula Regia ideo, quod deficiens ad onera civilia concurrerit, et Magistratus civicus in illo Jurisdictionem exercuerit, Successionem Fisco civico detulit, cum enim quaelibet Civitas repraesentet nobilem, hinc quemadmodum juxta articulum 62 1715 nobilis Dominus terrestris personae liberae in bonis suis degenti et sibi obligatae ***) in casu defectus seminis succedit, ita idipsum etiam quoad Civitates circa personas liberas in gremio illarum degentes, onera civilia supportantes, adeoque jurisdictioni ipsarum subjectas, statuendam est.“ (vide Planum Tabulare ed. 1-a pag. 211-a)

*) Videtur minus cohaerens, quia nobilis in fundo rusticano degens non potest Domino terrestri nullatenus obligatus esse; quoad fundum enim semper erit obligatus.

**) Hoc est immunitatem a jurisdictione dominali quoad personam. quia quoad fundum rusticanum nulla datur. Et ita sumta, quemadmodum etiam sumi debet, decisio haec cum sententia nostra apprime convenit.

***) Videtur minus cohaerens, cessat enim esse persona libera. quamprimum est obligata. qui citata lex per liberas personas illas intelligit, et intelligere debet, quia alias nec potest, quae quoad personam suam non sunt subjectae jurisdictioni dominali, cum utique quoad fundum omnis subjecta sit, adeoque libertas in quaestione vertens non ab immunitate a jurisdictione dominali quoad fundum repeti possit; alia vero obligatio, quam quoad rem vel personam nec concipi possit.

4) Si aliquis v. g. arendator non in fundo rusticano, sed dominali stricte tali seu allodiali degat, de successione cui competente nec quaestio esse potest, semper enim Fisco Regio competit. (Causa Fisci Regii contra Comitem Carolum Erdődy ad obtinendam universam Georgii Horváth Diversorii in Praedio Pinka Szent Király Comitatui Castriferrei ingremiato, et ad Comitem I. pertinente, siti, Arendatoris alias liberae personae, et consortis suae Elisabethae Hunkár infelici casu e vita sublatorum, et absque solatio prolium ab intestato decedentium, caducam per Comitem I. illegitime occupatam substantiam, coram Tabula Regia suscitata) Aliud est utique, si ejusmodi Arendator vel alter sit simul etiam jurisdictionatus Domini terrestris, cujus fundum etc. exarendat.

5) Intimatum Consilii R. L. H. 26-a Aug. 1800 editum, jus hoc Dominorum terrestrium substantiam profugorum occupandi tantum ad restantes praestationes et terrae infixa restringit (supputatis utique reliquis quoque debitis passivis).

§ 36.

De Tutela et Curatela Pupillorum Colonorum stricte talium.

Tutela, quemadmodum et Curatela est triplex: testamentaria, legitima, et dativa. Testamentaria constituitur Testamento per parentes, quorum patriae potestati pupillus subest juxta jus civile commune; potest tamen tutela et cognatis proprie dictis deferri, quia ratio legis contrarium svadens quoad Colonos cessat (Partis I-ae tt. 116, 119 etc.). In Tutela legitima, quae immediate per legem defertur, naturalis et legitima simul, seu per patrem, vel matrem genita primum tenet locum. Hanc naturalis tantum, quam collaterales gerunt, excipit; quoad hanc

quoque tutelam juris communis placita et inter Colonos valent, nisi quod discrimen inter agnatos, et cognatos penitus cesset, quia inane est. Si tutela testamentaria, et legitima deficiat, dativa locum obtinet; cujus principium (praeter publicae administrationis officium) est, quod qui jure succedendi in rebus deficientium pupillorum gaudet, ille et Tutorem constituere debeat. Cum vero Domino terrestri supra jus succedendi in defectu Colonorum stricte talium asseruimus; ex hoc principio etiam obligationes consvetas Tutelae, et respective Curatelae dativae orphanorum Colonorum stricte talium 1) eidem imponamus, oportet. (C VII § 1; ac analogia legum de tutela nobilitari sonantium.)

Obligationes autem hae huc fere redeunt:

1-o Statim post mortem parentum patrimonium (substantia) eorundem ex parte Dominii per exmittendum Officialem in praesentia Judicis et aliquot Juratorum loci, vel etiam horum tantum conscribenda est; si vero Conscriptio haec statim locum habere non possit, res mobiles sigillo dominali (officioso) et etiam Communitatis interim obserandae sunt. Haec est obligatio Judicis, et juratorum loci, si Officialis dominalis vel absit, vel remotius a loco degat, vel secus impeditus statim ab interveniente morte Coloni Conscriptionem, Obserationemque suscipere non posset. – Conscriptione Substantiae pupillaris peracta, debita quoque defuncti tam activa, quam passiva conscribenda sunt; et sic tam de statu activo, quam passivo ejusdem Inventarium conficiendum. – Debitorum (passivorum intuitu praesertim) incumbit Domino terrestri vel ejus Officiali (Fiscali si adest) in realitatem eorundem indagare, et realia in quantum fieri potest, statim

depurare; circa dubia vero vel cum Creditoribus utili pupillis ratione convenire, vel pro ratione circumstantiarum eos ad Sedem Dominalem una cum illis, quorum debita irrealia comperta fuerint, si eorundem persolutioni insisterent, relegare.

2-o Debitis, funebralibus item Expensis, ac Legatis, quantum fieri potest, statim exsolutis; quod attinet reliquam Substantiam tam mobilem, quam immobilem pupillorum, haec, si testamentum adest legitimum, secundum illud tractanda. Secus pro adjunctorum, utilitatis item pupillorum majoris vel minoris ratione, secundum prudens Domini terrestris vel ejus Officialis arbitrium, aut distrahitur et quidem semper auctione publica (licitatione mediante), conditionibus ejus iterum in commodum pupilli per Dominium, vel Officiolatum defigendis, praesertim intuitu terminorum solvendi pretii emptionalis; aut administratio ejusdem tutori per Dominium constituto, viro utique probo et diligenti concreditur erga certam mercedem, vel in pecunia, vel determinata fructuum percipiendorum parte; aut denique sub inspectione et cura Domini terrestris vel constituti ab illo Tutoris aut Curatoris in locatum datur (exarendatur), in ultimis casibus duobus distractis ante rebus mobilibus, quae conservari non possunt, aut minus necessariae pupillis videntur. 2)

3-o Si Substantia Orphanorum integra distrahatur, pecunia e distractione resultans securo loco per Dominium elocanda est, ac Debitor ad solvenda interusuria suo tempore adurgendus. Si vero Curator administrandae substantiae pupillaris constitutus fuit, is singulis annis (ab analogia 1765 26) ad dandas rationes stringi debet, suo modo per Dominum, vel ejus

Officiolatum censurandas. Nec tamen censura sola rationum tutelarium absolvitur obligatio Dominii ratione tutoris; incumbit illi quoque invigilare, an tutor pupillos bene educet, et rem illorum diligenter, ut bonus paterfamilias, curet. Si neglectum in cura sive personae, seu rei, aut vero saevitiem in illam, et crudelitatem advertat; Tutorem monebit, objurgabit, et etiam pro ratione circumstantiarum puniet, aut plane a tutela amovebit, aliumque in locum ejusdem dabit. Idem quoque locum habet, si Tutoris infidelitas (mala administratio) occasione reddendarum rationum detegatur. In omni vero casu ad compensandum damnum, supplendumque defectum stringendus est (vide etiam Res. Reg. de 18-a 10-bris 1775, Nro 5816 28-a X-bris e. a. Nro 5843 Com. Hont. intimatam relate ad tutores speciales). Si demum fundi pupillares alicui locati exstiterunt, eo attendendum Jurisdictioni Dominali, ut conditionibus contractualibus accurate satisfiat. Plura ex his principiis Urbarium Ban. (C VI 2-o) belle confirmat.

Quamvis vero tutores solummodo deficientibus testamentariis, ac legitimis per Dominium terrestrale constituantur; nihilominus vigilantia ejusdem etiam ad legitimos (etiam naturales, et legitimos) ac testamentarios extenditur. Ab his etiam, exceptis naturalibus et legitimis, rationes exigendae sunt; et si obligationibus suis non respondeant, aeque a tutela arceri debent, hac aliis cognatis proximioribus, vel si hi non existant, dativis tutoribus conferenda. Has vero obligationes omnes Dominium absque ulla taxa a Colonis exigenda implere obligatur. (C VII § 1)

Quod attinet terminum Tutelae, et respective Curatelae, hic relate ad aetatem pupillo-

rum masculorum non recte perfecta aetate definitur, uti jus commune privatum praescribit; sed si Pupillus uxorem ducat, propriamque Oeconomiam ingrediatur, etiamsi nondum perfectae aetatis a tutela liberatur, eique patrimonium traditur.

1) Orphanis Nobilium et Ignobilium a jurisdictione dominali personali exemtorum, Tutores et Curatores Jurisdictio Comitatensis aut subalterna nobilitaris localis constituit. Conscriptiones etiam, (cum praescitu tamen, et influxu Domini terrestris), rationum exactiones, et reliquas functiones supra memoratas eadem peragit. (art. 68 1715; vide etiam Res. Reg. 24 a Febr. 1818 Nro 5308 Com. Pest. quoad nobiles in Oppido Ketskeméth degentes in hoc merito intimatam)

2) In majoribus Dominiis substantia pupillorm fere semper Licitatione distrahitur, et pecunia vel apud Dominium ipsum pro majori pupillorum securitate, vel apud alios erga legale Interusurium elocari solet; cum propter casus frequentiores tutelarum Dominium vigilantiam suam non facile ad omnes tutores peculiariter constituendos extendere posset, nec ut extendat ab illo jure desiderari valeat. Manipulatio enim ipsa Capitalium, obvenientiumque ab iisdem Interusuriorum satis operosa est, quae ideo vel peculiari individuo erga certam mercedem assignatur, qui pupillorum Curator vocari solet, vel vero Perceptori dominali, aut alteri Officiali committitur. — Manipulantis Cassam orphanalem obligatio est, ut de Capitalibus, et Interusuriis accuratum ducat ratiocinium, singulis annis per Officium Exactoratus, vel Fiscalatus discutiendum (censurandum). Quod attinet Interusuria a Capitalibus elocatis soluta, haec vel in intertentionem orphanorum convertuntur, si videlicet se ipsos servitio intertenere adhuc non possint, vel vero si intertentione non egeant; ad majorem summam accrescentia iterum ut Capitalia elocantur. Pupilli ipsi pro ratione aetatis vel educandi erga stipulatam mercedem, usque ad certum aetatis annum v. g.

12-um honestis patribus, et matribus — familias traduntur, vel vero jam validae pro servitiis in servitium oeconomicum, aut pro ratione circumstantiarum opificium condiscendum applicantur.

§ 37.

De Canditatione et Electione Judicum localium, et promontorialium, ac simul horum et Juratorum obligationibus.

Jurisdictionis, quam Domino terrestri asseruimus, partem certae mensurae correspondentem subalterna (subordinata eidem) potestate exercent quoque Judices, et Jurati Locorum, ac Promontoriorum, qui simul Politiam Loci, et Promontorii immediate curant. 1)

Hinc Domino terrestri duplex imprimis jus competit relate ad Locorum Judices; 1-o Jus candidandi vel eligendi judicis; juxta Urbarium Hung. et Croat. ac Ban. (C IX § 1; Urb. Ban. C VII 1-o 2-o 3-o 4-o) jus est Dominio pro officio Judicis 3 proponendi (candinandi), e quibus ipsa Communitas (in Banatu tantum Coloni sessionati, non etiam Inquilini C VII 5-o) unum in praesentia Officialis dominalis votorum pluralitate libere eligit. In Slavonia vice versa minores Possessiones (pagi) 3, majores vero et Oppida 4 e gremio sui Dominio proponunt, e quibus istud unum judicem constituit. (P II 1-o) 2) — 2-o Judicis ita electi actibus officiosis invigilandi, illosque auctoritate sua moderandi, illum ad obligationes implendas stringendi, et demeritis ejusdem ita exigentibus puniendi etiam imo amovendi, et in locum ejus alium substituendi (per candidationem vel electionem consvetam) (loc. cit.).

In locis realiter per divisionem separatis, licet territoria illorum sub eodem nomine veniant, propter diversitatem Jurisdictionis duo Judices constitui debent. (Res. Reg. 2-a Aug. 1771, Nro 1882 universis Comitatibus intimata) Secus vero licet in uno eodemque loco plures sint Domini terrestres (compossessores), unus tantum judex constituendus. (Edict. urb. de 1767). In locis ab hungaris, et germanis inhabitatis in eligendo judice (et juratis) alternativae nationis ratio habenda (Res Reg. de 20-a Maji 1772 Nro 2337, 29-a Maji e. a. Nro 2406 quoad Oppidum Hatvan Com. Heves. intimata).

Judex electus in praesentia Communitatis vel Juratorum juramento corporali de obligationibus suis rite et accurate implendis adstringitur (usus). Ad servitia dominalia velut sibi nefors plus onerosa, quam fructuosa cogi non potest (Res. Reg. de 23-a Sept. 1771, Nro 4745 – 3-a Octob. e. a. Nro 5529 Com. Barany. intimata). Nec si ea in se assumat, hoc aut alio quocunque praetextu a contributione immunitari potest. (C IX § 2) 3)

Officium Judicis est annuum. Annus computatur a festo Omnium Sanctorum (1-a 9-bris), quo electio Judicum locum habere solet, et durat usque idem festum sequentis anni. Si Judex officio suo bene functus est, iterum et quidem primo loco candidari solet; secus vero e candidatione exmittitur. (usus, et relate ad Ban. C. VII 6-o 7-o)

Obligationes Judicis vertuntur circa justitiae administrationem, politiam (Urb. Ban. C VII 8-o), et oeconomiam Communitatis curandam. 4)

Notarium 5), Juratos (6 vel 12) 6) ac reliquos Subalternos 7) Communitas absque concursu Dominii eligit, et dimittit (C IX § 1 quoad Nota-

rium, quoad reliquos usus). In Banatu tamen electio Juratorum novorum, aut confirmatio antiquorum ab arbitrio Domini terrestris dependet. (C VII 9-o) Ili aeque omnes Domini terrestris auctoritati subsunt. 8)

Hactenus de Judicibus, Juratis, ac Notariis Locorum. Nunc de Primoribus Promontoriorum.

Primores Promontoriorum communiter hi sunt: Judex Montanus, alibi Magistrum montanum appellant; Vice-Judex Montanus (in majoribus promontoriis); 6 vel 12 Jurati; Notarius; ac Custodes Vinearum, seu Magistri montani, ut in aliquibus locis vocitantur.

Judex montanus eadem ratione per Dominum terrestrem eligitur, quemadmodum localis. Electio ipsa fit in Congressu Promontoriali praesentibus Primoribus et reliquis vinicolis. 9)

Judex montanus (quemadmodum localis) a praestationibus dominalibus non immunitatur, nisi Dominus terrestris ultro has eidem relaxaret. Munus ejus annuum quoque, initium sumit a festo S. Georgii, duratque usque idem festum sequentis anni. Electio Juratorum, Notarii ac Custodis Vinearum Promontorialistis (absque influxu Domini terrestris) competit. Caeterum circa hanc electionem Statuta Promontorialia specialia, 10) quae communiter Articuli Promontoriales vocari solent ideo, quia videlicet in articulos sunt redacta, varias modificationes continent.

Judicis praeprimis, et Juratorum in subsidium obligationes respiciunt 1-o justitiae administrationem inter querulantes promontorialistas ratione vinearum, excessuum item in vineis commissorum punitionem. Quaenam vero Causae et Contoversiae, Excessus item, ac usque quam summam judicatui eorum subsint Sta-

ıta promontorialia 7) vel his non existentibus, sus definiunt – 2-o Politiam in Promontorio cuındam, adeoque omnium damnorum in vineis per ıcendia, furta, pecora, et pecudes etc. inferendoım praecautionem, prout et excessuum contra ıoralitatem, blasphemiae, fornicationis, rixarum, erberationum praeventionem et punitionem. 11)

Cura mediata ejusdem ad Dominum terrestrem pertinet, et ad supplendum neglectum ejus etiam ad Comitatum concernentem.

In aliquibus Possessionibus etiam Hung. et Croat. inversa viget praxis, ita ut hae candidant 3 individua, Dominium vero unum ex illis eligat.

Resolutio Regia de 13-a Januarii 1772 Nro 99 ad querimoniam judicum paganorum (messorum, item et servitorum) quod in locum intertentionis Nonatorum et Decimatorum (pecuniae item messorialis) abrogatae, vide Urb. C VII § 16) ad praestationem nonae et decimae illa longe graviorem adigantur; 20-a Januarii e. a. Nro 328 nonnullis Comitatibus intimata praecipit, ut Judicum, (messorum, item et Servitorum) eadem, quam respectu reliquorum Colonorum Urbarium, et Resolutiones Regiae praescribunt, ratio habeatur, proin ab iisdem nona quoque, et decima secundum praescriptum eorundem exigatur.

Limites potestatis judiciariae in genere determinatae non sunt, et pendent partim ab usu, partim vero a Statutis a Domino terrestri editis, limites hos definientibus. Secundum Urbarium Slav. (P II 4-o) casus poenales, qui mulctas pecuniarias (byrsagia) post se trahunt, Domino terrestri indicari debent, nec eas sub poena dupli judicibus exigere licet. — Urbarium vero Ban. (C VI, 8-o) praecipit, ut si Communitates jure gauderent delicta minora, uti tricas, et rixas pecunia vel poena corporali puniendi; Domini terrestres delictis convenientes poenas defigant, easque Comitatui pro confirmatione proponant, invigilentque, ne excedantur. Decisa cum concursu nonnisi plurium Juratorum fieri possunt; facta per Notarium Protocollo inferri debent, ab iisdem parti non con-

tentae appellata in regula ad Dominium vel ejus Officiolatum (Fiscalatum) admissa.

Inter obligationes politicas Judicis praecipua est Quanti Contributionalis (et Cassae Domesticae) inter Colonos instituenda repartitio, incassatio, et ad Cassam Comitatus deportatio (C IX § 3; Urb. Ban. C VII 8-o; Urb. Slav. P II 3-o) *) Ut autem repartitio secundum ideam Comitatus aequanimiter fiat, neve in illa fraus aliqua intercedere possit; Dominium invigilare, et rationes eatenus a Judice loci, absque ullo tamen onere Subdito propterea imponendo exigere debet. (C IX § 3; Urb. Slav. P II 3-o) Ad incassationem nihilominus Contributionis et Cassae Comitatensi illationem Dominus terrestris, vel ejus Officialis nullatenus se immittere potest; et ne id fiat, Comitatus invigilare, prout etiam, si Dominus terrestris exactionem rationum memoratam negligeret, neglectum hunc supplere tenetur. (C IX § 4 et 5) Reliquae Obligationes politicae praecipuae hae fere sunt 1-o Pontium et Aggerum in territorio loci existentium visitatio et reparatio, una cura, ut operae in hanc impensae, et operantes in Protocollum, et Registrum praejuncturalium et manualium operarum per Notarium accurate inferantur. — 2-o Praejuncturarum militiae, vel aliis in publico officio constitutis erga assignationem Comitatus, vel Commissariatus Provincialis praestandarum, laboratorum item ad publicos, aut Communitatis labores necessariorum provisio; in quibus praesertim ratione praejuncturarum, et literarum promotionis (deportationis) juxta seriem domorum praesertim tempore ferventium laborum absque omni partium studio procedet. Destinatos vero, et opus demandatum jam perficientes Notario loci designari curabit, per eum Protocollo consveto inferendos. — 3-o Quarteriorum militiae transennanti et stativanti assignatio; nisi adsit peculiaris quarteriorum magister. — 4-o Subalternorum et Servitorum Communitatis, vespillonum, pastorum, ac aliorum conductio, vigilantiaque, ut obligationes suas rite expleant; defectuum vero circa illos observatorum in consessu detectio, ut corrigantur. — 5-o Instrumentorum ad supprimenda incendia necessariorum

comparatio ac conservatio. — 6-o Maleſactorum interceptio, et Jurisdictioni Comitatus vel dominali resignatio. — 7-o Mandatorum dominalium in Jurisdictionalibus ac Urbarialibus objectis elargitorum executio. — 8-o Aestimationes domorum, damnorum in segetibus et ſoenilibus per pecora et pecudes Colonorum illatorum etc. etc. Oculatae item diversae cum concursu Juratorum peragendae ac Protocollo inſerendae.

Ad obligationes oeconomicas Judicis praecipue pertinet: 1-o curare, ut agri et prata Communitatis debite colantur. — 2-o Erogationes in privatas Communitatis necessitates, et alias quascunque expensas extra-ordinarias cum cointelligentia Juratorum facere. — 3-o Fructuum ex Communitatis fundis, aut aliunde perceptorum, reliquorumque Communitatis proventuum ex educillo exarendato, poenalitatibus etc. etc. accurata et sincera manipulatio, et de iisdem ratiocinatio (Urb. Ban. C. VII 8-o; Urb. Slav. P II 2-o) Urbarium Slav. (P II 17-o) in specie adhuc, ne contribuentes in persolutione t r a n s e n n a r u m et praejuncturarum militarium defraudentur, Judices obligat, ut pecunias concernentes sub onere reddendarum cum ſine anni rationum ad manus suas recipiant, et iis, quibus competunt, exolvant; officiales vero dominales ab illarum levatione arcet. **)

Fine hoc Libellum pro singulis Contribuentibus conſici, et in illum admensam cuilibet Contributionis et Domesticae quantitatem per Notarium inscribi curabit. In locis majoribus, et transennis magis obviis, peculiaris perceptor constitui solet pro incassatione contributionis.

) Comessationes apud Judicem, aut in Domo Communitatis diversis occasionibus alias institui solitae abrogatae habentur.

Notarii loci obligationes his praecipue absolvuntur: 1-o duo protocolla per ipsum ducenda, quorum unum (diarium) omnia in se complecti debet, quae de die in diem ut Communitatem sive in concreto, seu singulares Colonos concernentia, evenerunt, adeoque quidquid a Judice actum, propositum, et dispositum, perceptum item et erogatum fuit; Resultata item exmissorum Judicis et Juratorum, Aestimatio-

nes, Oculatae etc. etc. Protocollum hoc ingredi debent. Si vero acta aliqua Communitatem concernentia eidem exhibita fuerint, extractus eorundem una cum decisis aut dispositionibus eatenus factis, aeque ad illud inferenda sunt. Acta exhibita numeris signanda, reponenda, et diligenter conservanda sunt. — Aliud protocollum Currentales (litteras), Commissiones Comitatenses et Dominii praevie cum judice et juratis communicandas, et dein more solito publicandas in se contineat. — 2-o Conscriptiones facultatum contributioni obnoxiarum ab eodem peragendae, Registra item repartitionis quanti contributionalis et domesticae cassae conficienda, ac ex his erutum obtingens contributionale cujusvis Contribuentis libello inserendum, summa vero per eundem soluta tam libello quam et registro repartitionali inscribendum. — 3-o Registrum de praejuncturis et litterarum promotionibus ab ipso conficiendum. — 4-o rationes judicum juxta schema per Consilium R. L. H. editum, cum insertione restantiae prioris anni, paratae pecuniae, naturalium item quantitatis etc. etc. per priorem moderno judici consignatae, per illum concinnandae, ita ut omnia tam percepta quam erogata cum Protocollo et requisitis ad ratiocinium hoc documentis combinentur, confectae vero rationes in pleno juratorum consessu de positione ad positionem praelegantur, repertique nefors defectus emendentur, ac tandem convocatis per judicem decadum curatoribus (si existunt) et qūibusdam bene moratis Colonis denuo praelegantur, et explicentur. Sic censuratae ac ratihabitae Dominio pro superrevisione per Judicem praesententur. (Urb. Slav. P. II 2-o; Urb. Ban. C VI 6-o) Nihilominus Dominus terrestris etiam intra decursum anni in rationes inquirere potest (Urb. Ban. cit. loc.). Ut vero Notarius has obligationes eo fidelius expleat, juramento adstringendus est.

Resolutio Regia 26-a Martii 1774 Nro 1311, 7-a Aprilis e- a. Nro 1642 Com. Liptoviensi intimata praecipit, Ludirectores unice Communitatis electioni committi non posse, verum hos principaliter per Parochum, cui trivialium scholarum cura incumbit, cum interventu tamen

Communitatis constituendos, et ita quoque a servitio amovendos esse. Communitati vero liberum manere, an hos simul pro notariis assumere velit. Resolutio vero Regia 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata praecipit, ut „ posteaquam maxime illinc subditorum calamitates enascerentur, quod per totum regnum (Croatiae) nulla plane possessione locali Notario provisa existente, si miseri contribuentes vel aliquid sibi perlegi curare vel injurias et afflictiones suas detegere volunt, homines litteratos, instantiarumque confectores in remotissima distantia magno temporis cum dispendio quaererent, et horum operam exaggerato prorsus pretio solvere debeant, dein autem instantias suas publico exhibentes remedium injuriarum suarum vix aliquando, aut plane nunquam exoperari possint — Comitatus et respective Vice Comes cum superiore districtus studiorum directore mutuam ea in parte foveant cointelligentiam, quo istius modi homines vel directe pro Notariis, vel ad minus pro ludirectoribus, una officium notariale obituris, juxta systema in re litterali clementer stabilitum applicandi, subinde ex scholis nationalibus medio inspectoris earundem scholarum nationalium districtus Zagrabiensis haberi posint.

Juratorum obligationes concentrantur in auxilio et adjutorio, quibus Judici in omnibus functionibus suis esse debent. Huic igitur reverentiam et paritionem exhibere tenentur, dum in sphaera muneris sui eisdem quid committit, vel eosdem tractandorum negotiorum Communitatis aut administrandae justitiae causa convocat. Si judex absit domo, aliquis e Juratis vices illius supplere (nihilominus a perceptione paratae abstinere ad evitandas confusiones) debet; hic in aliquibus locis legislatoris nomine peculiari insignitur. Jurati ut jam nomenclatio indicat, juramentum de adimplendis accurate obligationibus nuncupare debent. (relate ad Banatum Urb. Ban. C VII 8-o, 10-o)

Subalterni praecipui sunt: Subjudices, Decurio Pagensis, Campi Custodes, et Decadum Curatores. Priores duo in omnibus pagis, posteriores tantum in majoribus oppidisque reperiuntur.

Subjudices duo plerumque constitui solent, quorum unus ad latus judicis, alter vero in Domo Communitatis praesto esse debet. Hi mandata Judicis exequuntur.

Decurionis Pagensis obligatio est delinquentes intercipere, et ad carceres dominales vel comitatenses deducere, excessibus contra moralitatem, blasphemiis, vitae libidinosae, vagationi, et helluationi invigilare, excedentesque comprehendere, includere (noctu comprehensos) et ad judicem deducere.

Campi Custodes (equites) assidue invigilare debent, ne Contribuentibus in agris, pratis etc. damna inferantur; pecora et pecudes damna inferentia absque omni respectu, et conniventia invagiare, ac ad manus judicis resignare obligantur, ut ita damnificatis secundum aestimationem statim peragendam satisfactio procurari valeat.

Decadum Curatores, qui decadibus, in quas plures vel pauciores locus dividi solet, praesunt, Oeconomiae Colonorum decadis suae intenti sunt, ut illa debite tractetur, exemploque in hac re aliis praelucere, adeoque ex solertioribus Oeconomis deligi debent. Judici etiam in eo auxilio sunt, ut siquis Contribuentium ex productis suis quid distrahat, id eidem insinuent, ut in depurationem Contributionis e pretio percepto Colonus praesertim morosus quid solvere cogatur.

8) Vide de his etiam Synopsim Publicae Manipulationis Dominis Magistratualibus Comitatensibus subservientem ab A. Jeszenszky concinnatam.

9) Electione terminata Articuli Promontoriales praelegi solent per extensum, et postea in conformitate horum simul querelae, si quas habent promontorialistae, per praesentem Officialem Dominalem, quantum fieri potest, complanari et decidi solent.

10) Statuta montana normam constituunt qualiter tractandorum negotiorum, quae circa vineas occurrere solent, definiunt item limites potestatis judiciariae in specie juris puniendi Judicio montano competentis, omniaque quae politiam (bonum ordinem) in Promontoriis observandum concernunt, determinant. Statuta haec solent continere etiam praestationes, quibus Vinicolae Domino terrestri tenentur, praeser-

tim si speciales ratione illarum Contractus seu Conventiones inter Dominum terrestrem, et Montanistas initae non existant. Statuta antiquiora vel solius Domini terrestris, vel Comitatus auctoritate condita sunt. Si vero nunc ejusmodi Statuta introducuntur, vel antiqua pro ratione circumstantiarum mutatarum modificanda sunt; Dominus terrestris cum influxu Comitatus hanc introductionem, vel modificationem suscipere solet, imo debet. Saepe etiam revisionem Consilii R. L. H. et superrevisionem Cancellariae R. H. A. praesertim in Processibus Regulatoriis Promontoriorum transeunt. (vide Res. Reg. nunc citatam, item Res. Reg. 26-a Aprilis 1773 Com. Poson. intimatam) Secundum Statuta Promontoriorum Insulae Muraköz Magistratus montanus de Causis, et Quaestionibus 12-florenorum valorem non excedentibus judicium ferre potest (Res. Reg. relatè ad Processum Executionalem Dominii Csáktornya per Consilium 5-a Sept. 1771, Nro 5016 Comitatui Zaladiensi intimata). Secundum ArticulosPromontorialesDominii Keszthely jus puniendi Judicii promontorialis ad 12 usque florenos, et 25 baculos se extendit.

1) Notarii promontorialis obligatio est praeprimis Protocollum ducere, in quod omnes emtiones et venditiones, cambiationes item vinearum inferenda sunt, et quod in casibus dubiis vim probantem habet. Diarium quoque eundem servare oportet, in quod omnia, quae Promontorium respicientia eveniunt, de die in diem inserenda sunt. — Judex, Jurati, ac Notarius juramento obstringuntur.

Vinearum custodes non tantum tempore aestivo vineis, verum etiam vere, et hyeme domibus vinicolarum in promontorio existentibus, ne a furibus, vel aliis malevolis effringantur, et expilentur, aliudve damnum ipsis inferatur, invigilare, fures item ac vagabundos intercipere, et Judicio montano resignare tenentur. Hincque pro toto anno conducendi sunt.

Emendationes

Pag. 1-a lin. 1-a ante vocem Prolegomena, ponatur: Jus Georgicum Regni Hungariae et Partium eidem adnexarum.

Pag. 1-a lin. 10-a loco sumta lege sumti.

Pag. 2-a lin. 13-a post verbum repraesentet; addatur vel licet fundo destitutus, jurisdictioni tamen dominali quoad personam suam subjectus, in domo fundum Domini terrestris possidentis Coloni habitat.

Pag. 5-a lin. 35-a post verbum nominantur addatur: Quae hactenus de Colonis fundos tenentibus dicta sunt, intelligenda veniunt etiam, in quantum non directe fundum respiciunt, de Colonis fundum non possidentibus, sed in domibus Colonorum fundum habentium habitantibus; seu de Subinquilinis, uti appellari solent. Quamvis et hi nonnunquam extra ordinem appertinentiis, ut supra dictum, provisi esse soleant.

Pag. 6-a lin. 4-a loco praecipui Legislatoris ponatur supremi Judicis.

Pag. 5-a lin. 32-a loco Hi ponatur Illi.

Pag. 7-a lin. 7-a loco graecisasse legatur graecissare.

Pag. 9-a lin. 16-a post verbum autem ponatur hi.

Pag. 10-a lin. 17-a loco tardius legatur serius.

Pag. 16-a lin. 5-a post verbum Beneficiis addatur urbarialibus.

Pag. 33-a lin. 3-a ante vocem Intimat. adjiciatur C. VIII, § 18.

Pag. 35-a lin. 3-a loco imbuuntque, ponatur induuntque.

Pag. 55-a lin. 5-a loco illi ponatur huic.

Pag. 56-a lin. 9-a post vocem agros addatur (in Banatu etiam quoad prata).

Pag. 63-a lin. 7-a loco minimis legatur paucissimis.

Pag. 65-a lin. 6-a, 22-a, 23-a, 25-a, 28-a signo □ intelligantur orgiae quadratae, uti etiam Pag. 82-a lin. 34.

Pag. 68-a lin. 16-a post vocem homines addatur, i. e. seu actuale seu sperativum simultaneum jus ad domum, in quo habitant, habentes.

Pag. 152-a loco instanee legatur instantanee.

PARS II.

DE PRIMAEVA REGULATIONE, ET RECTIFICATIONE URBARIALI, REGULATIONE JURIS MONTANI, SILVARUM AC PASCUI.

SECTIO I.

DE PRIMAEVA REGULATIONE URBARIALI

CAPUT I.

DE PRIMAEVA REGULATIONE URBARIALI IN GENERE.

§ 1.

Duplex Significatio Regulationis Urbarialis.

Regulatio Urbarialis duplici sensu usurpatur: 1-o significat normam jurium et obligationum inter Dominum et Subditum vertentium; hoc sensu sumta Regulatio Urbarialis objectum constituit pertractationis Primae Partis hujus operis. 2-o denotat complexum actuum (momentorum) illorum praecipuorum, qui ideo suscipiebantur, ut norma illa induci potuerit. Hoc sensu sumitur in hac Secunda Parte Regulatio Urbarialis, quam ad distinctionem tam ab Regulatione primo sensu sumta, quam et ab Rectificatione, quae etiam saepe Regulatio adjecto aliquando epitheto nova, aliquando vero exmisso (stylo curiali urbariali) dicitur, vocabulo non incongruo Primaevam appellari posse censeo.

§ 2.

De iis, quorum opera Regulatio Urbarialis primaeva perficiebatur.

Regulatio Urbarialis primaeva per Commissarios a Sua Majestate denominatos, et Exequentes Magistratuales perficiebatur (in Hungaria, et Croatia). Commissarii Regii singuli pluribus Comitatibus praeficiebantur, et Regulationem Urbarialem dirigebant, secundum Instructionem sibi elargitam. De omnibus, quae pro informatione necessaria erant, uti et pro capiendo in rebus dubiis consilio ad Consilium R. L. H. referebant. Si impediti, quibusdam negotiis ipsi praeesse aut interesse non poterant, Vice-Comites debite per illos instruendi vices illorum agebant. Qui vero sub directione Commissariorum Regiorum manum Regulationi Urbariali admovebant, vocabantur Exequentes, quia videlicet Regulationem executioni mancipabant; quia vero ex Magistratualibus per Comitatus deligebantur, Exequentes Magistratuales communiter audiunt. Conscriptores etiam nonnunquam nominantur, quia videlicet Conscriptiones praescriptas peragebant; Judices quoque, quia horum etiam munere nonnunquam fungebantur. Horum pro ratione circumstantiarum jam unus, jam etiam, et hoc plerumque, duo ductu Instructionis sibi datae in munere hoc procedebant. Dependebant vero in eo a Commissariis Regiis, quibus Relationes praescriptas praestabant, et a quibus in rebus ancipitibus consilium capiebant, quibus demum omnes operationes suas pro revisione substernebant. Actu Classificationis praeter Commissarios Regios, et Exequentes Magistratuales intererant etiam ali viri e gremio Comitatus, in generali Congrega

tione denominati, et juramento praescripto adstricti, ut videlicet Classificatio tamquam fundamentum praecipuum totius Urbarialis Regulationis eo rectior, et accuratior perficiatur. (1)

1) Instructiones Ex. Mag. et Com. Reg.

§ 3.

De utilitate practica notitiae Regulationis Urbarialis primaevae.

Regulationem hanc Urbarialem primaevam secundum praecipua ejus momenta nosse Juris Georgici studiosi interest non una e ratione; nam status praesens normae urbarialis sine intellectu perspicuo Regulationis Primaevae intelligi bene non potest; Documentorum in Processibus Urbarialibus maximi saepe momenti, quae in hac Regulatione conficiebantur, uti Examinis ad 9 puncta, diversarum Conscriptionum, et Tabellarum accurata notitia hinc haurienda; Rectificatio nulla bene fieri potest, nisi et ipsius Regulationis Primaevae clara habeatur idea; et denum si quis locus nondum regulatus nunc primum regulandus foret, nonne pro ratione circumstantiarum norma primigenia observanda foret?) Non igitur solum historicae, tamquam res jam cta, sed et didacticae (practicae) est Regulationis Urbarialis primaevae accurata pertractatio t notitia, utilitatis.

) Si locus aliquis nondum regulatus, modo Regulationi urbariali subjiceretur; functiones Exequentium condam Magistratualium Legale Comitatus respectivi Testimonium obire debet. Classifica-

tio loci regulandi secundum Beneficia et Maleficia prius eruta, habita ratione loci alterius jam regulati cum regulando maxime analogi instituenda est, ita videlicet, ut classis loci hujus, semper vero una e classibus pro Comitatu respectivo per Deputationem Classificationalem occasione primaevae Regulationis Urbarialis defixis, assumatur. Determinatio Classis hujus, ad quam locus regulandus referri debeat, quam et reliquorum actuum, ad Sedem Dominalem pertinet, quae etiam Testimonium Legale pro functionibus in facie loci peragendis exmittere solet. Pro ratione circumstantiarum ea quoque hic applicationem habent, quae de Rectificatione Urbariali in Sectione Secunda dicturi sumus.

§ 4.

De Momentis praecipuis Regulationis Urbarialis primaevae.

Sunt autem praecipua Momenta Regulationis Urbarialis primaevae haec:

A) Examen ad 9 Puncta Interrogatoria.

B) Conscriptio Fundorum Sessionalium et titulo Sessionalium possessorum.

C) Conscriptio Exstirpaturarum.

D) Conscriptio Vinearum.

E) Inductio Mensurae Posoniensis.

F) Promulgatio Punctorum Generalium Prohibitorum.

G) Classificatio Locorum, et Constitutivi Sessionalis Ejectatio.

H) Discussio Privilegiorum, Contractuum, et Urbariorum ante Regulationem Urbarialem primaevam confectorum.

I) Praeparatio Urbariorum.

K) Praeparatio Tabellarum Urbarialium, et Constitutivi Sessionalis Assignatio.

L) Publicatio Urbariorum.

M) Confectio Testimonialium Litterarum su-
er Executione Urbariali.

Momenta haec secundum circumstantias suas
ssentiales ordine chronologico in sequenti Ca-
ite pertractantur.

CAPUT II.

E PRIMAEVA REGULATIONE URBARI-
ALI SPECIATIM.

§ 5.

) Examen ad 9 Puncta Interrogatoria.

Regulatio Urbarialis exordium sumsit ab E-
amine Colonorum secundum illa 9 puncta, quae
tiam interrogatoria appellantur, quia videlicet
forma interrogationum concepta sunt, et quae
mnia in se continent, quae statum (tunc) prae-
entem correlationis et nexus inter Dominum et
ubditum intercedentis concernunt. Est igitur
oc Examen basis et fundamentum totius Regu-
ationis Urbarialis. Instituebatur autem ita: E-
equentes Magistratuales ad facies locorum regu-
andorum exeuntes, in singulis locis 1) judicem,
t juratos, ac aliquot seniores praescripto jura-
ento sub A et Nro 1-o a) obstringebant, 2) ut
inceram de interrogatis eliciant fassionem. De-
osito juramento Novem Puncta Interrogatoria
ernacula lingva 3) singillative adjuratis propo-
ebantur.

) Inst. Ex. Mag. C. II. § 7. 2) Instr. Com. Reg. § 13.
3) Instr. Com. Reg. § 12.

Ad punctum 1-um Urbaria, si quae existebant, per Colonos vel Dominum Terrestrem producenda, in vidimata per Exequentes Magistratuales copia advolvi debebant; majoris molis Urbaria in Extractu tantum vidimato adnectebantur. Una reflectebatur, an secundum haec Urbaria, vel vero alia ratione, et quali in specie Coloni tractentur.

Ad punctum 2-um Contractus existentes, imo et hos antecedentes Conventiones, vel Urbaria, aut Privilegia in vidimata Copia aeque producebantur, cum reflexione, secundum quem Contractum, Urbarium, aut Privilegium, aut quomodo aliter subditi habeantur? si praevigentia Urbaria aut Privilegia vel Contractus prae manibus Colonorum non existebant, Domini vero terrestres communicare nolebant, in Tabulario Comitatus erga requisitionem Magistratualium perquirebantur, et ibi reperta his pro congruo usu communicabantur.

Ad punctum 4-um praeter Beneficia et Maleficia sub C et Nro 3 contenta etiam alia in locis regulandis individuis comperta accurate connotari debebant. 4)

Ad punctum 5-um rescienda erat Qualitas Glebae Agrorum, ad 3 classes reducta, magis nempe, et minus, ac minime fertilis, secundum Diverticula; ut numerus orgiarum quadratarum ad unum Jugerum Agrorum secundum hanc Glebae Qualitatem requisitus determinari posset. 5) Rescienda item erat Qualitas Pratorum, an nempe cordum, omni anno, raro, vel nunquam, et quidem in

---

4) Instr. Ex. Mag. C. I. § 3. ad 4-um. 5) Instr. Ex. Mag. C. II. § 9.

ultimis duobus casibus natura sua, vel negligentia Colonorum proferant. 6)

Ad punctum 6-um tantum quoad arationem (araturam) quantitas pecorum percontanda erat.

Ad punctum 7-um omnes Praestationes Colonorum in naturalibus, vel pecunia, titulo Nonae, Datiarum, Donariorum, aut alio quocunque, specifice exponendae erant, porro et indicandum, an Decima, titulo Cleri, vel Nonae, in usu fuerit, aut neutro. Si Coloni Nonam hactenus praestitam haud fuisse edicebant, optioni illorum deferendum erat, an videlicet Nonam in natura, vel aequivalenti in futurum praestare velint? persvadendi tamen erant, ut aequalitas praestationum colonicalium obtineri posset, ad Nonam in natura eligendam; si tamen hanc repudiabant, Domini terrestres praevie monendi erant, ut de aequivalenti in pecunia vel servitutibus usque executionem Regulationis Urbarialis certi quid statuant. 7)

Reliqua ex ipsis Punctis clara sunt. Quae ratione eorum hic reflectebantur, ex Instructione partim Exequentium Magistratualium, partim Commissariorum Regiorum depromta sunt, et ut plene intelligi possint, cum ipsis Punctis combinari debent, ad Instructionem Exequentium Magistratualium sub B et Nro 2 adnexis.

Si in loco aliquo plures erant actuales Domini terrestres, non eadem ratione Colonos suos tractantes, singulorum subditi ad 9 Interrogatoria Puncta examinandi erant. 8)

---

6) Instr. Com. Reg. § 34. 7) Instr. Ex. Mag. C. III. § 1. 2. 8) Instr. Ex. Mag. Cap. I. § 5.

Examini huic Domini quoque terrestres, vel illorum Officiales interesse poterant, cautum tamen erat, Colonos fatentes verbo, signis, minis, aut alio modo in eliciendis fassionibus turbare; nihilominus reflexiones in contrarium cum moderatione interpositae per Magistratuales investigabantur, et combinatione instituta, quod verum esse comperiebatur, in Examen scripto conceptum inferebatur. 9)

Responsa haec Colonorum in scripturam redacta terminato examine iis perlegenda, correctisque corrigendis mundius descripta sigillo Communitatis munienda erant, quo si caruit, Fatentes subscriptione Nominum vel Crucis saltem ad haec proprio pugno formatae signis fassiones suas roborare; Exequentes vero apposito loci, ac temporis dato pariter sigillis, et nominibus suis roborare, una et Sigilli Communitatis defectum recognoscere debebant. 10) – Examini huic subjiciebantur etiam Ignobiles Locorum Curialium, et Bona Episcopalia. 11)

---

9) Instr. Ex. Mag. Cap. I. § 4. 10) Instr. Ex. Mag. Cap. I. § 2. 11) Instr. Com. Reg. § 10. 17.

a) Citata in hoc Capite ordine alphabetico et numerorum junctorum serie Documenta Instructioni Exequentium Magistratualium, illa vero Litteris tantum absque adjectis numeris provocata Instructioni Commissariorum Regiorum adnexa sunt, et cum his Instructionibus in Collectione Documentorum ad Opus hoc pertinentium suo tempore typis mandata comparebunt.

§ 6.

B) Conscriptio Fundorum Sessionalium et titulo Sessionalium possessorum.

Conscriptio haec, quae quoad singulorum Dominorum terrestrium Subditos peculiariter peragenda erat, 1) complectitur in se: Nomina, et Cognomina Colonorum Sessionatorum, Inquilinorum, et Subinquilionorum, Qualitatem Sessionum, et Quantitatem Fundorum Sessionalium, (Urbarialium) etiam in Praediis existentium, et titulo Sessionalium (in Praediis non Incorporatis sitorum) possessorum. Peragebatur autem haec Conscriptio secundum Fassiones Judicum, et Juratorum, ac Seniorum, qui jam praevie ad 9 Puncta examinabantur, (adeoque sub fide jurata) in praesentia Domini terrestris, vel ejus Officialis; ut horum reflexionibus cum revelatione subditorum combinatis, veritas eo facilius erui posset. – Cautum erat, ne Exequens Magistratualis in proprio, consanguinei, vel illius, cui servitii obligatione obstringebatur, loco examinet. 2) Forma hujus Conscriptionis Instructioni Exequentium Magistratualium sub D et Nro 4 adnectitur.

Ad hanc Conscriptionem uberius intelligendam juvat singulas ejus Rubricas uberius expendere.

In 1-a rubrica primum locum occupant Coloni Sessionati, postea sequuntur Inquilini, hos excipiunt Subinquilini, tandem sequuntur Inscriptionalistae, cum praeambulo in forma sub D et Nro 4 contento.

Si nempe Subditis in quibusdam locis Sessiones Colonicales, vel etiam Inquilinariae (fundi urbariales) pro certa summa, vel sola, vel adjectis

---

1) Instr. Ex. Mag. C. II. § 6. 2) Instr. Com. Reg. § 3.

certis servitutibus, et naturalibus, ad tempus inscriptae fuissent, et actu per eos possiderentur vi inscriptionis; Copiae Inscriptionalium adnectendae, et in tabulario Comitatus usque reluitionem conservandae erant. Quoad singulos vero Colonos qualitas glebae agrorum succincte notanda erat. 3)

In 2-a rubrica exprimebatur moderna, (actualis) Sessionis Qualitas usque unam octavam, si vero ejus nullus hactenus nsus fuisset, hoc ipsum in hac rubrica exponendum fuit.

In 3-a rubrica inserenda erat Fundi Intravillani ad metretas posonienses reducta Quantitas.

In 4-a rubrica capacitas Agrorum Sessionalium secundum metretas Posonienses; ad quos referuntur etiam Agri in Praediis Incorporatis siti. Conscribendi vero erant etiam Agri Inhypothecati, quemadmodum actu per Colonos possessi.

5-am rubricam occupant Prata Sessionalia, et Praedialia in Praediis Incorporatis existentia, et quidem secundum subdivisionem triplicem, nempe, semper, raro, nunquam bis falcabilium. Mensura in falcastris exprimebatur. Prata quoque Inhypothecata eadem ratione conscribenda erant.

Et his absolvitur Conscriptio Constitutivorum Sessionalium, sequuntur nunc in rubricis sequentibus Constitutiva Praedialia, seu titulo Sessionalium possessi fundi in P r a e d i i s n o n I n c o r p o r a t i s, e t q u i d e m:

In rubrica 6-a Nomina Praediorum.

In rubrica 7-a Agri secundum mensuram in Jugeris duarum metretarum posoniensium capacibus.

In rubrica 8-a Pratorum Falcastra 1-ae 2-ae et 3-ae Classis.

---

3) Instr. Com. Reg. § 34.

Si in aliquo loco subditis agri, et prata stabiliter emensa haud fuissent, verum de anno in annum sorte distributa exstitissent, ultimi anni status conscribebatur.

Colonus, qui pluribus sessionibus in territorio ejusdem Domini terrestris gaudebat, toties conscribendus erat qua Colonus, quot sessiones possidebat; si vero fundum aliquem intravillanum sine appertinentiis extravillanis possidebat, ratione illius praeterea qua inquilinus domiciliatus Conscriptioni inferri debebat. Si tandem in territoriis diversorum Dominorum terrestrium fundum intravillanum, et appertinentiàs extravillanas habuit, Conscriptionem utriusque etiam Domini terrestris ratione possessionis in territorio eorundem habitae ingredi debebat.

Si in aliquo loco metretae mensura a posoniensi diversa praevigebat, ad hanc reducenda erat, et ita Conscriptioni inferenda.

Subditi, qui appertinentias, octavam unius sessionis haud adaequantes possidebant inter inquilinos, et respective subinquilinos, cum quantitate appertinentiarum suarum conscribebantur.

Fundi deserti tam intra-, quam extra-villani eadem ratione, qua fundi impopulati conscribendi erant.

Porro fundi quoque per Colonos inhypothecati accurate Conscriptioni inferri debebant. 4)

Hac ratione demum conscribebantur etiam Loca Curialia quoad Ignobiles, et Bona Episcopalia. 5) a)

---

4) Instr. Com. Reg. § 35. 5) Instr. Com. Reg. § 10. 17.

a) Vide praeter citatas §-phos ex Instructione Com. Reg. Instructionis Ex. Mag. Cap. II. de Conscriptione.

§ 7.

C) Conscriptio Exstirpaturarum.

Conscriptio Exstirpaturarum complectitur in se: Nomina, et Cognomina Exstirpantium cum correlata quantitate Terrarum Arabilium, secundum mensuram Jugerorum 2 metretarum posoniensium capacium, et Pratorum secundum Falcastra, una cum quantitate obvenientium ab utrisque Praestationum in parata pecunia, robotis jugalibus, vel manualibus, naturalibus, ac aliis; quemadmodum forma exemplaris (exemplificativa) sub E et Nro 5 perhibet. Instituebatur ideo, ut si Coloni respectivi circa auctas ab Exstirpaturis Praestationes, vel earundem illegales ademtiones per Dominos terrestres nefors attentandas successu temporis quererentur, querelae hae ductu harum Conscriptionum facilius cognosci, et decidi valeant. 1)

1) Instr. Ex. Mag. C. II. §. 5.

§ 8.

D) Conscriptio Vinearum.

Conscribebantur Vineae praestationi tam Juris Montani, quam Nonae obnoxiae, ut et quoad has praestationes, omnes in futurum mutationes praecaveri possint; quamvis vineae ad constitutivum sessionale haud pertineant.

Forma Conscriptionis vinearum Juri Montano subjectarum exhibetur sub F et Nro 6, complectiturque: numerum currentem; nomen Promontorii, nomina et cognomina Possessorum Contribuentium, primum intraneorum, dein extrane-

orum; Fossorum numerum; ac Juris Montani quantitatem in urnis, pintis, mediis, et sextis, secundum mensuram posoniensem, ad quam aliae quaecunque reducebantur.

Occasione Conscriptionis hujus una post annum 1715-um contra Articulum 97-um vel vero etiam recentioribus temporibus occasione novae implantationis conventi inter Dominos et Subditos Juris Montani adauctiones sufferebantur, et ad normam antiquam vel conventam reducebantur. Si tamen praeter certam musti quantitatem etiam aliud quid in naturalibus, vel pecunia titulo Juris Montani ante annum 1715-um usuvenit, vel tempore novae implantatae vineae stipulatum fuit, illud quoque memoratam Conscriptionem in specie, quoad singulos possessores, ingredi debebat; secus vero inductum aeque sufferendum.

Conscriptio Vinearum, a quibus Nona praestatur secundum formam sub G et Nro 7 suscipiebatur, quae: nomen Promontorii; numerum currentem, nomina ac cognomina possessorum, subditorum videlicet contribuentium; et numerum Fossorum continet, cum illa denotatione, quod ab his vineis Nona praestetur. 1) Summa quoque singularum rubricarum in his Tabellis exponenda erat, 2) postea sigillis ac subscriptioni Conscriptorum roborandis.

1) Instr. Ex. Mag. C. III. § 3. 4. 5. et 6. 2) Instr. Ex. Mag. C. V. §. 24.

§ 9.

E) Inductio Mensurae Posoniensis.

Qaia vero in Conscriptione Juris Montani et in tota Regulatione Urbariali Mensura Posonien-

sis Legibus, et Revolutionibus Regiis pluribus generaliter quoad totum regnum praescripta observanda erat, ut haec ubique in usum deducatur, et hac ratione omnes fraudes, et vexae praecaveantur; Magistratuales Exequentes abrogatis aliis hanc inducere jubebantur. Ut vero id eo facilius et certius obtineretur, disponere debebant, ut hujus mensurae tam aridorum, quam liquidorum, ex singula specie unum exemplar apud judicem loci asservetur, sigillis suis, instituta prius proba autenticandum, et in obvenientibus casibus pro norma deserviturum. a)

De effectu inductionis Mensurae Posoniensis Exequentes Relationem medio Vice-Comitis Commissario Regio, hic vero Consilio R. L. H. praestare debebant. 1)

---

1) Instr. Ex. Mag. C. III. § 7. et Instr. Com. Reg. § 32.

a) Recentissima lex de hoc objecto est articulus 22-us 1807, urnam 64 mediarum, metretam aeque 64. mediarum, ulnam item, et orgiam posonienses pro mensura legali iterum iterumque statuens, et simul terminum praeclusi, quo omnes diversae a posoniensibus mensurae, tam aridorum quam liquidorum eisdem conformari debebant, in festum S. Joannis Baptistae anni 1808 (24-um Junii) defigens, sub poena arbitraria pro ratione conditionis excedentium per Jurisdictiones concernentes infligenda. Ut vero defraudationes vietorum praecaveantur, constituit idem hic articulus, ut vasa per eos praeparata, antequam capacitas eorum per jurisdictionem localem explorata fuerit, venui haud exponantur, utve in signum autem explorationis hujus, et respective autenticationis stigma jurisdictionis capacitatem eorum indigitans inuratur; usu vasorum injustorum (defectuosorum) tam nobilibus quam ignobilibus sub poena a. 71 1659 (12 florenis, vel amissione rei, si haec 12 florenos valore non adaequet) interdicto.

§ 10.

F) Promulgatio Punctorum Generalium Prohibitorum.

Puncta haec Generalia Prohibita quosdam excessus contra Leges et Urbarium passim invalescentes in se complectentia sub H et Nro 8 Instructioni Magistratualium Exequentium advolvuntur: quia vero jam praecedentibus annis, per Intimata circularia Consilii R. L. H. dd-to 21-ae Julii et 29-ae Decembris 1766, Puncta haec in singulis locis lingva vernacula publicari, et iisdem etiam sub autentico sigillo et subscriptione (extradata) notariali expediri curare singuli jubebantur Comitatus 1); Exequentes Magistratuales in singulis locis, num hoc eeffctui mancipatum fuerit? investigare, iterumque Puncta haec in locis, quibus jam expedita fuerunt, convocatis incolis punctatim perlegere, et ita denuo promulgare obligabantur, ex iisque simul percontari, an nullas querimonias intuitu illorum habeant? Querelae hae statim complanandae, vel si id fieri non poterat, accurate connotandae, et Commissario Regio medio Vice-Comitis accurate referendae erant, una cum querelis complanatis, modoque complanationis. Porro Domini terrestres, et eorum Officiales ad Punctorum horum observationem nomine regio commoneri debebant.

Si vero Communitati cuidam puncta haec nondum sua forma expedita fuisse comperissent, id quoque medio Vice-Comitis Commissario Regio referendum erat, ut in proxima Generali Congregatione eatenus necessaria disponi potuerint. 2)

---

1) Instr. Com. Reg. § 5. 2) Instr. Ex. Mag. C. IV. § 1. 2.

§ 11.

G) Classificatio Locorum, et Constitutivi Sessionalis Ejectatio.

Examina ad 9 Puncta, et Conscriptiones per Exequentes Judices in scriptum, subscriptione, et sigillo munitum, redacta, Commissariis Regiis submissa, ac per hos revisa, et approbata, in deputatione pro elaboranda Classificatione sub praesidio respectivi Commissarii Regii considente referebantur. Assessores (Deputati) hujus Deputationis jam in prima Generali Congregatione pro inducenda Regulatione Urbariali primaeva in singulis Comitatibus celebrata denominabantur, et ex denominatis praesentes statim, reliqui vero in ipso Consessu Deputationis juramento obstringebantur secundum formam sub NB et A Instructioni Commissariorum Regiorum adnexam. Si de proprio loco alicujus Deputati, vel ejusdem proximioris consanguinei, aut alterius, erga quem aliqua obligatione officii obstrictus erat, agebatur; Deputatus ejusmodi e consultatione, et deliberatione exesse jubebatur. Aderant vero in hoc Consessu etiam Conscriptores. 1)

Classificatio haec respiciebat loca integra, certi alicujus Comitatus, et peragebatur secundum Beneficia et Maleficia, sub C et Nro 3 provocata; hinc etiam singulorum locorum totius Comitatus Beneficia et Maleficia ex responsis Colonorum ad 9 Puncta eruta seriatim connotabautur, ita ut ex una parte philyrae Beneficia, ex alia vero Maleficia cum designatione loci, ad quem pertine-

---

1) Instr. Ex. Mag. C. V. § 1. item Instr. Com. Reg. § 3. 14.

bant, ponerentur, secundum Extractum sub D Instructioni Commissariorum Regiorum adnexum, ut hac ratione faciliori obtutu, et generatim, absque respectu ad loca concernentia, Beneficia, ac Maleficia totius Comitatus videri, et pro ratione diversitatis magis genericae illorum, certus numerus Classium commodius determinari, numero vero Classium ita determinato, quaenam loca in specie secundum Beneficia, et Maleficia individualia cum Beneficiis, et Maleficiis genericis hujus vel illius Classis magis congruentia, ad hanc vel illam Classem referri deberent, accuratius defigi posset. Ad laborem hunc una et superinspectionem altiorum locorum facilitandum ex Fassionibus ad 9 Puncta et Conscriptionibus singulorum locorum secundum formam sub D NB in Instructione Commissariorum Regiorum contentam Extractus formandus erat totius Comitatus, ita, ut si plures rubricae requisitae fuissent, quam in forma hac continerentur, Extractus illis quoque accomodandus esset. Postquam hac ratione singula loca ad suas Classes relata fuerunt, etiam constitutivum fundorum extravillanorum cuique Classi admensurabatur, eo pro norma generali observato, ut Constitutivum cujusvis Classis tantum ex fundis his contineret, quantum ad Coloni sustentationem, onerumque dominalium, et publicorum in omnem casum ferendorum capacitatem necessarium, secundum conscientiam suam Assessores Classificantes judicarent. Quantitas agrorum in jugeris 2 metretarum Posoniensium, Prata vero in falcastris unius currus foeni feracibus determinabatur. a)

Tandem Classificatio haec singulorum Comitatus locorum una cum Constitutivorum Sessionalium ad singulas Classes emensione in scriptum redacta, ita, ut ad singula loca ratio quo-

que redderetur, quare ad hanc vel illam Classem relata fuissent, in proxima Generali Congregatione referebantur pro statu notitiae, Comitatus vero ex eadem Congregatione via Consilii R. L. H. Suae Majestati pro impertienda Resolutione Regia praesentabat. b) Hac impertita, et in Generali Congregatione publicata, Exequentibus Magistratualibus Conscriptiones, et Examina ad 9 Puncta per se peracta iterum resignabantur, una vero sufficientia Urbariorum, et Tabellarum Urbarialium impressa Exemplaria ac Clavis c) quoque praestationes omnis generis et Constitutiva Sessionalia in respectivis Comitatibus obtinentia, qualitati sessionis cujuscunque attemperata in se complectens dabantur, ut magis secura et accurata ac faciliori opera determinationes, et insertiones praestationum et constitutivorum in tabellas urbariales fieri possent. His habitis pro ratione circumstantiarum cujusvis loci Urbaria ac Tabellas Urbariales praeparabant, Examinibus ad 9 Puncta, et Conscriptionibus pro norma et directione in hac operatione servientibus. 2)

---

2) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 1. et 25. item Instr. Com. Reg. § 3. 14. 15. 16.

a) Classis, ad quam certus locus relatus est, intuitu illius subseque mutari non potest, nec occasione Rectificationis Urbarialis; nisi forte successu temporis ipsa Beneficia et Maleficia, secundum quae locus ejusmodi ad Classem determinatam relatus est, notanter (notabiliter) mutarentur.

b) Classificatio haec una cum respectivis Constitutivis Sessionalibus pro integris Sessionibus ejectatis et Resolutionibus Regiis eam approbantibus, relate ad universos Hungariae Comitatus exhibetur in fine Partis hujus sub NB

c) Per Consilium Regium Comitatibus, et Commissariis Regiis penes Intimatum super Classificatione, et Constitutivorum Sessionalium Ejectatione elargitum, transmissa.

§ 12.

H) Discussio Contractuum, Privilegiorum, et Urbariorum ante Regulationem Urbarialem praevigentium.

Dum Examina ad 9 Puncta, et Conscriptiones locorum in Deputatione Classificationali referebantur, loca Privilegiis, Contractibus, vel Urbariis ante Regulationem Urbarialem praevigentibus provisa, accurate connotabantur, et terminata Classificatione, Privilegiorum, Contractuum, et Urbariorum horum vidimatae copiae ad Fassiones 9 Punctorum advolutae ex illis excipiebantur, et cum responsis illa concernentia ex Fassionibus his exscriptis, quoad singulum locum in unum colligebantur, et per Notarium interim penes eorum praeviam connotationem conservabantur. Commissarii Regii dein haec in Sedria assumi, et discuti curabant, super termino cujus tam Domini terrestres, vel eorum administri, quam etiam subditi edocendi erant. Subditis praeterea Fiscus Magistratualis assistere tenebatur.

In Sedria Privilegia, in quorum usu Communitates hactenus perstiterant, Urbaria item rite, et legitime confecta stabiliebantur. Contractus occasione impopulationis alicujus loci, aut cum Colonis liberae migrationis, adeoque citra vim et metum per Dominos terrestres in perpetuum, et utraque ex parte irrevocabiliter initi, aeque vigorosi, et ut legalia Urbaria considerandi, ad

speciem formalium Urbariorum transmutandi erant. Id solum, quod tantisper obscurum erat, et respectu Constitutivi Sessionalis plane deerat, a proportione onerum colonicalium pro justo suppleri, meliusque declarari debebat. Neque vigori Contractuum perpetuorum, omni solennitate munitorum, in Generali Comitatus Congregatione relatorum, approbatorum, et in usum deductorum, quidquam detraxit, quod recentioribus annis quaqua ratione violati exstiterint. Contractus vero nullam stabilem, sed temporaneam tantum obligationem inducentes, seponendi, et Coloni Regulationi Urbariali subjiciendi erant, salva tamen tam his, quam et Dominis terrestribus mutuo consensu Contractus in futurum etiam suo modo ineundi facultate. Excipiebantur Contractus cum Oppidanis, magnam partem quaestoribus, et opificibus hactenus nunquam ad obligationes urbariales proprie sumtas adstrictis initi. Hi enim, etsi perpetui non fuissent, in tales tamen transformandi erant coram Testimonio legali juxta principia generalia in Contractibus ineundis observanda. Interea, donec Contractus hac ratione initi altissimo loco ratihabiti fuissent, priori Tractamento in salvo permanente.

Si tandem Contractus urbarialis inter Dominum terrestrem, et ejus subditos initus fuit sub ipsa Regulatione Urbariali, quemadmodum ipsi Exequentes, quí actui ineundi Contractus interesse debebant, curam omnino habere obligabantur, ne per ejusmodi Contractum status Colonorum cum praejudicio quoque publico aggravetur potius, quam allevietur, normaque contractualis urbarialem excedat, porro ut occasione instituendi computus et combinationis errores calculi praecaveantur; ita id ipsum Sedria quoque occasione revisionis observandum habuit.

Privilegia, Contractus, et Urbaria per Sedriam pro validis et vigorosis habita via Consilii R. L. H. pro suprema inspectione Suae Majestati praesentabantur, et adveniente Resolutione Regia in conformitate ejus sub autentico expedita in locis respectivis promulgabantur, et inducebantur. 1)

---

1) Instr. Com. Reg. § 26. et Instr. Ex. Mag. C. V. § 32

§ 13.

I) Praeparatio Urbariorum.

Urbaria sunt duplicis generis, alia, quae deserviunt pro locis, quae Nonam in natura, alia vero, quae pro illis, quae Nonam in aequivalenti praestant. Primi generis lingva Hungarica, Germanica, et Slavica concepta adnectuntur Instructioni Ex. Mag. sub I et Nro 9; secundi vero generis iisdem lingvis sub K et Nro 10 a) — Quaestio vero illa, quis locus Nonam in natura, quis in aequivalenti et quali praestare debeat? secundum has regulas decidebatur.

1-mo In locis illis, in quibus secundum Fassiones ad 9 Puncta ante Regulationem Urbarialem Nona in natura obtinuit, eadem ultra quoque stabiliebatur.

2-o Ubi Septima, vel Octava, absque Decima (a terris sessionalibus) locum habuit, hae etiam ultra quoque stabilitae sunt.

3-o Ubi e contra Septima vel Octava, una vero etiam Decima in usu fuit, in locum Septimae vel Octavae Nona (in natura) substituebatur.

4-o In locis illis, in quibus Nona hactenus non in stramine, verum grano praestabatur, quemadmodum illam in pòsterum rustici praestare vellent? optioni illorum relinquebatur.

5-o In quibus locis Nona ante inductum Urbarium locum non habuit, an illa in futurum in natura, vel aequivalenti locum habere debeat? optioni Colonorum deferebatur, b) ita tamen, ut exequentes Magistratuales eos ad Nonam in natura eligendam bonis persvaderent, ut hac ratione aequalitas quoad praestationes inter Colonos obtineri posset.

6-o Si Domino terrestri praeter Decimam jure Cleri praestitam, terragii titulo nihil praestitum fuisset, aeque praestatio Nonae secundum optionem subditorum vel in natura vel aequivalenti inducebatur.

7-o Si Dominus terrestris hactenus titulo Nonae Decimam percepisset, liberum quidem ei erat hanc ultro quoque exigere, vel in vicem ejus Nonam eligere; hac tamen electa iterum optio locum habuit ex parte Colonorum, illam in natura vel aequivalenti praestandi. c)

8-o Si vero in aliquo loco Coloni circa electionem Nonae in natura vel aequivalenti inter se convenire non poterant, verum pars eorum Nonam in natura, pars in aequivalenti eligebat, prout haec vel illa major (potior) erat, ita Nona vel in aequivalenti vel in natura inducta est.

9-o Idem obtinuit dum in uno eodemque loco ad plures Dominos terrestres pertinente, unius Domini terrestris subditi hanc, alterius vero aliam Nonae speciem optassent; nam hic quoque partis potioris ratio habebatur, et quod illa optavit, etiam reliquis placere debuit.

10-o Si in loco quodam rusticorum quidam Nonam in natura, quidam vero nullam pendebant, prout hi vel illi plures erant, ita quoque quoad totum locum optio, vel Nona in natura locum habuit.

11-o Si Colonus singularis ab aliis terris suis postfundualibus hanc, ab aliis aliam speciem terragii praestitisset, hae ad illam, quam totus locus praestabat speciem reducebantur.

12-o Si rustici Nonam ante haud praestitam in aequivalenti postea praestandam eligebant, aequivalentis determinatio ab arbitrio Dominorum Terrestrium pendebat; si vero plures in eodem loco possidentes (Compossessores) inter se de specie aequivalentis discordabant, illius arbitrio standum erat, qui plures in eodem loco subditos habuit, et si aequali numero habebant, Exequentes Judices contribuentis plebis conservationis ratione habita speciem aequivalentis definxerunt. – Idem quoque tunc locum habuit, si Dominus terrestris vel ejus Officialis aequivalentis speciem quoad locum aliquem ex integro per illum possessum determinare noluit. 1)

Quemadmodum autem Nona vel in natura vel in aequivalenti secundum has regulas inducta est, ita etiam Urbariis (puncto 5 §-pho 1-o) concernentium locorum inferebatur. 2)

Porro relate ad Urbarii pro Nona in natura deservientis puncti 5-ti §-phum 4-um interrogandi erant Domini Terrestres, num ex canabe et lino Nonam in natura, vel loco hujus 6 Librarum filaturam eligere vellent? Una ex his electa, alia in memorato §-pho delenda erat, 3) et sic alternativa sufferenda, ut eo major determinatio, et stabilitas praestationum omnium colonicalium in futurum locum haberet. – Ex eadem ratione, hac occasione alternativa quoque Urbariorum puncto 3 §-pho 18-o quoad solvendum vectigal, vel labores in reparationem teloniorum praestandos secundum optionem Colonorum sufferenda, et Executionalibus, quod praeoptabatur, inferendum erat. 4)

Reliquae insertiones in Urbaria fiebant secundum formas praescriptas triplici lingva, Germanica, Hungarica, et Slavica sub L et Nro 11 Instructioni Magistratualium Exequentium advolutas. Postquam hae insertiones secundum circumstantias cujusvis loci factae sunt, eaedem omnes in fine Urbarii singulorum locorum per Magistratuales exequentes repeti debebant, cum recognitione, has per ipsos omnino factas fuisse. Urbaria demum sic praeparata subscriptionibus, et sigillis eorundem Exequentium roborari quoque debebant. 5)

---

1) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11. 12. 2) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 6. 7. 3) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 13. 4) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 14. 5) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 15. et 16.

a) Urbaria impressa pro Nona in natura in inferiori margine cujusvis folii usque Cap. V inclusive magno A pro Nona vero in aequivalenti parvo a notata sunt.

b) Idem obtinuit in casum eum, si Dominium tantum sub decursu annorum, quibus Urbarium introducebatur, Nonam in natura desumere coepit, et usum priorem legitimare non potuit. Aliud erat, si recentioribus tantum annis per Conventionem temporaneam ab usu praevigente Nonam in natura percipiendi recessisset, tunc enim optioni locus non dabatur. Res. de 21-a 9-bris 1770 Nro 5228 — 3-ia X-bris e. a. Nro 5685 Comitatui Borsodiensi intimata. — Optio vero Colonorum circa Nonam in Natura vel aequivalenti praestandam non tantum ad terrenum locale, sed et praedia, in quibus fundi numerum constitutivi sessionalis ingressi existebant, se extendit juxta Resolutionem de 11-a 7-bris 1771 Nro 4591 Comitatui Csongradiensi 19-a ejusdem Mensis et Anni Nro 5283 intimata.

c) Idem obtinuit, si Decima jure dominali partim in stramine partim in grano ante desumebatur. Resolutio de 18-a Febr. 1780 Nro 676 Comitati-

bus Croatiae 24-a Febr. e. a. Nro 1286 intimata. Hoc per expressum addito, quod Dominiis in praestationem Decimae consentientibus agri in adjustationem pratorum emensi juxta generalem regulam ab illa immunes sint. — Relate vero ad querimoniam nonnullorum subditorum, quod ex defectu sufficientis informationis Nonam in natura praeelegerint, supponentes semet ab omnibus robotis immunes futuros, et ideo cum contrarium experiantur, aequivalens potius se pendere cupientium, 17-a Martii 1789 Nro 1229 rescriptum: Ut ubicunque defectus talis intercessisset, actus optionis reiteretur.

§ 14.

K) Praeparatio Tabellarum Urbarialium, et Constitusivi Sessionalis Assignatio.

Tabella Urbarialis, quae in rubricis 16 Quantitatem Constitutivi Sessionalis, et Praestationes singulorum loci concernentis Colonorum Urbariales sistit, Instructioni Exequentium Magistratualium in triplici consveta lingva sub M et Nro 12-o adnectitur. Ejus rubricas singulas ad uberiorum earum intellectum consequendum persequi eo magis necessarium, quo haec tabella in rebus urbarialibus maximi momenti est.

1-a rubrica continet in se Nomina, et Cognomina, primum Colonorum, dein Inquilinorum, postea Subinquilinorum, quos Inscriptionalistae excipiunt, tandem sequitur Communitas quoad fundos in concreto possessos, (qui ultimo loco exponuntur) praemissa expressione: Communitas in concreto usuat. 1) Ejusdem no-

---

1) Instr. Ex. Mag. Cap. II. § 2. Nro. 8.

minis quidam ex Colonis forte occurrentes distincto epitheto designandi erant. Coloni porro qua Sessionati in Conscriptione Urbariali notati, minus tamen una Octava possidentes, inter Inquilinos domiciliatos in hac Tabella referebantur; contra ut Inquilini in Conscriptione designati, quorum constitutivum urbariale unam Octavam adaequabat, inter Colonos censebantur. Caeterum eadem quoad hanc rubricam notanda sunt, quae ad rubricam 1-am Conscriptionis dicta sunt.

In rubrica 2-a notabatur Qualitas sessionis, quoad Colonos singulos sessionatos; sed quia haec secundum Constitutivum Fundorum intra- et extra-villanorum, Resolutione Regia respectiva defixum, determinabatur, quod in tertia, quarta, et quinta rubrica occurrit, de his primum agendum est.

Si constitutivum actuale fundorum intra- et extra-villanorum singulorum et omnium loci alicujus secundum Conscriptionem praeexistens cum Constitutivo normali (competentia) per Resolutionem Regiam secundum Classificationem pro illo loco ratione qualitatis Sessionum defixo conferatur, seu ad illud reducatur, triplex inde resultatum; nempe vel constitutivum actuale totius loci secundum praevigentem qualitatem Sessionum congruet cum constitutivo normali, vel vero discrepabit, et quidem vel excessu, quod nempe constitutivum actuale plus efficiat, quam normale, vel defectu, quod videlicet illud hoc minus efficiat. Si primus casus (rarus utique, sed tamen possibilis) obvenit, quod videlicet totius loci constitutivum secundum Conscriptionem adaequabat constitutivum normale, poterat quidem in singulis sessionibus intra constitutivum praevigens, et normale discrepantia adesse, et adfuit certe semper, nam ut singularum quoque

et omnium sessionum constitutiva alicujus loci cum normativo concordaverint, vix ac ne vix quidem cogitari potest; – sed discrepantia haec facile superabatur ita, ut quod relate ad unam sessionem exuperabat, id alteri adjiceretur ad compensandum defectum, si videlicet Dominus Terrestris ex redimendis exstirpaturis, aut fundis desertis, censualibus, vel allodialibus defectum hunc supplere noluit. Si vero constitutivum totius loci plus effecit, quam norma statuta exegisset, vel singulae sessiones fundos intra- et extra-villanos ultra normam defixam habebant, vel aliquae tantum. In casu ultimo ante omnia defectus, si quis aderat, vel per Dominum Terrestrem, si voluit, vel vero ex fundis supernatantibus compensandus erat, et quod post hanc compensationem supererat, fundi supernatantes stricte et vere tales, quemadmodum et illi in primo casu remanentes ad Sessiones octavales reductae, secundum has unam, aut plures erga praestationes urbariales Colonis illis distribui debebant, qui his excolendis et maxime pares, et illorum maxime indigi erant, eousque per ipsos tenendi, donec nempe impopulandis Sessionibus necessarii evaderent. Si vero remanentes ejusmodi agros et prata Coloni singulares adsumere nollent, Communitas ad illorum culturam erga praestationes urbariales per Commissarios Regios, et Magistratuales Exequentes disponenda erat, hac quoque recusante extraneis semet insinuantibus distribuenda, secus vero Colonis, qui hactenus possidebant, ultra penes praestationes urbariales ab illis obvenientes relinquenda erant. 2) Ubi vero latifundia majora erant, adeoque illi propter ferenda ab his o-

---

Instr. Com. Reg. § 44.

nera quoque majora, omnia adsumere nolebant, et hinc „non obstante eo, quod hactenus „erga urbariales praestationes pos-„sessa, et simul oneri Contributionis „subjecta fuerint, pars aliqua prae „manibus Dominorum Terrestrium „relinqueretur, in Relatione execu-„tionali exponendum erat, quot in „uno quovis loco Sessiones ejusmo-„di remanentia constituat“ 3) Si demum fundorum intra- et extra-villanorum capacitas tanta non fuit, ut Sessionibus in Conscriptione notatis, retenta earum qualitate praevigente, secundum classificationem loci, et ejectatum in conformitate ejus constitutivum normale efformandis suffecissent, omnibus viribus quidem adlaborandum erat Exequentibus, ut in quantum possibile, per Dominos Terrestres redintegratio ejusmodi sessionum incompletarum ex memoratis supra terris, non tamen penitus sterilibus, sed fructiferis, fiat. Quod si factum fuit, ejusmodi terrae, et quidem agri secundum jugera pro ratione qualitatis glebae 1100, 1200, et 1300 quadratas orgias complectentia, prata vero secundum falcastra dimetienda, et ad Sessiones incompletas in necessaria quantitate assignanda erant. Si tamen redintegratio ex terris exstirpatitiis suscipiebatur, Exequentes Judices ejusmodi Exstirpaturas prius a quantitate, et qualitate impensi laboris, habita ratione praestationis annuae, a singulis jugeribus, et respective falcastris Domino Terrestri factae, aestimare, et in scriptum redactam aestimationem Comitatui exhibere, Comitatus vero in Sedria revideri curare debebat.

---

3) Instr. Com. Reg. § 37.

Revisione facta, et difficultate nulla in obversum per Commissarium Regium posita, Exstirpaturae secundum aestimationem exolutae terris sessionalibus applicabantur, et in redintegrationem illarum convertebantur, ita tamen, ut in tabella urbariali exprimeretur, illam ex terris exstirpatitiis factam fuisse. 4) Si autem ad redintegrationem hanc Dominus Terrestris statim non accessit, aut accedere potuit, tam fundi intravillani, quam etiam appertinentiae extravillanae in ea quantitate metretarum, jugerorum, et respective falcastrorum, in concernentibus rubricis exponi debebant, quam Conscriptio exhibuit, ast praestationes urbariales habita ratione constitutivi normalis eidem attemperabantur. Dominis nihilominus Terrestribus commendandum, ut quo ocyus hanc redintegrationem coram legali Testimonio suscipiant.

Redintegratio autem fundorum intra- et extra-villanorum invicem ita instituebatur, ut etiam ex fundo intravillano (integrae v. g. Sessionis) quod superabat duas metretas, in extravillanos imputaretur; si vero tantum quadrans metretae supernatabat, hic qua exiguum quid in extravillanas appertinentias non imputabatur, adeoque stricte tantum mediae metretae capacitas. Agri et Prata ita invicem compensabantur, ut jugerum agri pro falcastro prati, et vicissim computaretur, si videlicet ultra competentiam saltim medium jugerum vel falcastrum aderat; nam minor numerus fractus negligebatur, seu non computabatur.

His praehabitis, quod qualitatem Sessionis in rubrica 2-a exponendam concernit, haec ita de-

---

4) Instr. Com. Reg. § 48

terminabatur: si Sessionis cujusdam constitutivum tam intravillanum, quam extravillanum habita qualitatis ejus ratione tot jugera, et respective falcastra complectebatur, quod secundum Constitutivum normale complecti debuit, vel si defectus, si quis aderat, quacunque demum ratione supplebatur, adeoque si quantitas fundorum intra- et extra-villanorum Qualitati sessionis respondebat, haec quemadmodum in Conscriptione reperiebatur, ita Tabellae Urbariali in hanc rubricam inserebatur; si vero defectus in hac vel illa sessione redintegratus non fuit, constitutivum fundorum intra-, et extra-villauorum praevigens simul sumtum (ita nempe, ut jugera pro falcastris, et vicissim sumerentur) exigebatur ad normam praescriptam (ita ut in hac aeque Constitutivum intra-, et extra-villanum dicta ratione simul sumeretur) et quot illud octavas ex hac adaequabat, tot etiam in rubrica hac exponerentur, hac videlicet ratione, ut si octo octavas adaequaret, una integra, si quatvor octavas, media, si demum duas octavas attingeret, quarta inscriberetur. Si vero haec adaequatio stricta locum non habuit, sed post unam aut plures octavas adhuc aliqua fractio minor octava remansisset, et haec fractio proximius ad octavam accessit, pro octava sumebatur, secus vero penitus negligebatur, et hoc ideo, quia minor fractio octava non solebat exponi, verum qui minus possidebant, prout superius commemoratum, inter Inquilinos numerabantur. a)

In 3-a rubrica inserebatur quantitas fundi intravillani relate ad singulos Colonos sessionatos, Inquilinos domiciliatos, et Communitatem in concreto sumtam (ab analogia Conscriptionis relate ad Inquilinos, et Communitatem) juxta metretas posonienses, ita quemadmodum in Conscri-

ptione continebatur. In hac rubrica minor fractio quam media haud exponenda erat.

4-am rubricam occuparunt Colonorum sessionatorum, Inquilinorum, et Communitatis quoque terrae arabiles juxta jugera vel in Conscriptione exposita, vel si redintegratio facta est (quoad Colonos) secundum redintegrationis calculum.

In 5-am rubricam inscribenda erant Colonorum Sessionatorum, Inquilinorum, et Communitatis prata, itidem vel juxta numerum falcastrorum in Conscriptione occurrentem, vel facta redintegratione (relate ad Colonos) secundum summam capacitatis conscriptae, et redintegrationalis.

In his quoque 4-a et 5-a rubricis fractio minor una media exponi non debebat.

In 6-a rubrica exponebatur numerus robotarum jugalium secundum qualitatem Sessionis in rubrica secunda denotatam, a Colonis sessionatis vel forte Communitate praestandarum.

Ad rubricam 7-am ingrediebatur numerus robotarum manualium, quem duplicatae jugales praebebant. Ad hanc rubricam ponebantur etiam Inquilinorum, et Subinquilinorum 18 et 12 dierum servitutes.

Quod rubricam 8-am concernit, si juxta superius dicta Nona in natura obtinuit, interrogandus erat Dominus Terrestris (si id jam ante factum non fuisset) num etiam ex canabe et lino Nonam in natura desumere, vel vero loco hujus filaturam praeeligere mallet? et si se pro Nona in natura determinabat, rubricae huic inscribendum erat, secundum formam sub N et Nro 13 „Nona in natura incluso canabe et lino" rubrica vero 11-a per transversum ducendis lineolis absolvenda. — Si vero filaturam ele-

git, ad rubricam 8-am inserendum erat: „Nona in natnra excluso canabe, et lino" in rubrica vero 11-a exponenda erat quantitas librarum nendarum juxta Qualitatem sessionis. — Si aequivalens obtinuit, et quidem in Robotis, tunc numerus Robotarum jugalium, vel duplicatarum manualium, juxta qualitatem Sessionis, si vero in Pecunia, quantitas Pecuniae aeque juxta Qualitatem sessionis in rubrica 2-a expositam inserebatur rubricae 8-ae (secundum formam superius provocatam), rubrica vero 11-a aeque ductis lineolis per transversum absolvebatur. Rubrica haec 8-va tam Colonos sessionatos, quam Inquilinos concernit, ita ut hi quoque a proportione fundorum extravillanorum, quemadmodum Coloni sessionati, vel Nonam in natura, vel hujus loco aequivalens praestare debeant, Communitate quoad fundos in concreto possessos penes antiquas praestationes relicta.

In rubrica 9-a inscribendus erat Census Annuus (annualis) tam quoad Colonos, quam Inquilinos secundum principia suo loco exposita.

In rubrica 10-a relate ad illos, qui beneficio Lignationis gaudebant, quantitas ligni secandi secundum orgias qualitati Sessionis approportionandas, adeoque non ultra octavam orgiae exponenda. Colonos sessionatos tantum non item Inquilinos concernit.

Rubrica 11-a jam absoluta aeque Colonos sessionatos tantum respicit, non etiam Inquilinos.

Ad rubricam 12-am inserebatur quantitas Butyri, per Colonos sessionatos tantum praestanda, et qualitati sessionis attemperanda. Antequam tamen haec praestatio insereretur, inquirendum erat in facie loci, num pascuum relate ad vires Colonorum sufficiens sit, et si insufficiens comperiebatur, Exequentes cum Domino terrestri, vel

Officiali ejus de supplendo defectu agere debe-
bant. Si vero Coloni vaccas servare non poterant
ob realem defectum pascui, rubrica haec lineolis
ransversis explenda erat.

In rubrica 13-a Caponum, in 14-a Pullorum,
n 15-a denique Ovorum, quibus omnibus Co-
oni sessionati tantum tenentur, numerus ses-
ionis qualitati attemperandus „ad amussim"
xponi debebat.

In rubrica 16-a terrarum in compensationem
undorum intravillanorum, et pratorum (adjusta-
ionalium) Colonis sessionatis assignata quanti-
as, a praestatione Nonae libera, secundum ju-
era in summa exponebatur. b) Terrae adjusta-
ionales, si fieri poterat, in peculiari calcatura
xscindi debebant.

Postquam rubricae singulae hac ratione ex-
letae fuissent, summa singularum quoque eru-
nda, et exponenda erat, ac tandem ita para-
ae Tabellae Exequentium Magistratualium si-
llis, et subscriptionibus roborandae. 5) Ex Ta-
ellis urbarialibus singulorum locorum conficie-
ant Commissarii Regii Tabellam Urbarialem to-
us Comitatus concernentis secundum formam
ub D et NB NB Instructioni Commissariorum
egiorum adnexam; quae Consilio R. L. H.
na cum universis Urbariis et Tabellis urba-
alibus singularibus submittenda erat. 6)

Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 24. 6) Instr. Com. Reg.
§ 22.

An ego in hac Deductione sensum Instructionis
Ex. Mag. et Com. Reg. circa operationem prae-
missam, ut mihi quidem videtur, non satis ex-
plicitam, recte assecutus fuerim, penes peritiores

esto judicium. Magnam me in illo eruendo ad-hibuisse diligentiam, vere affirmare possum. Caeterum hic notare debeo, quod in Instructione Exequentium Magistratralium omnes praestationes Colonorum appertinentiis seu agris et pratis attemperari praecipiantur, excepta Nona utique, cum haec tantum ex agris competat, excepto item Censu Annuo, qui, cui objecto vel fundo approportionari debeat, non memoratur, excepta demum Sectione et Convectione Lignorum, quae Qualitati Sessionum attemperari jubetur. Ego omnes praestationes excepta Nona et Censu Qualitati Sessionum approportionanda dixi in Tractatu hoc de confectione Tabellae Urbarialis, quod mirum videri nemini debet; nam res redit ad idem, sive praestationes appertinentiis, seu Qualitati Sessionum attemperentur.

b) Praeter citatos §-phos Instr. Com. Reg. qui immediate ad puncta, ad quae provocantur, referenda sunt, vide adhuc quoad reliqua Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 18. 13. 23. et 30.

§ 15.

L) Publicatio Urbariorum.

Urbaria, Tabellae Urbariales singulorum locorum ita praeparata, una cum Conscriptionibus Exstirpaturarum, et Vinearum, tam Nonae, quam Juri Montano obnoxiarum in 4; Conscriptiones vero Urbariales, et Examina ad 9 Puncta in 2 exemplaribus originalibus, adeoque sigillis et subscriptionibus Exequentium muniendis exaranda et Commissario Regio pro revisione praesentanda erant. Revisione terminata in Generali Congregatione Universitati Comitatus respectivi referebantur, ac ex eadem sub autentia notaria (extradata notariali) et Comitatus sigillo expediebantur, ac ita expedita Exequentibus Judicibus, et quidem Urbaria, et Tabellae urbariales, Conscriptiones item Exstirpaturarum, et V

ıearum in duobus exemplaribus, uno pro Do-
ninis terrestribus, alio pro Communitatibus,
Conscriptionum vero Urbarialium et Examinum
ıd 9 Puncta pro directione tantum serviturorum
ınum exemplar restituebantur.

His acceptis ad faciem singulorum locorum
Exequentes exibant, et Urbaria coram Domino
errestri, vel ejus Officiali, et convocatis Sub-
litis (clara, et distincta voce) promulgabant,
na etiam puncta quaedam uberius interpreta-
antur. Promulgato vero et interpretato Urba-
io, id quoque publice declarabant, quod in meta-
ium controversiarum accommodationibus Coloni
b omnibus impensis et oneribus eatenus feren-
is immunes sint, et quod Rectificatio Consti-
utivorum sessionalium tam Dominis terrestri-
us, quam Colonis salva sit; porro quod Regu-
atio Urbarialis, et praestationes secundum il-
ım a promulgatione hac initium sumant, adeoque
ıtuitu occurrentium quarumcunque praetensio-
um, ab illa tantum computus fiant. Instrue-
antur etiam Subditi, qua ratione, et ubi que-
elarum suarum remedium quaerere debeant.

Quod autem Restantias Subditorum usque
iem promulgationis hujus accumulatas attinet,
ıtuitu harum a Domino terrestri expetitarum,
um hoc, vel ejus Officiali, et Subdito per Exe-
uentes computus ineundus erat, et juxta hunc
ro fundatis adinventae, ne cum novis urbaria-
bus praestationibus confundantur, connotandae,
na circa exolutionem illarum termini angarica-
es, pro ratione conditionis restantium Colono-
ım, pauciores, vel plures, non tamen ultra octo
tatuendi, in hac Connotatione exprimendi erant.
psa vero Connotatio in duobus exemplaribus
ubscriptione et sigillo Exequentis munitis ex-

pediebatur, quorum unum Domino terrestri, aliud Subditis consignandum erat.

Finem Regulationi (Executioni) imponebat hortatio, tam Dominorum terrestrium, eorundemque Officialium, ut Regulationem inductam exacte observent, quam etiam Subditorum, ut tranquille et obedienter se habeant, omniaque ea, quae in Patentalibus sub O et Nro 14 Instructioni Exequentium Magistratualium adnexis continentur, sub poenis illic statutis observent. 1)

1) Instructionis Ex. Mag. C. V. § 28. 29. 30.

§ 16.

M) Confectio Testimonalium Litterarum super Executione Urbariali.

Exequentes Magistratuales super tota rei per se gestae serie juxta ordinem punctorum, et paragraphorum Instructionis sibi datae, et cum provocatione ad illa, Litteras testimoniales claras concinnare, et subscriptionibus ac sigillis suis munire debebant.

Testimoniales has ingrediebantur secundum Instructionem memoratam etiam illa, quae in Tabella urbariali locum non invenerunt, uti quantitas pomarii, lupuleti, et pruneti, obvenientisque intuitu eorum praestationis quoad singulos Colonos. 1) Item an Coloni Vectigalis solutionem, vel vero reparationem proportionatam viarum et pontium telonialium elegerint. 2) Item

1) Instr. Ex. Mag. C. V. § 12. 2) Instr. Ex. Mag. C. V. § 14.

uantitas Sessionum Supernatantium prae manius Dominorum terrestrium relictarum. 3) Item eterminatus per Commissarium Regium pro Officialibus, Servitoribus, et Ludimagistris, ac cuiscunque religionis Parochis, pecorum et pecuum numerus (in puncto peculiari). 4) Item quanitas, et qualitas praestationum per Communitaes a fundis per easdem in concreto possessis bvenientium. 5) Item quomodo defectui Pascui er Dominos terrestres subventum fuerit? 6) tem qualitas glebae in agris secundum diverticula espectivi loci ad tres classes praescriptas reucta. 7) – In his Testimonialibus illae quoque ifficultates, quae occasione Executionis Urbaalis a Dominis terrestribus, vel Subditis obiovebantur, et per Exequentes sub ipsa opeatione superari non poterant, cum omnibus cirumstantiis exponi debebant. 8) Porro si loca uaedam promontoriis carebant, id quoque exonendum erat, ut ratio non conscripti Juris Iontani, et termini Educillationis apta designao appareret. 9) In his denique Testimonialibus mnia illa suo ordine exponenda erant, quae in rbariis, Tabellis urbarialibus, et Conscriptioibus Exstirpaturarum, ac Vinearum Juri Monino, et Nonae obnoxiarum non continebantur, rant tamen pro futura Dominorum terrestrium, orundem Officialium, ac Subditorum directioe, et observatione necessaria. Hinc etiam Literarum harum testimonialium exemplar unum

) Instr. Ex. Mag. C. V. § 19. 4) Instr. Ex. Mag. C. V. § 22. et Instr. Com. Reg. § 46. 5) Instr. Ex. Mag. C. V. § 23. 6) Instr. Ex. Mag. C. V. § 22. 7) Instr. Ex. Mag. C. I. § 3. et Instr. Com. Reg. § 34. 8) Instr. Ex. Mag. C. V. § 30. 9) Instr. Ex. Mag. C. V. § 30.

Dominis terrestribus, aliud Communitatibus consignandum, duo vero Comitatui, una cum Examinibus ad 9 Puncta, et Conscriptionibus fundorum urbarialium referenda erant. Comitatus ex his omnibus unum exemplar Consilio R. L. H. submittere obligabatur. 10)

10) Instr. Ex. Mag. C. V. § 31. item Instr. Com. Reg § 19.

SECTIO II.

DE RECTIFICATIONE URBARIALI, REGULATIONE JURIS MONTANI, ET SILVARUM AC PASCUI.

§ 17.

Notio Rectificatonis et Regulationis evolvitur.

Notio Rectificationis distincta est a notione Regulationis. Rectificatio certam supponit jam mensuram, ad quam Objectum aliquod exigi debuit; Regulatio contra primum mensuram aliquam certam defigit, ad quam objectum quoddam est metiendum. Notionibus his ad Fundos, Beneficia, et Praestationes Colonorum applicatis, facile patet, cum occasione primaevae Regulationis Urbarialis mensura certa tantum quoad Constitutiva sessionalia statuta fuerit, etiam quoad haec et correspondentes illis Praestationes

tantum, Rectificationem; quoad reliquos vero Fundos, Beneficia ac Praestationes nulla determinata mensura circumscripta, Regulationem locum habere. Huc pertinent Vineae, quae Juri Montano obnoxiae sunt, quoad quantitatem hujus ad extensionem illarum approportionandam; silvae item quoad quantitatem lignorum tam focalium, quam aedilium, habita et illarum conservationis, et Colonorum necessitatis ratione, emetiendam; et tandem cum his fere nexa Pascua, aeque pro ratione circumstantiarum loci, incolarumque conditionis determinata mensura definienda.

CAPUT I.

DE RECTIFICATIONE URBARIALI.

§ 18.

De Fundamento Rectificationis Urbarialis.

Rectificatio Sessionalis Constitutivi, et correlatarum ei obligationum colonicalium fundamentum suum habet in ipsa Regulatione Urbariali primaeva, quae quantitatem Constitutivi Sessionalis secundum mensuram geometricam determinat. At cum in Regulatione hac quantitas determinata communiter non per geometricam fundorum dimensionem erueretur, nec erui posset facile, nisi Regulatio ipsa multum omnino retardaretur, et sic certitudo quoque, ac stabilitas status colonicalis nimium quantum contra altis-

simam intentionem differretur; hinc ut una ex parte et ipsa Regulatio acceleretur, et alia ex parte aequabilitas praestationum colonicalium relate ad quantitatem Constitutivi sessionalis ubique obtineatur: quantitas fundorum sessionalium occasione primaevae Regulationis Urbarialis fere tantum secundum Revelationem Colonorum concernentium determinabatur quidem; verum quia haec determinatio minus adaequata esset, Sua Majestas subsequam correctionem seu Rectificationem errorum in primaeva hac Constitutivorum sessionalium ejectatione intervenientium admisit. a) Ita enim Instructio Exequent. Mag. Cap. 30-o „Declarabunt praeterea „Dominis terrestribus eorundemque „dominalibus Officialibus, ac ipsis „etiam Subditis, ut si penes fundo„rum revelationem per horum sessi„onalem excisionem fors error ali„quis intercessisset, et hunc una vel „alia pars per geometricam dimen„sionem reipsa evenisse suo loco re„monsraret, tunc non obstante hac „prima fundorum sessionalium exci„sione parti laesae talis erroris ju„sta compensatio semper in salvo ma„nebit." Ex quo manifeste sequitur, 1-o quod tam Dominis terrestribus, quam et Subditis ad Rectificationem procedendi facultas data sit, sive Urbarium seu Contractus (perpetuus, vel temporaneus) inter ipsos normam jurium et obligationum ponat; lex enim non distinguit. (exempli gratia vide Res. Reg. in Rectificatione urbariali Communitatis Sz. Kozma Domján 1-a 7-bris 1818 Nro 24248 Com. Zalad. intimatam) 2-o quod Rectificatio tantum ad fundos urbariales non vero industriales aut secus praestationibus

urbarialibus non obnoxios se extendat. Quod etiam Resolutio Regia 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 Com. Zagrab. intimata innuit, in specie relate ad fundos censualisticos, juri montano obnoxios, nec non aere in perpetuum comparatos; praecipiens una, ut non tantum fundi illi a praestationibus urbarialibus et Regulatione urbariali eximantur, sed etiam hae tanquam incompetenter desumtae injuriam passis una cum interusurio refundantur. Idem quoque est intelligendum de exstirpaturis, nisi ante suo modo reluantur, ductu ejusdem Resolutionis, et aliarum quoque in merito hoc elargitarum.

a) Nihilominus si post Regulationem Urbarialem primaevam novi quidam Coloni accessissent, et fundis dotati fuissent per Dominum terrestrem; ad hos quoque Rectificatio urbarialis se extendit.

§ 19.

De Actibus, quibus Rectificatio Urbarialis absolvitur, in genere.

Praxis Rectificationis hujus his praecipue actibus absolvitur:

1-o Dimensione geometrica status antiqui Constitutivorum sessionalium, et Classificatione Diverticulorum.

2-o Confectione Mappae, et Libri fundualis super Statu antiquo et eorundem autenticatione.

3-o Excisione nova geometrica Constitutivorum urbarialium secundum praeviam adumbrationem (projectum) Geometrae.

4-o Confectione Mappae et Libri fundualis super statu novo seu rectificato Constitutivorum urbarialium, et reliquorum instrumentorum necessariorum.

§ 20.

De Dimensione Geometrica Status antiqui Fundorum sessionalium.

Ut error, qui in primaeva Regulatione Urbariali in indictata quantitate fundorum intervenit, resciri, et ipsa Rectificatio cum fundamento institui valeat, ante omnia Dimensio geometrica Constitutivorum sessionalium loci rectificandi suscipienda est. a) Dimensio haec pro usu, et consvetudine in hoc vel illo Comitatu vigente, vel in Sede Dominali per latam in Processu summario rectificatorio sententiam determinatur, vel absque Sede Dominali, et suscitato praevie Processu ad suscipiendam Rectificationem occipitur; cum utique tam Dominis terrestribus, quam et Colonis Rectificationis successu temporis instituendae facultas, concessa sit (Instr. Ex. Mag. Cap. 30.) Suscipitur autem Dimensio vel ita, ut cujuscunque Subditi fundus intravillanus, et appertinentiae singillatim (in individuo) vel circumstantiis localibus, et consvetudine ita exigentibus, constitutivorum sessionalium simul sumtorum, absque Dimensione singulorum constituvorum, perimetra tantum assumantur. b)

In Dimensione hac omnis generis lineae metales, prout etiam viae, alluviones, fossae, fluvii, scaturigines, lacus, paludes, dumeta, colles, montes, et horum latera, aliaque similia objecta secundum situm suum accurate designentur, ut in excisione tenutorum sessionalium ad haec accurate reflecti valeat.

Praedia peculiarem attentionem Geometrae deposcunt. Sive autem incorporata, seu non in-

corporata sint, seu in his Coloni terras sessionales possideant, seu non, accurate semper dimetienda sunt.

Relate vero ad Geometras pro instituendis Dimensionibus urbarialibus adhibendos sequentes notari debent Resolutiones Regiae:

a) Ad quaestionem, num Geometrae pro omni distincto Dimensionis casu adjurandi sint, vel semel depositum per ipsos juramentum pro omnibus operationum casibus deserviat? 1774 24-a Martii Nro 1392 universis Comitatibus intimatum: ut Comitatuum Geometrae ad sensum dispositionum regiarum immediate coram Comitatu, in quo munere suo funguntur, juramentum deponere, ab eoque Testimoniales excipere teneantur, suo tempore producendas.

b) Observato eo, quod Geometrae non per se verum Practicantes suos peractas Dimensiones subscripserint, quin aliunde erui posset, quod talismodi Dimensionum realitatem prius cognovissent; ad praecavendas confusiones Resolutio Regia ddto 28-ae Januarii 1780 Nro 6329 pro futuro eos eo inviari jussit, ut omnes geometricas Dimensiones per Practicantes suos institutas ipsi, velut pro ejusmodi operationibus adjurati in facie locorum combinent, corrigenda cum respectivis Magistratualibus corrigant, ac in quantum Subditi damnificati fuissent, calculo arithmetico eruant, hique eatenus indemnes reddantur.

c) Resolutio Regia ddto 27-ae Februarii 1784 Nro 1846 Comitatui Sirmiensi 1-a Aprilis Nro 7006 intimata, Dimensiones etiam privatos et dominales Geometras solito juramento obstrictos, dummodo operationes ipsorum praescripta modalitate autenticentur, peragere posse innuit.

a) Quamvis vero tantum Constitutiva Sessionalia objectum Rectificationis urbarialis constituant, tamen etiam fundi Inquilinorum et Subinquilinorum ac Communitatis dimensurandi sunt, ut quantitas eorum determinate innotescat.
b) Haec posterior methodus multum operationes geometricas, ipsamque Rectificationem accelerat. Ita rectificata sunt Dominia Principatus Eszterházyani. Vide Brechter Urbarial Regulation, oder Richtschnur für Ingenieurs. Eisenstadt 1804. Quaecunque vero methodus Dimensionis adhibeatur, haec accurate omnino fieri debet; secus enim, si occasione autenticationis approbationem non tulerit, denuo instituenda erit. Sic Resolutio Regia relate ad primaevam Regulationem Comitatus Zagrabiensis 27-a 9-bris 1780 Nro 7145 eidem Comitatui intimata praecipit, ut Dimensiones per Geometram Comitatus cum Magistratualibus exmittendum pro erroneis comperiendae intra trimestre spatium per Dominum terrestrem corrigi curentur ita, ut elapso hoc spatio ille adaequatam Dimensionem producere teneatur, secundum quam, secus vero, si non produceret, secundum revelationem Colonorum Tabellae urbariales in 4 exemplaribus pro cynosura Dominorum terrestrium et Colonorum elaborentur.

§ 21.

De Classificatione Diverticulorum.

Territorium Loci cujusvis solet in plures, vel pauciores divisum esse plagas majores, quae secundum situm naturalibus metis a se invicem distinctae sunt, et communiter Diverticula (Düllő) nominari solent. In his appertinentiae Colonorum sitae sunt. Quia vero Diverticula haec non ejusdem sunt quoad glebam fertilitatis, hinc utique ne justitia distributiva laedatur, id quod in qualitate decedit fundis in certo diverticulo sitis relate ad fundos in aliis diverticulis adja-

centes, in quantitate compensari debet. Ut autem compensatio, quantum fieri potest, adaequata locum habeat, Classificatio Diverticulorum inducta fuit. Est vero haec Classificatio duplex, videlicet *a*) quoad agros, et *b*) quoad prata urbarialia. a)

a) Agrorum quantitas ad certam sessionem obveniens Jugeribus mensuratur; Jugerorum vero quantitas orgiis quadratis. Numerus orgiarum quadratarum dependet a qualitate glebae; qualitas vero glebae territorii cujuspiam 3 classes defixas habet, et pro ratione harum, numerus quoque orgiarum Jugerum constituentium se habet, ita ut in prima classe 1100, in secunda 1200, in tertia 1300 orgiae quadratae pro uno Jugero assumantur. b) Territorium secundum Diverticula sua ita classificare erat Magistratualium Exequentium, occasione videlicet Regulationis Urbarialis primaevae, et quidem in Examine 9 Punctorum interrogatoriorum, in specie ad punctum 5-um, ex fassionibus Colonorum pro hoc actu adjuratorum diversitatem glebae quoad Diverticula generatim, in Conscriptione vero urbariali relate ad agros singulorum Colonorum qualitatem glebae in specie adnotare oportebat. 1) Imo Exequentes Magistratuales Classificationem hanc Diverticulorum in Relationibus etiam executionalibus inserere jubebantur, „etiamsi terrae occasione Regulationis mensuratae non fuissent," ut hac ratione successu temporis occasione suscipiendae geometricae Territorii cujuspiam Dimensionis, „Geometra fundamento praeallatae Exe-

1) Instr. Com. Reg. § 34. Inst. Ex. Mag. C. I. § 3. C. II. § 9.

„cutionalis Relationis dimensurati-
„onem instituere sciat" 2) Si igitur Classificatio glebae in conformitate Instructionis sibi datae per Exequentes Magistratuales peracta, et Testimonialibus super Executione inserta est, Geometra dimensurans in Rectificatione illi se in calculo jugerorum accommodare debet; si vero, quod plerumque accidisse videtur, haec Classificatio occasione Regulationis Urbarialis neglecta fuisset, dum Rectificatio instituitur, suo modo praemittenda erit. – Et quidem si Processu mediante ad inducendam Rectificationem agatur, Classificatio haec una cum Dimensione erga petitum Fisci Dominalis per sententiam decernitur, et vi ejus per coassidens Legale Testimonium in praesentia Fisci assistentis, convocatis possessionis rectificandae incolis, item vicinis, et commetaneis in facie loci peragitur, ita, ut convocati incolae et vicini prius adjurati de Qualitate glebae in quovis Diverticulo, in quo agri sessionales Colonorum adjacent, interrogentur, et secundum responsa illorum dein ipsa Classificatio instituatur. c) – Si autem Rectificatio absque praevio Processu suscipiatur, tunc erga recursum Terrestris Domini ad Comitatum porrectum exmissi, vel vero, pro usu videlicet in hoc vel illo Comitatu vigente, privatе per Dominum terrestrem requisiti Judex Nobilium, et Jurassor coram Convocatis et Fisco Magistratuali Colonis assistente Classificationem peragunt. – Semper vero Testimoniales per classificantes Magistratuales super hoc actu edi debent, quae dedein operanti Geometrae pro congruo usu extradantur, et etiam in Processu pro Documen-

2) Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 31. Instr. Com Reg. § 34.

to rite instituti relate ad jugera calculi producuntur.

b) Pratorum quantitas mensuratur per Falcastra unius currus foeni feracia. Verum Falcastra haec occasione Regulationis Urbarialis primaevae mensura geometrica orgiarum quadratarum non determinabantur, sed solummodo judicio oculorum prudenti Exequentium Magistratualium absque ulla mensura secundum quantitatem graminis ad singulas sessiones exscindebantur. 3) Imo Resolutio Regia de 30-a Decembris 1771 Nro 6448 13-a Jan. 1772 Nro 183 Comitatui Hontensi intimata expresse praecipit, ut a mensuratione pratorum abstrahatur, nisi fiat in adjustationem agrorum. Nihilominus a tempore introductae Regulationis Urbarialis in quibusdam Comitatibus, uti Simeghiensi, Castriferrei, Soproniensi, Nitriensi, ac aliis, Falcastrum ad mensuram geometricam reducebatur, ita, ut communiter Falcastrum prati fertilis semper bis falcabilis ad 800, prati minus fertilis, et nonnunquam tantum cordiferi Falcastrum a 900, demum Falcastrum prati minime fertilis, et nunquam cordum producentis a 1000 orgiis quadratis computaretur, prout id v. g. in Regulationibus et respective Rectificationibus urbarialibus Dominii Ikervár, Dominiorum item Comitum Szécsényi, et Hunyady, Comitatibus Soproniensi et Simeghiensi adjacentium, nova etiam Regulatione Possessionis Nagy Belitz in Comitatu Nitriensi sita, alibique factum est, Determinationibus Sedium re-

3) Urb. puncti I. § 3. Instr. Ex. Mag. C. V. § 22. Punct. Suppl. 1-um Resolutio Regia de 23-a Julii 1773 Nro 3578 29-a Julii e. a. Comitatui Gömöriensi et respective operanti in eodem Commissario Regio intimata.

spectivarum dominalium per Sedrias, et Consilium R. L. approbatis. Circa hanc rem Resolutio Regia de 17-a Decembris 1779 Nro loc. 5995 in Processu urbariali Possessionis Sövényháza Comitatus Jaurinensis ita se exprimit: „Cum quoad prata numerus orgiarum, qui pro singulo curru foeni „exscindi debet, defixus non sit, „nec generaliter aliquid defigi valeat, eo quod pro ratione situs et „fertilitatis terreni jam majorem, „jam vero minorem extensionem „capacitas unius currus foeni exigat, ac reipsa id spectari oporteat, num Prata Colonis assignata „tot curruum foeni capacia sint, „quot ipsis juxta competentiam sessionum Dominium assignare constituit; ideo in Dimensione Pratorum, „designatae pro uno falcastro 800 „orgiae ea ratione locum obtineant, „Colonisque regulam ponant, si singulum Pratum in extensione 800 „orgiarum computatum unum etiam „foeni currum reddat, atque ex hac „orgiarum numeratione, Pratorumque Dimensione Coloni tot, quot eis „competunt, currus foeni obtineant, casum in contrarium enim „peracta Dimensione Pratorum pro „regula assumi nequeunte, haec ea „quantitate rusticis exassignanda „venient, quae illis tot currus foeni „reddant, quot ipsis e praescripto „Urbarii competunt.“ Idem principium etiam Resolutio Regia in Processu Urbariali Csébiensium (in Comitatu Bacsiensi) anno 1815

Nro 7140 interveniens tenet, videlicet, ut peracta oculari in facie loci revisione, probisque necessariis hac occasione institutis, competentia Pratorum illo numero quadratarum orgiarum exscindatur, qui in sensu Urbarii capacitatem unius Falcastri constituit. Hinc ergo sequitur, quod dum Rectificatio instituitur, etiam Prata secundum quantitatem graminis classificari debeant, ut excisio in orgiis quadratis debite fieri valeat. – Classificatio autem haec per Testimonium Legale aeque in praesentia Fisci Magistratualis coram convocatis loci rectificandi incolis, et vicinis prius adjuratis instituitur ita, ut in singulis Diverticulis ad complura Pratorum frusta, quantitatem unius currus per annum commode proferentia promiscue designanda provocentur incolae et vicini, eaque per Geometram Comitatus dimensurentur, ex numeris vero orgiarum frustorum mensuratorum dein medius proportionalis eruatur rotundus. Ex comperto numero medio proportionali tenatorum horum frustorum in Diverticulo quodam sitorum, totum Diverticulum mensuram accipit quoad numerum orgiarum quadratarum, unum Falcastrum constituentium. Communiter et hic tres classes assumuntur, ad quas cuncta in Territorio rectificandae Possessionis sita Diverticula dispescuntur, ita, ut parum discrepantes numeri orgiarum quadratarum in diversis Diverticulis Falcastrum ejusdem Classis constituentes in unum coalescant paulo nempe majorem. d) Numerus Falcastrorum, per respectivum Urbarium defixus Rectificatione hac mutari non potest. Caeterum factae sunt, fiuntque Rectificationes, in quibus Prata non regulantur (Prata enim stricte regulantur, non re-

ctificantur,) sed in statu per Regulationem primaevam urbarialem defixo relinquuntur, vel saltim Falcastra iterum secundum oculorum judicium observato numero eorundem in Urbario concernenti statuto exscinduntur. Caeterum ut Urbario et Instructionibus, ac respective prioribus Resolutionibus simul satisfiat, quantitas Pratorum non in orgiis quadratis, excepto casu, quo haec in adjustationem fundi intravillani, vel agrorum assignarentur, nec in Curribus, sed in Falcastris exponantur in Libris Fundualibus, et Tabellis Urbarialibus. Testimonium (Testimoniales – Relatoriae) de peracta hac Classificatione iisdem Litteris, quae de Classificatione agrorum sonant, per Testimonium Legale, nonnunquam etiam per Geometram Comitatus subscriptis comprehenditur. Forma conceptus Litterarnm harum exhibetur duplex: sub A, et A Nro 1. In illa Classificatio quoque Pratorum quoad orgias quadratas, in hoc tantum quoad Agros, Pratis in priori statu relictis occurrit. e)

a) Stricte sumendo, Classificatio Diverticulorum seu Qualitatis glebae tantum quoad agros locum habet, ut secundum eam qualitas deterior quantitate majori compensetur. Prata vero secundum Qualitatem graminis non classificantur, sed tantandum secundum quantitatem ejusdem, ut videlicet numerus orgiarum quadratarum determinari possit, qui quantitatem unius currus foeni in diversis loci alicujus Diverticulis proferat. Praxis tamen has duas ideas distinctas conjungit, quam ego hic secutus sum. Respectus Qualitatis Pratorum ad excisionem pertinet, quam Geometra peragit. Hic illius rationem omnino habere debet. (vide § 25.)

b) Neque tamen omne territorium 3 has classes simul complectitur, sed saepe pro ratione situs, et qualitatis glebae Diverticulorum jam unam

tantum, jam duas, et quidem primam, et secundam, primam et tertiam, vel secundam et tertiam, jam etiam omnes tres. Hoc ideo noto; quia multos in hoc puncto malam hujus Classificationis ideam habere expertus sum.

c) In regula quidem Diverticulum quodvis quoad Qualitatem glebae unius ejusdem que classis judicatur, nonnunquam tamen in Diverticulis majoris extensionis duae classes, imo tres etiam quoad glebae Qualitatem assumuntur.

d) V. g. si in Diverticulo A medius proportionalis numerus orgiarum unum Falcastrum 1-ae Classis constituentium esset 790 in Diverticulo vero B 800 in Diverticulo tandem D 780 in omnibus tribus Diverticulis Falcastrum 1-ae Classis ab 800 orgiis assumendum foret.

) Si in Territorio Possessionis rectificandae Agri et Prata exstirpatitia occurrant una fidelia reluenda, quae Classificatio relate ad numerum orgiarum quadratarum unum Jugerum, et Falcastrum constituentium in Agris, et Pratis sessionalibus assumta est, ad exstirpatitia quoque extenditur, et ita dein Jugera et Falcastra in Conscriptione Exstirpaturarum computantur.

§ 22.

De Confectione Mappae et Libri Fundualis Urbarialis super statu antiquo.

Possessione rectificanda dimensa, de illa Mappa skiagraphica (Brouillon) a Geometra dimetiente confieri, et confecta munde exarari (purisari) debet, una vero etiam, si dimensio individualis sit, Liber fundualis Possessionis dimensae per eundem parari.

In Mappis generatim sive skiagraphicis, sive munde exaratis (purisatis) Conspectus Tenutorum summarius, (hic tamen non absolute necessarius) Orientatio, Vicinitates, Scala secundum quam Geometra laboravit, Datum paratae mappae, et Nomen operantis Geometrae accurate notentur.

Liber autem fundualis a) duplex parari solet. Unus complectitur in se Fundos Intravillanos, et Appertinentias urbariales, qui utpote objectum Rectificationis et respective Dimensionis constituunt, et ideo Urbarialis vocari potest. Hic in Processu rectificatorio produci debet, ad remonstrandam etiam necessitatem Rectificationis. Alter vero in se continet omnis generis Tenuta: colonicalia, dominalia, parochialia, extraserialistica, contributioni subjecta, et non subjecta, item omnis generis fundos et plagas, agros, prata, in specie exstirpatitia, silvas, dumeta, nemora, paludes, et si qui sunt alii sub peculiari nomenclatione venientes fundi et plagae. – Hic Liber in Processu rectificatorio non producitur, sed deservit solummodo pro usibus Dominii. De ejus oeconomia interna agitur § 24; prioris vero hic absolvitur.

Liber fundualis urbarialis absolvitur communiter 6 rubricis. (Vide formam sub B)

1-a rubrica Numerum continet, et quidem in 1-a sua subdivisione domalem, in 2-a vero topographicum.

Numerus domus, seu domalis, est ille numerus, quem domus quaevis seu fundus intravillanus in serie, b) secundum quam Geometra Constitutiva intravillana assumit, sortitur, quo numero etiam in Mappa pura quaevis domus, seu fundus intravillanus tam dominalis, quam colonicalis, aut alius quiscunque (in assumtione videlicet generali) signari solet, plerumque colore nigro.

Numero hoc dein notantur etiam omnes, et singuli fundi extravillani ad certum fundum intravillanum spectantes, in quocunque diverticulo adjaceant, ita v. g. ut si numerus domalis esset unitas, unitas haec in omnibus frustis

pratorum, et agrorum in diversis diverticulis sitis, et ad fundum illum intravillanum unitate notatum pertinentibus occurrat.

Numerus vero topographicus est ille, quem quivis fundus Possessionis rectificandae seu intravillanus, seu extravillanus, seu dominalis seu colonicalis, aut alterius cujuscunque, plaga item quaecunque distincta, (si videlicet omnia Tenuta assumantur) in serie illa, secundum quam Geometra diverticula, et respective fundos individuos, in singulis diverticulis adumbrat, sortitur, quo numero plerumque rubro colore scripto, singuli fundi et plagae in Mappa designantur.

Hinc ergo patet, quod fundi intravillani omnes duos sortiantur numeros, dorsalem, et topographicum, fundi vero extravillani tantum illi, qui fundis intravillanis correspondent.

2-a rubrica inscribitur: Nomina Diverticulorum, sive plagarum majorum natura ipsa quadamtenus a se invicem distinctarum, quibus territorium alicujus Possessionis absolvitur. Cum appertinentiae Colonorum in diverticulis his sitae sint, horum nomina accurate semper notanda sunt.

3-a rubrica inscriptionem habet: Classis Glebae, vel Classis Terrae Qualitatis. c) Cum in diversis diverticulis diversa esse possit qualitas glebae agrorum, et quantitas graminis pratorum ad unum falcastrum requisita, secundum hanc vero diversitatem mensura quoque jugerorum in agris, et falcastrorum in pratis variet, Classis quoad singulum frustum agri vel prati designari debet.

4-a rubrica Dimensio inscripta, habet duas subdivisiones, nempe *a)* Latitudo. *b)* Longitudo. – Latitudo vero triplex notatur: una,

alia, et media. Quae distinctio pro fundis illis deservit, qui non sunt aequaliter lati, in quibus maxima, et minima latitudo geometrice assumitur, media vero calculo arithmetico eruitur. Si latitudo sit ubique aequalis, mensura ejusdem in omnibus tribus columnis pro designanda latitudine deservientibus exponitur. – Longitudo una tantum exponitur media videlicet. – Si vero fundus aliquis pluribus vel paucioribus, quam 4 lateribus, (inaequalibus utique fere semper) absolveretur, cum dimensio in longum et latum locum habere non possit, rubrica haec vacua manet, vel absolvitur his verbis: f i g u r a i r r e g u l a r i s. (Expressio non satis adaequata). – Dimensio instituitur in orgiis 6 pedum Viennensium.

5-a rubrica titulum habet: O r g i a e q u a d r a t a e, quae exurgunt ex latitudine m e d i a ducta in longitudinem fundorum.

6-a rubrica notatur: T e n u t a, habetque duas subdivisiones: *A)* Fundi Urbariales. *B)* Exstirpaturae. Subdivisio *A* in 3 inferioris ordinis abit: *a)* fundi intravillani, *b)* agri, *c)* prata, et quidem *a)* et *b)* in jugeris, *c)* vero in falcastris. Subdivisio vero B in duas subalternas dispescitur; *a)* agri, *b)* prata, et quidem utraque in jugeris, quia Exstirpaturae juxta jugera aestimari, et classificari praecipiuntur juxta Normalem Resolutionem de 22-a Aprilis 1771 Nro 2179. Interim et occasione primaevae Regulationis Urbarialis, et etiam nunc in Conscriptionibus Exstirpaturarum, quantitas pratorum in falcastris exponitur, quae tamen in aestimatione qua jugera considerantur. d) – Ad hanc rubricam secundum dictam mensuram cum fundo intravillano agri et prata ad Colonum certum spectantia tam sessionalia, quam exstir-

patitia singillatim inferenda sunt. Quot orgiae quadratae pro jugero, et respective falcastro computari debeant, Classificatio Diverticulorum monstrat. Orgiae vero quadratae jugerum, et respective falcastrum non adaequantes penes jugera, et falcastra per modum fractionis exprimuntur, ita tamen, ut una octava (jugeri vel falcastri) minor fractio haud exponatur.

Secundum has rubricas Constitutiva singulorum Colonorum sessionatorum exponuntur; Nomina, et Cognomina illorum, prout et Qualitas Sessionis, in fronte ante cujusque respectivi Constitutivi conscriptionem apponenda sunt; facilioris Libri Fundualis cum Tabella respectiva urbariali combinationis ergo, etiam Nomina Colonorum, et Qualitas Sessionis secundum antiquam Tabellam urbarialem modo in forma Libri Fundualis sub A Nro 1 occurrente exponuntur. – Colonos sessionatos excipiunt Inquilini domiciliati, quorum fundi intravillani, et appertinentiae, si quas habent, dicto modo aeque exponendae sunt. Subinquilini fundis destituti non sunt objectum Rectificationis, adeoque in Libro funduali non comparent, verum post Inquilinos domiciliatos sequuntur Fundi Communitatis, et his terminatur Liber Fundualis. e) Adnectitur ei pro faciliori combinatione Recapitulatio seu Summarius Extractus, cujus rubricae ex praecedentibus per se clarae sunt. In prima pagina tandem Libri Fundualis inscribendum: Possessionis hujus territorium, quemadmodum ejus anno 1766 extradatum Urbarium testatur, relate ad Classificationem Locorum ad 2-am Classem relatum est, secundum quam ad singulas integras sessiones 20 jugera agrorum, et 6

falcastra pratorum (in Comitatu Zaladiensi) numerantur. Haec inscriptio secundum circumstantias locales modificanda est. Deservit autem eo, ut sciatur Competentia urbarialis cujusque Coloni reflexe ad qualitatem sessionis per ipsum possessae, quae Competentia etiam ad singulorum Colonorum sessionatorum Constitutiva exponi solet, modo in forma Libri fundualis sub B et Nro 1 exhibita f) indicato. Caeterum in concinnando hoc Libro Funduali ea notanda sunt Geometrae, quae in Conscriptione primaeva Urbariali Exequentibus Magistratualibus notanda erant. (Vide § 6 hujus Partis.)

a) Liber Fundualis solet alias etiam Conscriptio Geometrica vel Fundualis appellari, probe a Conscriptione primaeva urbariali distinguenda.

b) Pro faciliori combinatione juvat sequi seriem in Conscriptione, et Assumtione geometrica eandem, quam Tabella Urbarialis primaeva loci rectificandi exhibet.

c) Ita communiter haec rubrica inscribitur quidem, sed minus recte ex ratione in nota a) ad §-phum 20-um adducta, si videlicet Prata quoque ad mensuram geometricam occasione Rectificationis exigantur, seu regulentur. In hoc casu rubrica haec melius inscriberetur: Classis Agrorum et Pratorum, vel Classis Appertinentiarum, vel Fundorum Extravillanorum.

d) Haec subdivisio tantum tunc in Libro Funduali locum habere potest, si Conscriptio Exstirpaturarum secundum circumstantias locales non plures exigat rubricas, quam quae in illo communiter occurrunt, secus melius peculiaris earum Conscriptio instituetur.

e) Si post Regulationem Urbarialem primaevam Coloni quidam novi accessissent, hi quoque cum suis fundis in Libro Funduali comparere debent. Et quidem optimo loco comparebunt post Colonos antiquos, ne videlicet ordo Tabellae ur-

barialis antiquae turbetur secus, et Combinatio inter Tabellam hanc et Librum Fundualem difficilis reddatur.

f) Liber hic fundualis ab illo sub B in eo differt, quoad dimensio in longum et latum absit, et tantum superficiei exponatur, quod utique ad essentiam rei nihil confert; in Recapitulatione vero, seu Extractu Summario Conspectus Defectuum, et Supernatantiarum adornatus habeatur, qui si adsit, utique peculiaris Conspectus Defectuum, et Supernatantiarum amplius non requiritur, secus conficiendus per operantem Geometram, juxta Formam sub B Nro 2, confectus vero et subscriptus quoque collatione cum Tabella urbariali ac Libro Funduali per Legale Testimonium, et Geometram Comitatus autenticandus, hac verborum forma: „Praesentem „Conspectum cum Tabella Urbariali, et Libro Funduali per nos collatum, iisdem conformem esse deprehendimus.“ Sig. etc. etc. sequitur subscriptio autenticantium appressis sigillis. Utra igitur forma Libri Fundualis placet adoptari potest. Rubricae vacuae in hac forma (sub B et Nro 1) pro Exstirpaturis conscribendis deserviunt.

§ 23.

De Autenticatione Libri Fundualis et Mappae super statu antiquo.

Liber Fundualis hac ratione confectus, et munde descriptus, ac per Geometram concernentem subscriptus, autenticandus est. a) Autenticatio haec vel per Sedem Dominalem erga petitum Fisci Dominalis sententia (mediante) determinatur, si videlicet Processus ad inducendam Rectificationem praevie institutus habeatur, quo casu in consequentiam Sententiae coassidens in Sede Dominali Testimonium Legale, assistens item in eadem Colonis Fiscus Magi-

stratualis ad faciem loci excundo, in praesentia illorum suo modo per Dominum terrestrem requisitus Geometra Comitatensis fundos Colonorum id desiderantium remetiri, et quantitatem eorum recalculare debet, et si instituta remensio et recalculatio conveniat cum expositione Libri fundualis, hic pro autentico, qui quoad dimensionem et calculum probam in jure praestet, reputatur; secus vero rejicitur, et dimensio nova accuratior institui jubetur. (Vide notam a) ad § 20-um hujus Partis provocatam.) Si prata non emetiantur secundum orgias quadratas, sed in statu quo relinquantur, falcastrorum quantitas in Libro Funduali exposita per aestimationem vicinorum prius adjuratorum autenticatur. (Vide C et Nro 1-o). De hac autenticatione testimonium in fine Libri Fundualis subnectitur, quod subscriptione, et sigillis Legalis Testimonii, ac Geometrae Comitatensis roboratur, et his sigillis zonae officiosae, quae per Libri Fundualis cunctas paginas traducitur, ambo fines apprimuntur, ut ita Liber adversus omnes alterationes tutus reddatur. – Vel vero si Rectificatio, et respective dimensio absque praevio processu eatenus suscitato suscepta fuit, tunc pro ratione usus, et consvetudinis diversae in diversis Comitatibus vigentis, aut erga recursum Domini terrestris Universitas Comitatus Legale Testimonium cum Geometra Comitatensi exmittit, aut hi erga privatam Domini terrestris requisitionem in facie loci comparent, et autenticationem ratione praeexposita perficiunt. Libri Fundualis autenticatione peracta, Mappa quoque, statum Tenutorum colonicalium adumbrans, (per privatum, vel dominalem Geometram confecta) autenticanda est per Testimonium Legale, et Geometram Co-

mitatus, recognitione videlicet illa in fine ejus adjicienda, quod Libro Funduali praevie jam autenticato omnino conformis sit. Formam autenticationis Libri Fundualis vide sub C, illam vero Mappae sub D. b) Una fidelis etiam autenticatio Dimensionis et Calculi quantitatis Exstirpaturarum peragitur, secundum Librum Fundualem, si in illo contineatur, secus vero secundum Conscriptionem Exstirpaturarum peculiarem, et recognitio ejus pariter in fine adjicitur. Solet praeterea autenticatio Libri Fundualis, Mappae, et Conscriptionis Exstirpaturarum simul peculiaribus etiam Testimonialibus (Relatoriis) comprehendi, et quidem ideo, quia pro usu Comitatuum quorumdam Processus originalis rectificatorius terminatus ad Archivum Comitatus reponitur, Liber vero Fundualis status antiqui una cum Mappa nefors producta concernenti Dominio restituitur; necesse est igitur ad integritatem actorum saltim Testimonio – Relatorias de peracta eorundem autenticatione adesse. Forma harum Testimonio – Relatoriarum exhibetur sub C et Nro 1.

a) Ante in quibusdam Comitatibus autenticatio haec locum non habuit; sed juxta recentiores Resolutiones Regias generatim requiritur.

b) In praxi autenticatio Libri Fundualis et Mappae uno eodemque tempore instituitur, ita videlicet, ut quorum fundorum quantitas catena in terra remensuratur, illorum quoque in Mappa secundum adnexam scalam circino remensuratio instituatur, et ita utraque ad semel autenticentur. Haec vero autenticatio eo majori cum diligentia et accuratia instituenda est, quo certius est, dimensionem geometricam totius Rectificationis fundamentum constituere.

§ 24.

De Confectione Libri Fundualis status antiqui omnis generis Tenuta in se complectentis.

Liber Fundualis omnis generis Tenuta complectens in 3 partes dividitur: primam partem constituit Liber fundualis Tenuta Colonorum in se complectens, per extensum secundum suas rubricas supra expositas una cum inscriptione pagina 1-a contenta, huc translatus. Pars 2-a complectitur in se Fundos Communitatis, a) Ecclesiae, Parochi, Ludirectoris, et Extraserialistarum hac serie se excipientes. Rubricae hujus Partis sunt fere eaedem, quae primae, excepta ultima rubrica: Tenuta, quae hic 5 subdivisiones continet: *a)* fundi intravillani, *b)* agri, *c)* prata, *d)* silvae, *e)* commune pascuum. Ultimae duae subdivisiones Communitatem praeprimis respiciunt. Pars 3-a complectitur fundos dominales stricte tales, seu allodiales. His omnibus subjungitur Recapitulatio seu Summarius Extractus. Rubricae tam partis 3-ae quam Recapitulationis ex prioribus intelligi facili negotio possunt.

Autenticatio hujus Libri utique necessaria non est. Cum vero ejus prima pars congruat cum Libro Fuuduali priori, reliquae non discrepent a parte 2-a et 3-a Libri Fundualis status novi; nolui formam ejus sine necessitate, et utilitate omni bis producere, exhibui igitur tantum formam hujus Libri super statu novo sub F.

a) Communitatis fundi stricte ad partem 2-am pertinent, et hic tantum propter rubricarum compendium ad secundam translati sunt.

§ 25.

De Nova Excisione Fundorum Urbarialium.

Peracta Classificatione, et Dimensione, confectoque Libro Funduali urbariali in Comitatibus, ubi Rectificatio absque determinatione Sedis Dominalis praevia instituitur, manus Excisioni novae Constitutivorum sessionalium admovetur; ubi vero Rectificationes sententia Sedis dominalis decernuntur, saepe nonnisi post revisionem Processus per Dicasteria altiora eadem suscipi potest.

Pro ratione vero circumstantiarum localium Excisio vel ita instituitur, ut Tenuta urbarialia omnia in unum coadunentur, (commassentur) sublatis metis eadem ab invicem prius distinguentibus, et ita dein secundum competentiam fundi urbariales cuique Colono exscindantur, et assignentur, vel vero sine commassatione praevia perficitur. Est enim finis Rectificationis Urbarialis alter, ut tam Tenuta dominalia, quam et colonicalia (subditalia) in majora corpora unum vel plura concentrentur, itaque cultura eorundem facilitetur, minorique temporis, et virium jactura perficiatur. Si igitur concentratio haec sine commassatione Tenutorum colonicalium obtineri non possit, haec omnino prius suscipienda, et ita Excisio dein instituenda erit. In hac vero commassatione et concentratione praeprimis Colonorum respectus habendus est in eo, ut ipsis fundi in diverticulis ad intravillana proximioribus assignentur, in Tenutorumque colonicalium permutatione cum dominalibus fundi accepti datis quantitate, qualitate, et fructuositate respondeant, meliorationes

vero fundorum (per limitationem eorundem,) refundantur respectivis possessoribus prioribus. (Res. Reg. 22-a Junii Nro 2877 Comitatui Castriferrei intimata. Vide etiam Resolutionem Consilii R. L. in Causa urbariali Dominii Répcze Sz. György 8-a Juny 1802 Nro 10598 intimatam.) Porro in nova inter Colonos fundorum distributione ratio justitiae distributivae praeprimis habenda, ita ut singulis secundum qualitatem sessionis agri ex cujusvis classis gleba, prata vero ex quavis qualitate obveniant, in quantum fieri potest, et ita aequalitas proportionalis inter ipsos inducatur. Situs quoque fundorum licet ejusdem glebae coosiderationem subit, et ideo attentionem quoque Geometrae excindentis evadere haud debet. a) – Si vero finis Rectificationis alter supra memoratus, etiam sine commassatione, adeoque Tenutis Colonorum in statu (saltim maximam partem) priori relictis obtineri possit; Excisio quoque secundum illum peragenda erit.

Geometra operans praevie Ideam (projectum) Excisionis hujus adumbrare, et in conformitate ejus in Mappa pura de statu antiquo confecta plagam pro Constitutivis urbarialibus deservientem ab illa Dominium concernente distinguere solet. Principia autem hujus Projecti sicut et ipsius Excisionis per ipsum peragendae sunt fere haec:

1-o) Tenuta dominalia ab urbarialibus, quantum fieri potest, ita separanda sunt, ut tam quoad pascuum, quam quoad fundorum culturam nec Dominium, nec Subditi quaqua ratione impediantur.

2) Tenuta urbarialia in silvis, vel prope ad illas non exscindantur, ut subditi ab ulterioribus exstirpationibus, et occupationibus prae-

pediantur; si tamen id evitari non posset, minores anguli metales ad lineas rectas reducantur.

3-o) Si Fundi intravillani Rectificationem aliquam subire debent, in ea attendendum, ne commoditas necessaria Colono, ut videlicet, quin alterius vicini fundum ingredi debeat, in suum et pedes, et curru intrare valeat, haud exulet.

4-o) Terrae arabiles juxta consvetudinem loci in duas, vel tres calcaturas dividantur, b) ita tamen, ut pascuo pecorum in calcatura quiescenti (in arvo existenti) obex haud ponatur. Fundi vero dominales prope ad villam in una, duabus, aut tribus tabulis concentrentur.

5-o) Per directionem horizontalem sulcorum in locis elevatis cursus aquarum defluentium non impediatur, adeoque agrorum longitudo secundum planum inclinatum decurrat. Haec generatim, in specie vero notanda sequentia:

6-o) Cynosura Excisionis Constitutivorum sessionalium relate ad eorum Qualitatem, et Quantitatem est Tabella Urbarialis primaeva; competentia in eadem exposita accurate per Geometram dominalem observanda est in Excisione quoad singulos Colonos. Hic tamen reflectendum ad id quoque, an occasione Regulationis Urbarialis primaevae neglecta redintegratio postea subsecuta fuerit vel minus? Si enim adaequatio haec subsecuta non fuisset, tunc utique in Excisione hac ad illam ante omnia reflecti deberet, ita, ut constituvorum emensio non secundum Qualitatem sessionis, et correspondentem eidem competentiam fundorum in Tabella Urbariali primaeva, sed juxta Qualitatem sessionis in Conscriptione urbariali occasione primaevae Regulationis confecta, contentam a et obvenientem eidem, juxta Classificatio-

nem normalem, determinatam Quantitatem fundorum intra-, et extra-villanorum fiat; c) Instructione enim Exequentium Magistratualium Cap. V. § 18 expresse dicitur: adlaborabunt tamen – Domini terrestres, ut successive in talibus quoque locis, (in quibus videlicet occasione Regulationis redintegratio locum non habuit) fundos sessionales ad rectam pro eodem Comitatu a proportione obtingentis Classis praescriptam integrarum, mediarum, quartalium, et octavalium sessionum mensuram coram Testimonio tamen Comitatus redintegrare, et adaequare possint, dummodo per talem adaequationem, et redintegrationem neque numerus sessionatorum Colonorum restringatur, neque fundis colonicalibus per subditos hactenus possessis, et usuatis quid subtrahatur.

7-o) Vi Resolutionis Regiae de 10-a Julii 1775 Nro 3192 – 20-a Juli e. a. Nro 3362 Comitatui Sárosiensi intimatae Dominus terrestris occasione praesuscipiendarum Rectificationum urbarialium, si ita visum fuerit, permutationem sessionalium appertinentiarum instituere, et praeexistentes sessiones urbariales ad aequalitatem reducere potest ea ratione, ut omnes sessiones vel in integras, aut medias, vel vero in quartas aut octavas transformentur, taliterque Subditi omnes vel integrae, aut mediae sessionis Coloni, vel vero Quartalistae, aut Octavalistae efficiantur. – Resolutio Regia relate ad Processum Urbarialem Colonorum Ikerváriensium 28-a Maji 1799 Nro 12962 Comitatui Castriferrei intimata in specie praecipit, ut pro inducenda ae-

ualitate mediae sessiones e Constitutivo Colo-
iorum sessionali commassato exscindantur, ita,
t ex fundis illis, qui a competentia dotis,
Colonis eosdem hactenus tenentibus, in mediis
essionibus assignandae resultaverint, alii Op-
idani aeque per medias singuli sessiones do-
entur; si tandem his quoque dotatis aliqui
indi remanerent, Oppidanis eosdem petenti-
us erga praestationes urbariales concedantur. —
Contra Resolutio Regia circa Rectificationem
Possessionis Peleske Szent Mihály Nro 29031
o-a Octobris 1818 Com. Zalad. intimata prae-
ipit, ne illi Coloni, qui hactenus ultra medi-
m, aut quartam sessionem regulati fuerunt,
t hanc quotam ultra retinere cupiunt, in illa
estringantur, (neve in locum fertilium fundi
teriles, aut minus fructuosi exscindantur.)
Hinc patet, quod adaequatio sessionum, et
espective earundem reductio pro ratione cir-
umstantiarum ab indultu altiori dependeat.

8-o) In hac tamen sessionum subdivisione,
rout omnium urbarialium permutationum casu,
Comitatui caeteroquin semper referendo, pe-
uliariter reflectendum est ad id, ut numerus
essionum urbarialium prius jam praeexistentium
orro quoque permaneat, neque is per subdivi-
ionem, permutationem, vel rectificationem quo-
uo modo imminuatur. (Res. Reg. de 10-a Julii
775 citata)

9-o) Terrae illae, quae omnino steriles, et
nutiles repertae fuerint, Colonis in Constitu-
ivum non assignentur (Res. Reg. de 11-a Sep-
embris 1771 Nro 5005 — 7-a Octobris 1771 Nro
639 Comitatui Gömöriensi intimata.)

10-o) Vineae ad Constitutivum sessionale-
ion pertinent, ideo Pedes vinearum etiam in

illud non imputentur, et si ante imputati fuissent, exmittantur, ac in locum illorum alii fundi Colonis assignentur. (In Slavonia tamen utraque in Constitutivum Sessionale imputantur). Cum autem Colonis ejusmodi Pedes vinearum ideo dati fuerint, ut vitibus implantentur, ad hanc implantationem adstringantur. (Res. Reg. de 28-a Octobris 1772 Nro 5088, Comitatui Nitriensi 3-a Novembris 1772 Nro 4871 intimata.)

11-o) Agri et prata praeter Pedes vinearum in promontoriis sita, et occasione primaevae Regulationis Urbarialis Colonis in competentias sessionum assignata, etiam in Rectificatione iisdem relinqui possunt, et si occasione Regulationis in Constitutivum imputati non fuissent, id in Rectificatione fieri potest, Urbario, et Resolutionibus Regiis id non vetantibus.

12-o) Pomaria, et Pruneta in agris, et pratis sessionalibus sita, vepreta item et dumeta negligentia Colonorum in iisdem succrescentia in Constitutiva sessionalia rite imputantur. (Instr. Ex. Mag. C. II. § 3 – Res. Reg. de 28-a Jan. 1780 Nro 6329.)

13-o) Defectus in quantitate praescripta agrorum, et pratorum mutuo compensandus, singulis agri jugeribus pro falcastris, et vicissim computandis. Agri vero in sortem deficientium fundorum intravillanorum vel pratorum assignandi in calcatura a reliquis agris separata, si situs territorii admittat, exscindantnr. (Urb. C. I. § 3, et Instr. Ex. Mag. C. V. § 30.)

14-o) Libero Domini terrestris arbitrio relictum habetur, Canabetum in corpore pro Colonis exscindere, vel minus; terrae in sortem Canabeti assignandae, utique in Coustitutivum sessionale imputari debent, cum Dominus terrestris ultra hoc Colonis terras alias dare non obligetur.

15-o) Praedia separata ad Dominum terrestrem pertinentia, prout et aliae majores, et privatae Dominorum terrestrium corporeitates a terris urbarialibus, metis distinctis, secernenda sunt, ad evitandas successu temporis occupationes, et confusiones.

16-o) Inquilinorum appertinentiae, si quas habent, vel in quantitate secundum dimensionem comperta, ipsis exscinduntur, si quod superat quantitatem in Tabella Urbariali expositam, vel ad defectus Constitutivorum sessionalium compensandos non esset necessarium, vel vero quantitas dimensa octavam sessionis saltim non adaequaret, quo casu Inquilinus in Colonum sessionatum transmutandus esset.

17-o) Fundi Communitatis, in specie vero Prata communia seu Communitatis, quae Coloni in pluribus locis possident, quaeve una cum reliquis fundis tempore primaevae Regulationis Urbarialis, erga eotum consvetas praestationes Communitatibus ultro quoque relicta, Tabellis Urbarialibus, et reliquis actis determinate inserta sunt, non constituunt objectum Rectificationis urbarialis, adeoque aut in statu priori relinquenda sunt, aut nova eorum excisione ob commassationem Tenutorum urbarialium, aut alias circumstantias locales necessaria, in quantitate non in Tabella urbariali exposita, verum in illa secundum dimensionem geometricam comperta, licet majori, habita ratione quoque qualitatis, et fertilitatis priorum, Communitatibus exscindi debent. – Aliter quidem judicant, quorum ita judicare interest, asserentes, quod Domini terrestres ultra id, quod in antiquis Tabellis determinate expositum est, Colonis suis, aut Communitatibus nihil

dare obligentur; adeoque si Fundi Communitatis secundum dimensionem excederent quantitatem in Tabella urbariali expositam, illi ad hanc reduci debeant. Verum principium hoc subsistere non posse vel id evincit, quod Fundi Communitatis recte ideo Tabellis urbarialibus inserti fuerint quoad quantitatem, ut ab omni in futurum diminutione ex parte Dominii attentanda tuti reddantur; quodve per Urbarium fundi hi, quemadmodum Constitutiva singulorum Colonorum ad certam, et determinatam mensuram reducti non fuerint, ut dici posset, quod ultra illam mensuram est, Communitati competere non posse. Et si etiam mensura fuisset determinata, utique ratio horum fundorum non alia esse posset, quam terrarum a Constitutivis sessionalibus remanentium c).

18-o) Fundi Ecclesiae, Parochi, et Ludirectoris sricte tales aeque non sunt objectum Rectificationis urbarialis, adeoque dimensione eorum peracta in statu priori relinquntur d).

19-o) Coloni, et Inquilini post Regulationem primaevam urbarialem advenientes eandem cum reliquis quoad Rectificationem, et Excisionem considerationem subeunt.

20-o) Querela subditorum de sterilitate fundorum occasione Excisionis (Rectificationis) locum habere non potest; cum ea in elaboratione Classium utique in considerationem sumta, et in quantitate compensata fuerit. (Res. Reg. de 9-a Junii 1775 Nro 2460 – 22-a Junii Nro 2877 Com. Castrif. intimata).

Generatim in Excisione pro ratione diversa casuum etiam ea principia applicationem habènt, quae in primaeva Regulatione Urbariali locum habuerunt; cum Rectificatio utique tantum continuatio ejus sit, – Si vero Coloni Excisioni se

opponant, et illam admittere nolint, brachium primum civile, dein militare adhibetur.

a) Sic v. g. si Colonus pratum silvae vicinum, vel agrum penes viam publicam in Calcatura vel Diverticulo uno obtinuit, ne in aliis similes agros vel prata sortiatur, attendendum erit. (Vide Brechter citato opusculo.)

b) Divisio in tres calcaturas magis commoda. Calcaturae 4 tantum ibi locum habent, ubi fundi admodum steriles sunt. Harum una pro frugibus hyemalidus, altera pro frugibus aestivalibus, tertia vero, et quarta pro vervacto servit. — Quaevis Calcatura in 2 vel 3 partes dividatur, hoc est duos, vel si Colonus desideraret, tres agros, non tamen plures; secus enim in cultura eorum multum temporis perderetur. Agri vero in longitudine 150 — 200 orgias ob eandem causam habeant. — Excisi agri debent secundum directionem expositarum perticarum ductis aratro sulcis designari. ut hac ratione aratio ipsa secundum hanc directionem recta institui possit. Post singulos demum Fundos palus decutitur, concernenti Conscriptionis numero notandus. (Vide Brechter opere citato.)

c) Hanc Sententiam confirmat etiam Resolutio Regia circa Rectificationem Possessionis Peleske Szent Mihály Nro 29031 20-a 8-bris 1818 C. Zaladiensi intimata „Demum cum ex Actis pro-„cessualibus — eveniat, quod Coloni constitu-„tiva sua post Sessiones 6 anno 1777 in jugeri-„bus et falcastris $164\frac{2}{8}$, vel rectius juxta Con-„scriptionem et Relatorio—Executionales — „in jugeribus et falcastris 172 3/8 effective te-„nuerint" etc. etc.

d) Adducunt adversarii Resolutiones quasdam ddto 15-ae 7-bris, et 11-ae X-bris 1767, quae principium eorundem expresse quidem stabiliunt; adductis tamen rationum momentis vix derogare posse videntur.

e) Resolutio Regia de 29-a 9-bris Nro 6049 — 5-a xbris 1771 Comitatui Aradiensi intimata praecipit, ut posteaquam ea benigna provisio facta haberetur. ut Parocho Romano Catholico ad rationem competentiae suae unius sessionis Con-

stitutivum exscindatur, etiam Popae Graeci ritus non uniti regulentur ita, ut quemadmodum in Regulamento pro nationis Illyricae hominibus publicato ea norma posita haberetur, quatenus in locis illis, in quibus domus non ultra 200 sunt, ad summum duo, in reliquis vero etiam maximis tres duntaxat Popae, et juxta hanc proportionem in Parochia 100 domus numerante unus tantum Popa esse possint; ita occasione Executionis, (Regulationis) Urbarialis nonnisi pro tot Popis, quot admissi habentur, singulis unius sessionis constitutivum e praehabitis jam (ante sui creationem) fundis, adeoque non illis, quos ut Popae in sortem parochialis Congruae possident, exscindatur, quae ab obligationibus dominalibus immunis sit. Reliquis fundis, Poparum vero ultra numerum defixum in respectivis locis degentium omnibus, Regulationi Urbariali subjiciendis. Haec Resolutio per aliam quoque de 11-ma 9-bris 1774 Nro 5784 et 22-a 9-bris e. a. Comitatui Békesiensi intimatam confirmata est. — Huc pertinet etiam Rescriptum Regium de 24-a 7-bris 1779, vi cujus: ad 1-um. Siquidem perhibente puncto 66-o Rescripti Declaratorii 16-a Julii 1779 expediti numerus domorum pro fundamento exercitii religionis assumi nequeat, etsi in aliquo loco ultra 130 domus reperirentur exercitio religionis hucadusque destitutae, tamen absque speciali indultu Suae Majestatis Popa non introducatur. Contra si in aliquo loco exercitium religionis (publicum) praeexstitisset, etiamsi minor sit numerus domorum, illud ultro quoque permaneat. Ad 2-um. Cum Rescriptum Declaratorium memoratum de Constitutivo Sessionis Popis per Dominium exscindendo sileat, eatenus Resolutioni Regiae de 29-a 9-bris 1771 citatae inhaereatur. Ad 3-ium. Pro defigendo Poparum numero neutiquam familias, sed domos connumerandas esse. Ad 4-um. Definitus jam Poparum numerus nec ob majorem concursum populi, nec ob frequentiores functiones Episcoporum in aliquo loco excedatur. — Resolutio Regia de 19-a Aug. 1775 Comitatui Borsodiensi intimata nec lege, nec Resolutionibus Regiis Dominium obligari asserit, ut pro augustanae et helveticae Confessionis Mi-

nistris et Ludirectoribus fundos exscindat, adeoque cum agri et prata in possessione Edelen memorato Comitatui adjecente, Ministro et Ludirectori assignata, non parochialia verum colonicalia, proin relate ad Decimam, aliasque praestationes urbariales juri dominali, et contributioni obnoxia fuerint, ea his ultro quoque obnoxiari pronunciavit, ita, ut pro usu Ecclesiae et Ministri quidem, non tamen his directe, sed ipsi Communitati erga praestandorum praestationem exscindantur. Resolutio haec eique similes modificationem patiuntur jam nunc, vi articuli 26 1791. Ita enim hic § 2 inter caetera: „— in locis illis, ubi dehinc cum introductione liberi religionis exercitii novum quodpiam templum, vel oratorium exstruendum, aut minister illocandus veniret, praevie ope mixtae deputationis per concernentem Comitatum exmittendae absque tamen influxu hominis dioecesani, necessarii sumtus et expensae, viresque contribuentis plebis, numerus item sive animarum, sive familiarum, ibidem sedem fixam habentium, intertenendo deinceps etiam publico religionis exercitio suppar, in concursu domini terrestris investigentur, cognoscantur, et Comitatui referantur, ubi obtentis super eo testimonialibus, quod fundo sufficienti provisi sint, adsit item congruus intertenendo religionis exercitio numerus, d o m i n u s t e r r e s t r i s n o n n i s i c o n v e n i e n t e m f u n d u m i n t r a v i l l a n u m, v e l c e s p i t a l e m p r o E c c l e s i a, M i n i s t o, e t S c h o l a a d s i g n a r e t e n e b i t u r. „— Resolutio Regia demum 1-a X-bris 1783 Com. Zalad. intimata relate ad erectionem novarum parochiarum catholicarum in gremio hujus Comitatus inter caetera ita habet:“ — cum non dubitetur Patronos Ecclesiarum, ac Dominos terrestres fundos necessarios, materialia requisita, ac expensas suppeditaturos, ipsos vero parochianos currules et manuales operas praestituros, ex eo idem hic Comitatus per Exmissos suos cum antelatis Patronis, Dominis terrestribus et Parochianis in praesentia hominis dioecesani omni meliori modo tractaturus est; et ut de eorundem Dominorum terrestrium voluntate constare possit, eorundem scriptam decla-

rationem cum universis actis referendam expetet. Eadem occasione disponet Patronos, ac Dominia Terrestralia, ut praeter spontanea deputata conformiter ad Benignas Resolutiones Regias integram in agris, et pratis exscindant sessionem, Parochiani vero ad horum cultivationem, consvetasque per Dioecesim, aut Comitatum hunc lecticales, vel alias annuas praestationes, prout et stolares regulatas solutiones se se determinent.

§ 26.

De Fundis Remanentialibus.

Peracta hac ratione fundorum colonicalium Excisione, Fundi illi, qui supernatant, Remanentiales vulgo dicti, – quive inde oriuntur, quod occasione primaevae Regulationis Urbarialis fundorum urbarialium quantitas solummodo secundum fassiones a) Colonorum assumta, et Conscriptionibus, ac Tabellis Urbarialibus illata fuerit, – b) aeque in sessiones octavas, vel si fundi tantum extravillani sint, in constitutiva extravillana octava (octavalia) dividantur, et secundum hanc mensuram Colonis in loco degentibus, illis videlicet imprimis, qui et excolendis illis maxime idonei sunt, et illorum maxime etiam egent, erga praestationes urbariales assignentur; si vero Coloni in loco degentes erga praestationes urbariales assumere nollent, Communitas ad illorum culturam sub conditione urbarialium praestationum disponatur, et hac quoque illas detrectante Extraneis medio Currentalium a Comitatibus respectivis per regnum dimittendarum, erga promissionem 3 annorum a contributione immunitatis advo-

andis, erga praestationes urbariales concedantur. 1)

Prae manibus Dominorum terrestrium tantum tunc relinqui possunt, si nec Subditi singulares, nec Communitas in concreto, nec Extranei erga praestationes urbariales acceptarent, nec demum impopulari possent; c) sed nec tunc terrae remanentiales ad categoriam fundorum Allodialium referri, et Contributioni subtrahi possunt, ac ideo d) Tabellam Conscriptionis, et seriem Relationis super Executione Rectificationis (Regulationis) una cum illis, qui penes spontaneam quandam obligationem prae manibus Colonorum relinquentur, ingredi debent, quo ubi occasio aderit, erga solitas urbariales praestationes Colonis assignari possint. 2)

---

1) Res. Reg. de 13-a Martii 1772 Nro 468 (Pauly 5239) Com. Pest. 13-a April. e. a. Nro 1651 intimata; — item R. R. de 4-a Januar. 1773 Nro 6 Comitatui Baranyiensi, e. m. et a. Nro 231 intimata; — item Res. Reg. de 1-a Octobris 1776 Nro 4757 Com. Hont. 7-a e. m. et a. Nro 5368 intimata; — item Res. Reg. de 12-a 8-bris 1778 Nro 5046 Com. Toln. intimata; — item Res. Reg. de 5-a Maji 1780 Nro 2226, Comitatibus Croatiae 11-a e. m. et a. Nro 3078 intimata; — item Intimat. de 23-a Jan. 1792 Nro 1288 Com. Weszprimiensi elargitum; — item Intimat. de 8-a Febr. 1803 Nro 2879; — item 8-a Martii 1803 Nro 5286 ad Com. Abaujvár. interveniens. — item Intimat. de 1-a Maji 1804 Nro 9119 Com. Bihar. expeditum; — item Intimat. de 9-a Aprilis 1805 Nro 8176 ad Com. Zemplin. dimissum; — item Intim. de 4-a Febr. 1806 Nro 1228 et 23-a 7-bris e. a. Nro 18964 Com. Békes. elargitum; — item Intimat. de 19-a Febr. 1811 Nro 4651 Com. Sirmiensi sonans, et aliae Resolutiones ac Intimata. — 2) Res. Reg. anno 1812 Nro aul. 8266 erga gravamen diaetale quoad terras remanentiales edita; — Res. Reg.

Donec autem novi Coloni adveniant, possunt Terrae Remanentiales prae manibus Colonorum etiam erga praestationes arbitrarias, aut penes specialem Contractum relinqui, ne tamen fundi ejusmodi ideo, quod penes spontaneam obligationem teneantur, successu temporis in allodiaturas dominales applicentur, et a contributione abstrahantur, hi sive in locis territorialibus, seu in praediis existentes singillatim conscribi debent, juxta tenorem Instructionis Magistratualibus exequentibus datae. 3)

Si nihilominus Terrae Remanentiales Subditis praeripiantur etiamsi distincto titulo Colonis in arendam locentur, ad sessiones colonicales illico per Comitatum reapplicandi, et praestationibus urbarialibus, onerique contributionali subjiciendi sunt. 4)

Ut vero applicatio Fundorum Remanentialium ad allodiaturam dominalem eo facilius praecaveatur, in Tabella Urbariali, eidemque subinserta Relatione Executionali in conformitate Instructionis Exequentium Magistratualium Cap. V § 19 mentio accurata eorundem fieri debet, qualesnam illi fundi sint, et qua ratione sub Executione tractati fuissent urbariali. 5) e) Omnia haec quoad Terras remanentiales etiam relate ad Slavoniam observanda sunt. (Vide punctum regulatorium Urbarii Slavonici 5-um).

---

de anno 1816 Nro aul. 13184; — item Res. Reg. de 8-a Julii 1787 Nro 8079, circulariter 2-a August. 1787 Nro 28577 publicata, et Res. supra citatae. 3) Instr. Ex. Mag. C. V § 18; Res. Reg. de 13-a Martii 1772 Nro 468 (Pauly 5239) Com. Pest. 13-a Aprilis e. a. Nro 1651 intimata, citata. — 4) Res. Reg. Com. Toln. intimata, citata — Intimat. ad Com. Békes. interveniens citatum. — 5) Intimatum Com. Bihariensi elargitum citatum.

a) Est vero saepe magna distinctio inter sessionum quantitatem indicatam per Colonos occasione primaevae Regulationis Urbarialis, et compertam per dimensionem geometricam. Sic ut ipsa experientia assertum confirmetur, in Possessione Knyasza ad Dominium Arva spectante, integrum Constitutivum urbariale juxta Tabellam urbarialem 784 1/2 jugera effecit; secundum dimensionem geometricam agri constituebant 840 praeter 630 jugera, quibus ut silvis et pascuis utuntur, adeoque insimul 1470 jugera. — In Dominio Nagybajom occasione Regulationis primaevae urbarialis 17 Sessiones numerabantur, instituta autem dimensione ad 66 elevatae sunt. (Nro loc. 17566 1811) — Occasione introducti 1767 Urbarii in Oppido Sárd Comitatus Simeghiensis assumebantur 28 1/4 sessiones integrae in calculum, per novam regulationem ex illis 34 Sessiones integrae efformatae. (Nrus loc. 155 1814) In Possessione Köbölkuti Bögötte, Comitatu Castriferrei, ex 7 sessionibus, quarum capacitas occasione introducti Urbarii in 192 jugeribus indicata est, per dimensionem 14 sessiones efformatae 378 jugera complectentes (Nro 4307 1814) (Vide Pauly Constitutio Rei Urbarialis pag. 423 et 424).

b) De fundis remanentialibus occasione primaevae Regulationis Urbarialis enatis, hic utique sermo non est, de illis actum est sufficienter in Sectione 1-a hujus Partis Secundae, estque fere illorum eadem cum his ratio juris.

c) Exemplum suppeditat Regulatio urbarialis Oppidi Patay, in qua fundi propter crebras Danubii exundationes, vel stagnantes aquas minus usui deservientes (usuabiles), quos Oppidani in sortem Constitutivi sessionalis assumere detrectarunt, compossessoribus Dominis terrestribus ea conditione relicti sunt, ut eos quidem excensuare quibuscunque, non tamen fundo contributionis subtrahere possint. (Res. Reg. de 28-a Apr. 1809 Nro 4463 Com. Pest. 18-a Febr. 1810 Nro 2399 intimata.)

d) Concursus circumstantiarum peculiarium, sicut ab aliis, ita et ab hac regula nonnunquam exceptionem producit; exemplum est in regulatione urbariali possessionum, A. et F. Molcsa, ac A.

et F. Mitsinye, in qua 214 jugerorum supernatantiam ad allodiaturam applicari (curialisari) admittebatur, ex adductis in sententia Sedis Dominalis motivis sequentibus;

1-o quod constitutivum sessionum praeter antiquas, ex novis quoque exstirpaturis in silvis dominalibus, praedialibusque contra inhibitiones efformatis, aliis item praedialibus fundis consurrexerit.

2-o Sessionum Quantitas, adeoque et fundus contributionalis in duplum auctus sit; resultantia vero 214 jugera, partim ex fundis olim per Subditos relictis, partim a Contributione immunibus enata, eidem subjecta nunquam fuerint.

3-o Dominus Terrestris vi praerogativae cardinalis de suo, praeferenter vero de fundis urbarialem conscriptionem non ingressis disponere possit; et secus exiguis allodialibus terris in dictis Possessionibus provisus, usum robotarum absque magno dispendio capere non possit, subditi autem facilius in loco, quam extra illum easdem praestare valeant.

4-o Dominium resultantem curialitatem non in terreno optimae qualitatis, sed pro commoditate Colonorum in gleba occurrente in praesentia Testimonii Legalis exscindendam praetendat, et omnes in quaslibet exstirpaturas per Subditelam investitas summas renumerare paratum sit. (Intimatum in conformitate Res. Reg. per Regni Palatinum editae, Com. Zoliensi 3-a Decemb. 1805 Nro 27708 elargitum.)

e) Disceptatur multum de fundamento legali hujus principii, secundum quod terrae remanentiales allodiaturae applicari vetantur. Argumenta contra illud huc fere redeunt:

1-o) In Urbario nullum vestigium dispositionis, quae Dominum ad cedendum Colono id, quod urbarialem competentiam excedit, obliget.

2-o) Instructiones urbariales, quae praecipiunt, ut Terrae Remanentiales fundo contributionali adjiciantur, nec Intimatis circa introductionem urbarii editis adnexae, nec subseque publicatae sunt, adeoque sub sensum articuli 35 1790 vim legis interimalis placitis urbarialibus tribuentis haud cadunt.

3-o) Articulus 8-us 1741 non vult, ut onus (Contributionis) fundo inhaereat, inhaereret autem, si Dominus terrestris a supernatantia allodiaturae suae applicanda prohiberetur.

4-o) Neque fundus contributionis diminuitur, si Terrae Remanentiales curiales fiant; nihil enim Coloni ab his sive Domino terrestri seu ad Cassam domesticam et contributionalem praestiterunt, nec si illis caruerint, minus quam ante Aerario et Comitatui praestabunt.

5-o) Si vero quaestio esse possit, an Terrae Remanentiales ad fundum contributionalem spectare debeant? solutionem ejus nonnisi Comitiis reservatam esse, utpote objectum Contributionis respicientem.

6-o) Juxta principia Constitutionis Domino terrestri proprietas, Subdito e contra tantum sola laboris merces competit. (III-ae. 30)

7-o) Nec fundus Coloni objectum contributionis constituit, sed solummodo clavim illius repartiendae; pro clavi autem Constitutivum sessionale certo numero jugerorum ac falcastrorum constans, non vero quod illud excedit, haberi debet.

8-o) Nobilium praerogativa est cardinalis, ut de bonis suis libere disponere possint. (I-ae tt. 9)

Instructiones et Resolutiones urbariales omnes, quas vidi, fundantur quoad dispositionem, ne Terrae Remanentiales allodiaturae Domini terrestris applicentur, in articulo 18 1723, qui principium illud, quod jam in articulo 8 1715 tacite continetur, aperte proloquitur, videlicet: q u i s q u i s f u n d u s c o n n u m e r a t i o n e m p o r t a r u m i n g r e s s u s, s e u a q u o c o n t r i b u t i o p r a e s t a b a t u r, is a m p l i u s e i d e m s u b d u c i n o n p o t e s t; esset enim hoc directe contra a. 8 1715, quo Regnicolae necessitatem constantis (stabilis) militiae, et ad eam stipendiis intertenendam, contributionis agnoverunt necessitatem. Quare ut militia omnino constans sit, fundum quoque, unde alitur, constantem, nec diminutioni alicui obnoxium esse opportet. Sed applicatio hujus principii ad Terras Remanentiales nullatenus videtur locum habere posse Practicis aliquibus, obstante argumento sub 4-o) ab illis prolato; verum quaeratur ab illis,

an Urbarium aliqua sui parte cynosuram quoad pendendam Contributionem ponat, et haec quaestio magnam secabit litem. Non enim affirmative respondere poterunt, quia Urbarium tantum correlationes juris inter Dominum et Subditum determinat; igitur nec determinatio Constitutivi Sessionalis pro norma et clavi praestationum colonicalium assumtum, potest simul pro determinatione constitutivi, unde contributionis Quantitas metienda sit, haberi ita, ut quod supra illud Colonus possidet, non amplius ad fundum contributionalem spectet, verum Allodiaturae Domini terrestris applicari debeat. Imperans igitur dum nulla habita ratione Constitutivi Sessionalis, utpote pro fundamento obligationum, et jurium inter Subditum et Dominum deservientis, et nullum nexum cum re aeraria foventis, verbis legis (a. 18 1723) inhaeret, nihil aliud agit, quam legum vigorem et observationem sustinet, quod vi potestatis executivae ipsi agendum munus regium injungit; determinatio enim quaevis contributionem respiciens etiam ex sententia adversariorum ad Comitia pertinet, et citra auctoritatem eorum lex citata infringi non potest. Quod attinet objectiones sub 1-o) et 2-o) eae facilem hinc accipiunt responsionem, etiamsi quis brevissime nolit dicere: Instructiones urbariales inde ab inductione, et executione Regulationis urbarialis saltim consvetudine et usu vim legis interimalis, ut Urbarium ipsum, obtinuisse. Oggestio vero sub 3) ex articulo 8 1741, si non officit contributioni a Constitutivo sessionali, nec quidquam oberit Contributioni a terris remanentialibus. — Relate ad Objectionem sub 6-o) respondetur, proprietatem manere Domino quoad terras supernatantes eandem, quae relate ad Constitutivum sessionale locum habet. — Objectio sub 7) est lusus verborum, Objectum, et Clavis, qui repugnat communi loquendi usui, aliud est enim nobis Objectum, aliud Clavis contributionis.

§ 27.

De Confectione Mappae, ac Libri Fundualis, reliquorumque Documentorum super statu rectificato Constitutivorum urbarialium.

Peracta Excisione Constitutivi urbarialis, de rectificato statu sequentia Documenta praeter Mappam conficienda sunt: Liber Fundualis, Tabella Urbarialis, Instrumentum Combinatorium, Urbarium, Testimoniales demum super quo modo peracta Rectificatione urbariali.

Liber Fundualis duplex aeque, sicut quoad statum antiquum confici solet. Unus videlicet continet Tenuta urbarialia, et iisdem ac ille status antiqui rubricis absolvitur, tam quoad ipsum Librum, quam Extractum ejusdem summarium, excepta ultima rubrica Exstirpaturae, in locum cujus hic alia, nempe: Terrae adjustationales, succedit; quae videlicet continet in se agros in locum fundi intravillani, vel pratorum datos, in distincto corpore, si fieri potest, exscindendos. Hic Liber in Processu Rectificatorio producitur, adeoque autenticandus est, eodem modo, quem retulimus, dum de Libro super statu antiquo egissemus. Producitur autem, praesertim si Processus rectificatorius terminatus Comitatus Archivo infertur, in dupplici exemplari, unum restituitur Dominio, aliud cum Processu ad Archivum Comitatus reponitur. – Alter complectitur in se omnis generis Tenuta, et supra attacta modificatione, quoad primam videlicet ejus partem, excepta, iisdem absolvitur rubricis, eademque ratione confit, quemadmodum Liber Fundualis de statu antiquo, deservitque, sicut

ille tantum pro usibus Dominii, nec ideo autenticatione opus habet, nec dupplici expeditione. Formam prioris Libri vide sub E et E Nro 1, posterioris sub H; formam autenticationis sub F.

Mappa quoque de statu rectificato conficienda est, in cujus confectione eadem observanda sunt operanti Geometrae, quae observari debere diximus in Delineatione Mappae super statu antiquo; et quia hujus quoque productio pro ratione circumstantiarum in Processus rectificatorio saepe necessaria est, autenticatio ejusdem non negligenda, quae eadem ratione instituitur, qua illa Mappae status antiqui. Forma conceptus Autenticationis sub G. adjectus est, in fine hujus Partis. Terminato Processu ad Archivum Comitatus reposito, Dominio Mappa restituitur, adeoque semel tantum expedienda.

Tabella Urbarialis statum novum exhibens iisdem absolvitur rubricis, quibus antiqua, quarum explicationem, huc quoque applicandam, habemus in Capite de Regulatione Urbariali primaeva. Notanda quoque sunt in confectione illius eadem a proportione Magistratualibus rectificantibus (Testimonio legali), quae ipsis exequentibus notanda esse diximus loco citato. Producitur Tabella haec in quadruplici exemplari, unum subditis regulatis, aliud Domino terrestri, tertium Comitatus, et quartum Consilii Locumtenentialis Archivo obtingit. Subscribitur lateribus omnibus prius additis, per Testimonium Legale, et Geometram Comitatensem, sigillisque eorum munitur, praemissa hac recognitione: Tabellam hanc urbarialem, velut omnium praestandorum praestationem calculo arith-

metico erutam in se continentem extradedimus. Sig. etc. etc. Forma Tabellae Urbarialis exhibetur sub K.

Combinatorium Instrumentum in Rectificatione, non in omnibus Comitatibus ante desiderabatur, nunc tamen illud velut posterioribus Resolutionibus Regiis generatim praescriptum in omni Rectificatione urbariali conficiendum, et in Processu quoque producendum est. Sequentes numerat rubricas, pro ratione tamen peculiarium beneficiorum, quibus Coloni forte fruuntur, augendas: duas rubricas principales, quarum una in scribitur: „secundum antiquam Tabellam urbarialem," altera vero: „secundum novam (rectificatam) Tabellam Urbarialem;" utraque vero sequentes rubricas subalternas et ita inscriptas: *a)* Nrus Domus. *b)* Nomina et Cognomina Colonorum. *c)* Qualitas sessionis. *d)* Fundi intravillani in metretis posoniensibus. *e)* Agri in jugeris. *f)* Prata in falcastris. Data harum rubricarum desumuntur e Tabellis Urbarialibus, tam videlicet antiqua, quam nova, seu rectificata, et jam autenticata, quae sibi correspondere debent, ita videlicet, ut Constitutiva et Fundi intuitu singulorum Colonorum ex utraque parte, eadem serie se excipiant; est enim utilitas hujus Tabellae in eo sita, ut uno quasi obtutu convincat Fora revisoria numerum et qualitatem sessionum ac correspondentem huic competentiam in tenutis urbarialibus quoad singulos Colonos, in Tabella antiqua urbariali designatos cum numero, qualitate sessionum, et huic correspondente competentia Tenutorum urbarialium in nova, seu rectificata Tabella urbariali exposita, omnino convenire. Caeterum in concinnando hoc Com-

binatorio ad ea reflectendum, quae § 25-o puncto 6-o, 16-o et 17-o dicta sunt. Haec comparatio est quasi lapis lydius, ad quem bene vel male instituta Rectificatio revocatur, et consensus utriusque Tabellae, documentum bene peractae Rectificationis. Quare etiam Exequentibus Magistratualibus summa cum exactitudine in illa praeparanda, prout Jurisdictionibus concernentibus in illa examinanda, procedendum est, quarum etiam vigilantia peculiaris, Resolutionibus Regiis provocata habetur. Subscribitur Combinatorium per operantem Geometram, et autenticatur per Testimonium Legale, ac Geometram Comitatus, hac verborum forma: Praesens Combinatorium Instrumentum cum Antiqua et Nova Tabella Urbariali collatum, iisdem conforme adinvenimus. Sign. etc. etc. Sigillis subscribentium roboratur, et expeditur comuniter in uno exemplari. Forma ejus adumbrata habetur sub I.

Urbaria cujusvis Possessionis rectificatae in quadruplici exemplari, et quidem ab Universitate Comitatus concernentis ex Generali Congregatione sub autentico ejus sigillo et Lecta notariali expediuntur: pro Communitate rectificata, Dominio, Comitatu, et Consilio R. L. Iis tam Tabellae urbariales novae, quam et Testimoniales, seu Relatoriae super quomodo peracta Rectificatione Urbariali in fine adnectuntur.

Testimoniales super peracta Executione Rectificationis Urbarialis, deductione historica absolvuntur omnium actuum Rectificationis urbarialis, quibus Magistratuales, ut qua testimonium legale intersint, per concernentem Comitatum exmissi extiterunt. Concinnantur utique per ipsos Exequentes, quoad singulas Possessiones rectificatas, subscribuntur, et sigillis

muniuntur in 4. exemplaribus, et, uti dictum,
Irbariis respectivis subnectuntur. In his concin-
andis eadem pro ratione circumstantiarum Ma-
istratualibus observanda sunt, quae in primae-
a Regulatione Urbariali per Exequentes obser-
ari debuisse diximus. Inter caetera mentio prae-
rimis fieri debet fundorum remanentialium qua-
ter tractatorum. (Vide Res. Consilii 7-a Aug.
804 Nro 17616 circa Rectificationem locorum
egykő, Homok, Hidegség, K. Czenk, et Uj-
ér Com. Sopron. intimatam.)

§ 28.

De Processu Urbariali Rectificatorio.

Praemissis Actibus singillativis ad Rectifi-
ationem urbarialem pertinentibus, et Documen-
s super illis conficiendis, nunc Processus ipse
ectificatorius frequentis alioquin usus, quoad
economiam suam internam evolvendus erit.

Prout *a)* Dimensio territorii rectificandi in
raevie celebrata Sede Dominali petitur, et sen-
entia (mediante) determinata perficitur, vel ve-
o *b)* Dimensione absque Sede Dominali per-
cta, pro ejus autenticatione, et reliquis acti-
us ad Rectificationem spectantibus rite perfi-
endis exmissio Magistratualium necessariorum
Comitatu respectivo petitur, ita etiam for-
a processualis Rectificationis (initio saltim)
ariat.

a) Si Rectificatio a celebranda Sede Domi-
ali, in qua Fiscus quoque magistratualis Colo-
is assistens praesens esse debet, a) inchoe-
ir, Causa rectificatoria juxta formam sub L
er Fiscum Dominalem levata, hic ita fere acti-
nem suam proponit: b) Cum occasione primae-

vae Regulationis Urbarialis Colonis Possessionum rectificandarum Constitutiva sessionalia tantum juxta fassiones eorundem, non praemissa eorundem geometrica dimensione, excisa, et assignata fuerint, non sine pluribus defectibus, et erroribus; per Constitutivorum porro sessionalium inter Colonos successu temporis subdivisionem, et in iisdem successionem status eorundem confusus etiam redditus fuerit: errorum vero, et defectuum, qui occasione primaevae Regulationis Urbarialis per indictationes Colonorum in Fundorum sessionalium excisione, et assignatione intervenerunt, correctio ac rectificatio vi B. Urbarialis Instructionis Cap. V § 30-i non solum Colonis, sed et Dominiis terrestralibus in salvo relicta haberetur; Fiscalis Procurator (praenominatus) sequentia determinari petit:

1-o ut sessionalia singulorum Colonorum Constitutiva tam intra, quam extravillana (vel generatim Constitutiva sessionalia colonicalia) geometrice dimetiantur, ac praenominatarum Possessionum territoria relate ad qualitatem glebae sensu B. Urbarialis Instructionis per omnia diverticula opera (medio) Magistratualium concernentium finem in eum classificentur, ut determinari possit, a quotnam orgiis quadratis jugerum agrorum, et respective falcastrum pratorum Geometra operans computare debeat. Classificatione vero hac peracta,

2-o siquidem in nonnullis locis terrae stricte dominales, seu allodiales colonicalibus, et vice versa intermixtae essent; ad praecavenda damna ob commixtum hunc terrarum situm satis, segetibusque inferri solita, antevertendasque propterea intervenientes pecorum invagiationes, procurandum denique Colonis in pertra

atione oeconomiae suae majorem commodita-
m, tam agri quam prata sessionalia, juxta
mpetentiam cujusvis Coloni in praeexistenti-
s Urbariis (Tabellis urbarialibus) defixam in
rporibus (corporeitatibus) separatis a tenutis
minalibus allodialibus exscindantur, (defectu
ius Constitutivi per supernatantiam alterius
ppleto), et in convenientes calcaturas subdi-
dantur: novae dein super sic excisis Consti-
tivis sessionalibus, et praestationibus iisdem
rrespondentibus Tabellae Urbariales, novi item
bri Funduales elaborentur, et autenticentur;
; tandem omnibus consummatis universa Acta
barialia praesenti Legali Testimonio consig-
ntur, Sedriae referenda, post revisionem vero
rundem fine altioris inspectionis Consilio R.
H. submittenda. Postulata haec Fisci Domi-
lis solent etiam Colonis, seu primoribus Pos-
ssionum rectificandarum in figura judicii prae-
ntibus, vernacula explanari, quod etiam in
cursu Processus quoad objecta, quorum noti-
illorum interest, vel quae ab optione illo-
m pendent, fieri solet, et debet.

Fisco Magistratuali Colonis assistente in Di-
ensionem territorii Possessionum rectificanda-
m, et Classificationem Diverticulorum (alle-
tive) consentiente, utraque deliberative quo-
e adinvenitur, et pro peragenda in praesen-
Fisci Magistratualis ac conformitate B. Ur-
rialis Instructionis Classificatione coassidens
gale Testimonium exmittitur.

Peractis Classificatione glebae, et Dimen-
one geometrica, haec quoque autenticanda est,
ideo, si sententia praevie jam decreta non
t, exmissio petenda a Comitatu Geometrae,
Testimonii Legalis in Processu Rectificatorio
erantis, vel hi privative per Dominum ter-

restrem requirendi (pro ratione vigentis, in hoc vel illo Comitatu usus). Terminata etiam autenticatione, tam de hac Testimoniales (Relatoriae Testimoniales), si peculiares adornatae sunt, secus vero tantum Libri Funduales (nonnunquam etiam Mappae) autenticati, quam et de Classificatione quoad singulas Possessiones rectificandas per Fiscum Dominalem in Processu producendae sunt. Quia vero Sessionum numerus, qualitas, ac correspondens ei competentia in antiquis Tabellis urbarialibus exposita per Rectificationem Urbarialem nullatenus diminui possunt; Tabellae hae quoque (seu Urbaria, his enim adnexae sunt) Possessionum rectificandarum per Fiscum Dominalem produci debent, ut Excisio sessionum secundum illas fieri possit. His productis petit ille, ut siquidem combinatione Librorum Fundualium cum Tabellis Urbarialibus, instituta (in Libro Funduali ipso, cujus forma sub B et Nro 1 conspicitur, haec combinatio instituitur,) in quibusdam Constitutivis defectus, in aliis supernatantia adesset, mutua compensatio fiat, ita ut omnes defectus, si fieri possit, ex supernatantia suppleantur, secus vero praestationes urbariales ipsis constitutivis attemperentur, et ita in nova Tabella Urbariali rectificentur. – Id allegatur, si defectus relate ad competentiam excedant supernatantiam, si vero supernatantia compensatis etiam defectibus adsit, hanc Fiscus Dominalis Dominio addici petit. Argumenta per ipsum adferri solita vidimus § 26-o sub d.)

Fiscus assistens relate ad defectum, cui supplendo supernatantia non sufficit, dicit eundem vigore Instructionum urbarialium, ex terris dominalibus stricte talibus, seu allodialibus compensandum esse; rationem enim publici boni

exigere, ne fundus Contributionalis ullo modo minuatur. Si vero terrae remanentiales adsint, easdem sensu Instructionum urbarialium, et Resolutionum Regiarum tractari, ideoque Colonos in figuram Sedis Dominalis sisti, et interrogari, an terras remanentiales erga praestationes urbariales retinere, et respective assumere velint? imo eos quoque, ut retineant, aut assumant, disponi, et si erga praestationes urbariales easdem colere detrectarent, an non erga censum forte assumere cuperent? interrogari, sive vero unum, seu aliud vellent, ipsis etiam seu erga praestationes urbariales, sive census titulo Terras remanentiales concedi petit. – Eatenus, ne in obversum promissi dominalis, ipsius adeo justitiae distributivae, excisio tenutorum sessionalium citra respectum utilioris culturae rationis, aequae item diverticulorum proportionis instituatur, cautionem interponit. Permutationem terrarum colonicalium inter se, et cum dominalibus allodialibus (pro ratione circumstantiarum) necessariam quidem, non alias tamen Dominio licitam esse asserit, quam si acceptae datis quantitate, qualitate, et fructuositate pares fuerint. Relate vero ad refusionem meliorationis fundorum (ope fimationis), cum caeteroquin ex Rectificatione in Dominium maximum redundaret emolumentum, fimi pretium (vel fimum in natura) iis, qui fimationem legitimaverint, per Dominium refundi, et Colonos ab onere fimationem sibi mutuo compensandi ex aequitate saltim relevari petit. – Demum novarum Tabellarum urbarialium cum antiquis instituendam Combinationem fine eo reservat, ut pateat, an non per Rectificationem (novam regulationem) sessiones, earumque appertinentiae diminutae fuerint.

Postquam Fiscus assistens ita reflexiones suas, ad quas saepe Fiscus Dominalis suas quoque addit, Judicio proposuit, hoc ita fere deliberat: Classificatione diverticulorum (glebae) praesenti Urbariali Rectificationi obnoxiarum Possessionum juxta Testimoniales sub – exhibitas, autenticatione item Dimensionis earundem Possessionum sub – juxta Testimoniales Libris Fundualibus respectivis subjunctas ad mentem B. Urbarialium Instructionum peractis, eatenusque reflexione in contrarium non subversante; petitam sessionalium Constitutivorum in corporeitatibus, ac in diverticulis, quoad fieri potest, habitationibus Colonorum, fine procurandae iisdem in cultura illorum majoris commoditatis, vicinioribus instituendam geometricam excisionem ea ratione adinveniri: ut aquarum excavationes etc. etc, (pro ratione circumstantiarum localium) e competentiis urbarialibus exmittantur, in qualibet Possessione, observatis qualitatis glebae quoad agros, et (quantitatis graminis quoad) prata Classificationibus (vel quoad agros classificationibus, et quoad prata aestimationibus) sub – exhibitis, ad unam integram, et sic a proportione mediam, et quartam ac octavam sessionem agrorum tot jugera, pratorum vero tot falcastra, quot in Urbariis earundem Possessionum sub – productis exposita esse conspiciuntur (supernatantia fundorum intravillanorum in competentiam pratorum, vel agrorum, et vicissim imputata) ex cujusvis classis terris, quoad possibile, aequa proportione exscindantur; in quantum vero per novam hanc excisionem extravillanorum fundorum permutationes necessariae essent, intuitu comperiendae fimationis justa compensatio locum habeat (vel Dominium terrestrale ad fimationem,

si pro ejus emolumento deserviat, secus vero respectivos Subditos, quibus fructificat, mutuo compensandam obligari), denique de excisis hac ratione Constitutivis correspondentibusque praestationibus novae Tabellae Urbariales relate ad singulas Possessiones conficiantur, quarum, nec non Excisionis geometricae ad praescriptum B. Instructionum Urbarialium paragendae autenticationem hisce etiam decerni, fineque hoc Legale Testimonium cum Geometris operaturum exmitti. (Relate ad supernatantiam pro ratione circumstantiarum sensu B. Instructionum, et Resolutionum Urbarialium deliberatur.) c)

Peracta Excisione, Libris Fundualibus rectificatum statum exhibentibus, per exmissum Legale Testimonium, et Geometram Comitatus, instituta eorundem in facie loci autenticatione, atque cum numero, et qualitate sessionum in primaevis Urbariis expositarum combinatione, pro sinceris et adaequatis compertis, novis etiam Tabellis urbarialibus et Relatorio – Executionalibus per Legale Testimonium elaboratis, atque ad respectiva Urbaria insertis; Fiscus Dominalis Libros Funduales (singulos nonnunquam in duplici) et Urbaria singula in quadruplici exemplari exhibet, et id decerni petit, ut Acta Processus Rectificatorio – Urbarialis d) pro revisione Sedriae Comitatus respectivi, per exmissum Legale Testimonium in proxime celebranda Generali Congregatione referantur.

Fiscus Magistratualis praeexistentibus cum novis sessionibus combinatis, quae contra excisionem, et accessoria obmovenda videntur, obmovet, et postulatis suis, antequam Acta foris revisoriis submittantur, satisfieri petit.

Fiscus vero Dominalis petitis Fisci, quae sibi justa videntur, satisfacit, reliqua ut illegalia, rejici, et eatenus deliberari petit.

Sententia lata, Acta universa Processus rectificatorii coassidenti Legali Testimonio traduntur, Universitati concernentis Comitatus exhibenda, et postea in Sedria revidenda, quae approbata vel modificata Rectificationis procedura, ut Consilio R. L. H. fine altioris inspectionis substernantur, et Urbaria pro observantia sub autentico expediantur Acta illa Comitatui in proxima Generali Congregatione iterum referri determinat. – Consilium tandem pro ratione circumstantiarum vel eadem comite opinione Suae Majestatis decisioni substernit, vel revisa et combinata cum determinatione sua (Intimato) Comitatui respectivo remittere solet. Resolutio per Suam Majestatem elargita aeque per Consilium concernenti Comitatui intimatur. e)

b) Si Rectificatio, et respective Dimensio Geometrica absque celebrata praevie Sede Dominali suscipiatur, peracta Dimensione, Dominus terrestris Recursum ad Universitatem Comitatus respectivi porrigit, in quo expositis adjunctis, (supra in actione Fisci Dominalis recensitis) necessitatem Rectificationis facessentibus, Magistratualium concernentium una cum Comitatus Geometra, qui Rectificationi urbariali intersint, et respective eam peragant, solitasque de illa Executorio – Relatorias Universitati praestent, exmissionem, una vero etiam Jurisdictionatos rectificandos ad praestandas exmissis jugales, et dimetientibus manuales operas obligatos pronunciari petit.

Ad Recursum hunc Determinatio Comitatus hujus fere tenoris subsequitur: N. N. Judlium (vel Vice - Judlium) cum adjungendo Jurassore, et Geometra N. N. fine autenticandae Dimensionis, et elaborandae Tabellae Urbarialis ex-

mittuntur, relationem facturi; Colonis occasione dimensionis necessarias manuales ad catenam praestare obligatis. In quantum autem nonnullae quaestiones in Sede Dominali superandae hac occasione emergerent, ad eam N. N. Tabulae Judiciariae Assessor pro praeside, N. N. Fiscalis Magistratualis pro necessaria Colonorum assistentia exmittuntur. Sedes autem Dominalis in conformitate B. Instructionis Urbarialis operatura est. (Datum e Generali Congregatione Comitatus. Zaladiensis etc etc.)

Hunc dein Recursum, et subsecutam ad eum Determinationem Comitatus, levata (vel statim, antequam autenticatio susciperetur, vel nonnisi hac, et respective classificatione peracta, vel demum nonnisi quaestionibus in Sede Dominali superandis emersis) causa summaria ad Rectificationem ut sub L, Fiscus dominalis (sub Nro 1-o vel A) producit, et in nexu ejus postulata sua depromit. Reliqua decurrunt, sicut in forma processuali priori. Nonnunquam, si videlicet nullae difficultates deciso Sedis Dominalis superandae se offerunt, Rectificatio absque Processu eatenus instituendo succedit. Acta tamen et in hoc casu revisioni competentium fororum substerni debent. Fiscum quoque Magistratualem accire juvabit. f)

Expensas sive in ipsam Rectificationem, seu Processum eatenus suscitatum Dominium fert; Coloni tantum Magistratualibus et Geometrae Comitatus pro autenticatione et Tabellae urbarialis elaboratione exmissis necessarios manuales labores praestare obligantur. (Resolutio Regia 13-a Julii 1802 Com. Zalad. relate ad Proces. Regulator. Dom. Muraköz Nro 14147 intimata; vide etiam supra expositam Determinationem Comitatus Zaladiensis.) g)

Haec sunt, quae in omnibus fere, multis certe, iisque diversorum Comitatuum, quos volvebam Processibus Rectificatoriis quasi partes constitutivae essentiales oeconomiam ipsorum internam efficiunt; adjuncta peculiaria, quae saepe recurrunt, adferri hic utique nemo prudens desiderabit, et eorum pertractatio, cognitis principiis, et procedura generalibus, nec difficilis est.

Si in Possessionibus rectificandis Coloni praeter tenuta sessionalia Exstirpaturas quoque teneant, qua occasione ad Rectificationem illorum agitur, eadem quoque ad reluitionem, ac abaestimationem harum procedere juvabit, et ad temporis pluribus secus processibus insumendi, et ad sumtuum compendium, nec non ad totum Rectificationis negotium facilitandum, majorique et Domini, et Subditorum utilitate ac commoditate (abaestimatis Exstirpaturis) excisionem tenutorum colonicalium instituendam. Ex quo jam suapte intelligitur, excisioni Constitutivorum sessionalium reluitionem Exstirpaturarum praecedere debere h). – Punctum Regulatorium Urbarii Slavonici 7-um peculiariter adhuc praecavet, ne Exstirpaturae (vel alii fundi industriales) secus in adaequationem Constitutivi sessionalis convertantur, quam si fundi r e m a n e n t i a l e s aut non adsint, aut non sufficiant. Demum accessorie solent in Processu Rectificatorio etiam querelae urbariales nexum quendam cum ipsa Rectificatione habentes pertractari.

Quae hoc Capite de Rectificatione urbariali respectu praecipuo Hungariae et Croatiae dicta sunt, applicationem quoque subeunt respectu Slavoniae, et Banatus etiam, si modificationes, quas Constitutivi sessionalis in his provinciis ratio peculiaris desiderat, adhibeantur.

a) Nonnunquam etiam Geometra Comitatus adest, hujus tamen exmissio etiam tardius peti potest, vel ipse privatc requiri per Dominum terrestrem pro actu autenticationis.

b) Ad Rectificationem fere semper tantum Dominium procedit; cum fere semper illius, et non Colonorum magis interest Constitutiva sessionalia rectificari. Si tamen Coloni procederent, eadem et ipsis, quae Domino terrestri, in hac procedura observanda forent.

c) Post hanc deliberationem Processus Urbarialis Rectificatorius in quibusdam Comitatibus sua via Consilio R. L. H. submittitur, et nonnisi determinatione ejus intimata Excisioni manus admovetur. (Vide etiam Intimat. Consilii L. H. circa Rectificationem locorum: Hegykő, Homok, Hidegség, Kis-Czenk, et Újkér 7-a Aug. 1804 Nro 17616 Com. Sopron. intimatum.)

d) Saepe etiam pro ratione circumstantiarum submissio Mapparum autenticatarum per Consilium R. L. desideratur. (Vide Resolutionem ejusdem Consilii circa novam Regulationem urbarialem Possessionum Letenye, Bétz, et Egyed 2-a 8bris 1804 Nro 21673 Com. respectivo intimatam.)

e) Consilii, in specie Exactoratus ejus obligatio est etiam, Acta submissa recalculare, et errores calculi notare, ut per Sedem Dominalem corrigantur. (Vide e. g. Res. Reg. in Rectificatione Possessionis Hósztóth 18-a Aug. 1818 Nro 22890 Com. Zalad. intimatam.)

f) Exemplum Rectificationis urbarialis absque celebratione Sedis Dominalis praebet Rectificatio Urbarialis Oppidi N. Czenk Com. Soproniensi ingremiati, cujus autenticatio 30-a Maji 1797 per exmissos eatenus Magistratuales peracta est. (Vide Relationem exmissorum Magistratualium Universitati Comitatus memorati praestitam in Collectione Documentorum ad Opus hoc pertinentium.)

g) Resolutio Regia 27-a Maji 1800 Nro 12711 circa Processum urbarialem Communitatis Oppidi Kaba Com. Bihar. intimata Dimensionem Geometricam Expensis Dominii quidem cum concursu tamen Oppidanorum operis manualibus et curribus perficiendam praecipit; quod tamen cum generali illo Regulationis Urbarialis principio, quod Colonus praeter praestationes urbariales ad

nullas alias cogi possit, minus cohaerere videtur. —

b) Nonnunquam circa quaestionem reluitionis Exstirpaturarum lata, partem unam, vel aliam gravans Sententia appellatur, et appellata admittitur etiam, ante adhuc finalem sententiam; quaestione enim hac altioribus quoque locis non superata, commode ipsa Rectificatio institui non potest.

CAPUT II.

DE REGULATIONE JURIS MONTANI.

§ 29.

De Fundamento Justitiae Regulationis Juris Montani.

Ante omnia fundamentum justitiae (Rechtsgrund) Regulationis Juris Montani evolvendum est; hoc enim in omnibus Regulationibus Juris Montani et Processibus eatenus suscitatis disputatur, nec tamen ullibi clare evolutum legi. Disputatur autem ideo, quod lex, articulus 97 1715, Jus Montanum omne fixum, et immutabile reddiderit, vetando illud ultra antiquam consvetudinem elevari; hoc autem cum idea Regulationis minus convenire videtur, cum haec quantitatem Juris Montani ad certam et determinatam mensurae geometricae speciem attemperando idem omnino, saltim relate ad singulares vinearum possessores mutet, ut adeo legi citatae repugnare videatur. Igitur haec contradictio tollenda, legisque praeceptum cum praxi conciliandum. – Mensura, secundum quam Jus Montanum a fundis vitibus implantandis Do-

mini terrestres et antiquitus sibi stipulati sunt, et hodie etiam saepe stipulantur, est illa fossorum, ita, ut a quolibet fossore certa musti vel vini quantitas mensura fluidorum in loco respectivo vigente determinata promitteretur, acceptareturque inter vineae cultorem, fundique dominum, pacto eatenus partim verbis solum, partim scripto etiam inito. – Vinea jam exculta, et concessis libertatis annis praeterlapsis, numerus fossorum, ad certam vineam requisitorum, ad mensuram geometricam haud exigebatur, sed oculorum judicio tantum domini, ejusque Officialis, vel etiam tantum secundum conscientiam bonam ipsius cultoris, aut judicii montani determinabatur, eique quantitas praestandi musti attemperabatur. Succedente tempore quantitas haec alioquin inaequabilis adjunctis pluribus, factisque vinicolarum magis adhuc alterata fuit, et a primaeva sua cum numero fossorum correlatione detorta. Multi enim vinicolarum partem illam, quam occasione primae implantationis pro agro, prato, pomario, aliisque usibus reliquerunt, Subvineta ita dicta, in vineas quoque pedetentim converterunt, illaque, quemadmodum plagis etiam circumjacentibus, exstirpatis saepe, vineas suas furtive auxerunt, praestationi Juris Montani accessionem hanc subducentes; contra alii partem vineae suae exstirpando in pomaria aliosque usus converterunt; saepe etiam negligentia cultoris integra vinea vel pars ejus desolabatur, praestatione priori Juris Montani eidem nihilominus inhaerente, saepe convulsio metarum, vel non accurata illarum designatio malis vicinis ansa fuit optata, vineas suas cum injuria aliorum amplificandi, quin tamen propterea Juris Montani plus praestarent; – saepe demum permutatio

(cambiatio) venditio, legatio partis vinearum, vel divisio earundem, inter consanguineos praeprimis, et hanc comitans partitio Juris Montani eisdem inhaerentis proportionem inter quantitatem vineae et praestationem illius turbavit. Per haec aliaque adjuncta tantopere quantitas Juris Montani initio determinata, mutata est, ut nunc videre sit vinicolas octies fere majoris extensionis aream possidentes aliis, minorem tamen his quantitatem Juris Montani praestare. a) – Regulatio Juris Montani pro scopo habet, malam hanc proportionem sufferre, et ulteriorem reductae justae proportionis inter extensionem areae, et praestationem Juris Montani depravationem impedire, seu ut clarius rem adhuc exprimam, Regulatio haec pacto condam inter dominum, et vinicolam inito determinatam Juris Montani praestationem singulorum vinearum possessorum ad antiquam mensuram reducere, hanc accuratius adhuc definire, et ab omni ulteriori adulteratione tutam reddere conatur, instituendo videlicet vinearum dimensionem geometricam, et extensionem arealem unius fossoris, in se vagam, et indeterminatam, in orgiis quadratis exprimendo. Hoc autem fieri posse, imo et ab ipsis vinicolis justo plus gravatis, et domino quoque terrestri jure postulari, lex et naturalis pacti, et positiva (articulus 79 1715) in clausula illa non satis clara: „praeterquam respectu extensionis in fundorum cultura comperiendae," ut saltim usus et praxis illam interpretatur, innuit. Dico ut usus et praxis illam interpretatur; potest enim, et ut mihi quidem videtur, multo naturalius, et contextui toto convenientius ita quoque intelligi, quod tantum tunc augeri possit Jus Montanum, si et ipse fundus,

unde illud desumitur quoad extensionem suam per accessionem novam augeatur, a proportione videlicet accessionis hujus. Quae interpretatio ex toto contextu legis mihi quidem suapte fluere videtur. Secundum hanc vero interpretationem Regulatio Juris Montani tantum tunc ductu clausulae illius locum haberet, si Subvineta quoque successu temporis in Vineas conversa, vel has ex circumjacentibus plagis exstirpatis, et vitibus implantatis quoad extensionem suam amplificatas fuisse, Dominus terrestris evincere posset.

E praemissis sequentia corollaria deduci possunt:

1-o Regulationem Juris Montani generatim fundamentum justitiae in primaevo pacto, quod etsi non scriptum, aut traditione conservatum existat, supponi tamen semper prudenter debet, et in permissione legis citatae, si non directa (ut mihi quidem non videtur) indirecta saltem, quod videlicet ipsam Regulationem fieri diserte haud vetet, habere.

2-o Regulationem Juris Montani non in auctione ejusdem consistere, neque consistere posse, lege id expresse vetante; verum saltem in reductione ad quantitatem per pactum primaevum defixam, excepto casu accessionis, quam fundus in culturam juxta illud datus cum tempore nactus est, habita videlicet in auctione hac et fundi accedentis, et cynosurae jam praeexistentis quoad quantitatem Juris Montani, ratione.

a) Ut haec experientia quoque confirmem, exscribo hic Extractum authenticum in Processu quodam Regulatorio ad probandam hanc malam proportionem productum. Secunda rubrica de-

signat extensionem vinearum secundum jugera e Libro Funduali authenticato, tertia vero quantitatem Juris Montani in urnis, et mediis posoniensibus a vineis respectivis praestitam, et e Registris Juris Montani desumtam.

Vinicolarum Nomina	Jugera		Urnae	Mediae
N. N.	6 6/8	. . . . . .	1 1/4	10
—	7 6/8	. . . . . .	1/4	2
—	21 7/8	. . . . . .	3 —	—
—	12 5/8	. . . . . .	2 1/4	9
—	10 7/8	. . . . . .	2 —	12
—	1 1/8	. . . . . .	1 1/4	15
—	7/8	. . . . . .	1 —	—
—	5/8	. . . . . .	3/4	9
—	6/8	. . . . . .	1 —	—
—	1 5/8	. . . . . .	2 3/4	9 2/1

§ 30.

De reducenda Proportione inter quantitatem Vineae et praestationem Juris Montani ei correspondentem.

Ita stabilito unice possibili fundamento justitiae Regulationis Juris Montani; illa nunc occurit quaestio, quomodo instituenda sit Regulatio, ut justitia haec theoriae in praxi non laedatur? Alter est modus *a)* si quantitas musti pro quantitate vineae unius fossoris praestanda determinata sit; alter item *b)* si quantitas haec determinata non sit.

a) Si contractus (conventio) existat scriptus, vi cujus quantitas ab uno fossore obveniens determinata, aut haec saltim nota adhuc traditione sit, totum eo recidit, ut arealis extensio fossoris ad orgias quadratas reducatur, vel instituta proba accurata, et authentica in territorio vinearum regulandarum, vel vero, si promontorium quoddam vicinum, aut plura jam

regulata et ejusdem cum regulando quoad situm, et qualitatem glebae categoriae essent, (ita, ut intra idem tempus eadem quantitas vineae in utroque fodi queat) adoptato in illis orgiarum quadratarum unum fossorem constituentium numero, in regulandum quoque translato. Sic v. g. in Dominio Csáktornya occasione Regulationis urbarialis, (1769) instituta per Sedem Dominalem proba comperiebatur, quod unus fossor 94, adeoque 12 fossores 1128 orgias quadratas per diem fodere queant; e reflexione tamen, quod in una, eademque vinea pro ratione temporis, et personarum jam major, jam minor fossorum numerus requiratur, pro 12 fossoribus 1200 orgias quadratas assumsit, a) determinavitque, ut ab singulo cubulo (jugero) quod in 1200 orgiis quadratis defixit, 28 pintae mensurae posoniensis titulo Juris Montani in futurum desumantur. Quae Determinatio in Sedria quoque Comitatus Zaladiensis, et altioribus etiam locis approbata fuit. (Res. Reg. 5-a 7-bris 1771 Nro 5016 Com. Zalad. intimata) - Imo idea haec Taxationis, et Regulationis promontorialis, in aliis quoque gremialibus promontoriis introduci jubetur Resolutione Regia ad Relationem Commissarii Regii Ladislai Balogh 12-a Febr. 1773 Nro 730 Com. Zalad. intimata. b)

Postquam numerus orgiarum ad unum fossorem obveniens erutus habetur; cum quantitas musti, ab uno fossore praestandi nota sit, eo ipso ducto calculo erui poterit, quid ab uno jugero pro consvetudine loci jam majori jam minori numero orgiarum quadratarum definiendo, titulo Juris Montani praestari debeat.

b) Si vero quantitas musti ab uno fossore praestanda nota amplius non sit, verum ipsum

Jus Montanum absque omni ad fossorum numerum respectu, omnique norma praestetur, tunc, quia propter nimis magnam discrepantiam inter praestationes singularium possessorum quantitas musti ad unum fossorem obveniens erui non potest; (vide § 29 notam a.) nihil aliud restat, quam ut detractis (quae videlicet probari possunt) prius a Constitutivo vinearum simul sumtarum accessionibus, post primam fundorum inter vinicolas distributionem quaqua ratione evenientibus et Juri Montano hactenus non obnoxiis, praestationum omnium Juris Montani summa per jugera, prius secundum dimensionem geometricam efformata, dividatur, et ita obveniens pro uno jugero quantitas musti determinetur, accessionibus etiam dein applicanda; sic enim et dispositioni legis satisfit, et praestationum aequabilitas obtinetur. Caeterum si promontoria vicina (ejusmodi praesertim, in quibus aeque ante Regulationem quantitas Juris Montani a fossore singulo praestanda nota non erat et quae ejusdem sunt cum regulandis qualitatis) jam regulata existunt quoad Jus Montanum, ab illis quoque norma desumi potest ratione numeri orgiarum fossorem unum constituentium, et praestationis ab eodem, vel jugero uno obvenientis, quod in praxi fere observatur, uti Resolutio Regia ad Relationem Commissarii Regii ad Comitatum Zaladiensem directa superius citata testatur.

Regulatio Juris Montani nonnunquam non tantum ad vineas stricte tales, seu plagas vitibus implantatas, verum ipsa etiam Subvineta (pedes vinearum), quo nomine omnes fundi praeter vineas intra maceriem (cincturam) contenti intelliguntur, extenditur. Ab ejusmodi Subvinetis in aliquibus promontoriis Jus Mon-

tanum, in aliis Census, in aliis vero nihil praestatur. Si jam ante Regulationem Jus Montanum praestitum fuit a Subvinetis, res nullam difficultatem patitur. Si Census ab illis locum habuit, hic in Jus Montanum invitis vinicolis in regula mutari non potest; sed ratione extensionis Subvinetorum, quemadmodum Jus Montanum regulari potest. Si tandem nihil ab Subvinetis praestitum hactenus fuit; an ejusmodi vineae praestationi Juris Montani subjici possint, dubia est plerisque res. Parte ex una usus suffragatur Vinicolis, parte vero ex altera in favorem Dominorum terrestrium ab analogia Res. Reg. ddo. 28-ae 8-bris 1772 Nro 5088 ad Com. Nitrien. directae adstruitur, Subvineta quoque sub conditione praestandi Juris Montani possessoribus, vel potius antenatis illorum concessa fuisse, supponi debere. Consilium R. L. in Processu Regulatorio Promontorii Cserszegh ad Dominium Keszthely spectantis Sententiam Sedis Dominalis et Sedriae principium posterius adoptantis adprobavit. Sedes vero Judiciaria Comitatus Simeghiensis in Processu Regulatorio Promontoriorum Sz. Mihály, Látóhegy etc. etc. supra citato, Sententiam Sedis Dominalis idem principium sequentis ita modificavit, ut 6 annorum spatium concederet vinicolis ad Subvineta vitibus implantanda, quo praeterlapso sive implantatio subsecuta, sive non subsecuta fuisset, Jus Montanum eadem ratione, qua a vineis praestandum esset. Motivum hujus decisi (a Curia quoque Regia approbati) fuit, quod vinicolae ductu Resolutionis supra citatae ad Subvineta vitibus obserenda cogi possint. c) — Id autem per se intelligitur, quod Subvineta tantum illa ad Regulationem hanc trahi possint, quae ad culturam vitium etiam apta sunt, quae

ideo in Executione per judicem in facie loci designari, et signis distingui a reliquis debent.

Contingit porro nonnunquam, ut in certo promontorio, caeterum Juri Montano obnoxio, vineae quoque Nonae et Decimae subjectae reperiantur; tunc igitur vineae hae ex Regulatione exmitti debent, quamvis dimetiri, et conscribi omnino possint, et etiam debeant; imo, si a Subvinetis illarum forte Jus Montanum praestaretur, quoad illud etiam regulari possunt.

Praestationes in naturalibus, vel pecunia, quas praeter certam musti quantitatem vinicolae forte stipulati sunt, velut accessorium Juris Montani eadem ratione prout ipsum principale regulantur, et determinantur. Si tamen praestationes hae praeexistente quoad Jus Montanum Contractu scripto, in illo non sunt promissae, quamvis a longiori tempore desumtae fuerint, adjudicari non solent, verum qua illegales abrogantur. (Processus regulatorii quoad Sz. Mihály Látohegy etc. citati Sententia Sedrialis approbata per Curiam Regiam.)

a) In vineis Budensibus pro 800 org. quad. 8 fossores, adeoque pro 100 org. quad. aeque 1 fossor, quemadmodum et in vineis Vetero — Budensibus; — in promontoriis vero Sopron iensibus pro uno fossore 60 org. quad. testantibus horum Civitatum, et respective Oppidi testimoniis in quodam Processu Regulatorio productis assumuntur. (In promontoriis Balaton-Berény, promontoriis Öreg et Kis Baglas, Késthely etc. etc. vigore Dimensionis Geometricae horum promontoriorum 1783 et 1784 institutae ab uno jugero 1200 ▢ 70 mediae possonien. assumtae, et per Consilium R. ratihabitae sunt. Eandem mensuram approbat Intimat. Consilii L. ddo. 9-ae 9-bris 1772 ad Com. Simegh. intuitu Promontorii Mihalyd. dimissum. Juxta Conscriptionem promontorii Nagy Marton. ad Dominium Csurgó pertinentis

15a Sept. 1772 institutam a singulo fossore 8 mediae pos. praestantur) *) Vinicolae Mihalydienses, et Szándienses a quolibet jugero 1100 □ 2 urnas pos., Bükkösdienses a singulo jugero 800 org. quad. praeter 1/10 adhuc 55 medias pos. praestant, juxta propria attestata, et testimonia, aeque in Processu quodam regulatorio producta. In Regulatione Juris Montani Promontoriorum Sz. Mihály, Látóhegy, aliorumque in territorio Praediorum Sz. Haromságh, Kakonya et Földvár existentium defixa per Sedem Dominalem Dominii Csurgó in 100 □ unius fossoris extensio ad 120 elevata extitit, Jure Montano a singulis fossoribus juxta scriptam conventionem praevigentem in 6 mediis, adeoque ab uno jugero 1200 org. quad. in 60 mediis praestando. In Comitatu Pestiensi occasione Conscriptionum Dicalium 200 et respective 250 org. quad. pro uno fossore assumi solent.

*) Quae parenthesi inclusa sunt, e ralatione mihi constant, adeoque fides non penes auctorem. —

b) Id inter caetera factum est in Regulatione promontorii Cserszegh ad Dominium Keszthely spectantis.

c) Huc quoque pertinet Determinatio Comitatus Simeghiensis ddo. 3-ae Maji 1768 integrum Fundum vineae destinatum, Juri Montano, aut Nonae obnoxium pronuncians.

§ 31.

De Praxi et Processu Regulationis Juris Montani.

Quod attinet Praxim Regulationis Juris Montani: fundamentum hujus est dimensio individualis territorii vinearum regulandarum, a) de qua tam Mappa, quam etiam Liber Fundualis conficiendus. Dimensio ipsa vel ante celebrationem Sedis Dominalis, et latam eatenus Sententiam, vel nonnisi erecto prius Processu regulatorio in

Sede Dominali deliberative determinata suscipitur. Quoad delineationem Mappae ea notanda, quae supra in Rectificatione de Delineatione Mappae notari debere diximus. Liber autem Fundualis potest secundum formam sub M concinnari; rubricae ejus habita utique ratione circumstantiarum localium jam augendae, jam minuendae e praemissis per se clarae nulla uberiori explicatione egent. – Tam ipsa Mappa, praesertim si in Processu circumstantiis ita exigentibus producenda est, nam communiter produci non solet, quam et Liber Fundualis authenticatione egent, quae authenticatio vel in Processu allegative petitur, et deliberative decernitur, vel vero antequam Processus instituatur, per Magistratuales cum Geometra Comitatensi erga recursum Domini terrestris exmissos, vel privative requisitos peragitur eadem ratione, quam in tractatu de Rectificatione vidimus. Forma quoque styli authenticationis tam Mappae quam Libri Fundualis in illo exhibita paucis mutatis, formam dat authenticationis Libri Fundualis, et Mappae promontorialis. – De authenticatione Libri Fundualis solent prout in Rectificatione urbariali vel peculiares Testimoniales produci, vel ipsa authenticatio tantum in fine ejusdem, prout et Mappae subnecti.

Processus ad Regulationem Vinearum est summarius, sicut rectificatorius urbarialis, adeoque Levata secundum formam in tractatu de Rectificatione productam, et indoli ac circumstantiis Regulationis hujus accommodandam instituta, Fiscus Dominalis postulata sua distinctis punctis breviter proponit, Primoribus promontorii in figuram Sedis accitis vernacula explanandis; Fiscus vero Magistratualis, possessoribus vinearum assistens, vel Procurator per

ipsos constitutus, ad illa sua serie respondet, et ita pro et contra allegatis disputant, argumentis tandem et probis exhaustis deliberationi Judicii substernunt, prout id in Processu Rectificationis urbariali obtinere vidimus. In specie Dimensione et Libro Funduali autenticatis, de fundamento justitiae Regulationis disceptatur, ·qua occasione Fiscus Magistratualis vel alter ab adverso agens exhibere solet Combinatorium seu Comparationem praestationum Juris Montani modernarum cum praestationibus quae secundum dimensionem et assumtam in consequentiam ejus clavim, seu cynosuram locum habere deberent, ad demonstrandam vetitam auctionem Juris Montani; Fiscus vero Dominalis producere solet Judiciariam Inquisitionem super aucta vinearum per novas implantationes extensione ad legitimandam auctionem Juris Montani. – Praeter Regulationem Juris Montani solent et alia objecta nexum cum illa habentia velut accessoria in pertractationem eodem hoc Processu sumi, v. g. inductio Articulorum Promontorialium, si nondum existant, vel existentium jam secundum circumstantias temporis modificatio. Articuli ejusmodi solent e reflexionibus pro et contra ideam (projectum) illorum per Dominium exhibitam allegatis, per Sedem Dominalem elaborari, et Sententiae finali adnecti, occasione Executionis promulgandi, et pro observantia expediendi. – Cum porro incolae possessionum domibus suis colonicalibus relictis, quae desolationi et ruinae interim exponuntur, ad promontoria habitatum ire soleant, haecque ratione publicis et dominalibus oneribus se subducere, imo extra consortium pagensium, et vigilantiam loci primorum constituti, vitam licentiosam agere, ceteris vinea-

rum possessoribus damna inferre, effractionibus, furtis, et rapinis ansam, malefactoribus vero asylum non raro praebere consveverint; ad praecavendos hos cum depopulatione possessionum conjunctos excessus Fiscus Dominalis petere solet, ut illi in gremium possessionis habitationem suam transferre jubeantur, morosi vero coactivis etiam mediis, et magistratuali cum animadversione compellantur. b) – Deciduntur dein hoc Processu querelae quoque, quas vinearum possessores nefors adversus Dominium habent ratione objectorum cum vineis correlationem foventium. – Nonnunquam demum circumstantiis localibus ita exigentibus, cum Regulatione Juris Montani conjungitur quoque Rectificatio urbarialis. – Sententia finali lata, Processus per Sedem Dominalem via consveta ad Sedriam refertur, et inde Consilio L. R. submittitur, hoc vero illum nonnunquam, quaestionibus stricte juridicis subversantibus, ad Curiam Regiam pro revisione transmittit, nonnunquam vero pro ratione circumstantiarum comite opinione Suae Majestati decidendum substernit. Occasione Executionis, coram Legali Testimonio peragandae, Tabella Juris Montani arealem extensionem vinearum cujusvis possessoris, ex Libro Funduali desumtam, et admensam ei quantitatem Juris Montani complectens, ac per Legale Testimonium instituta cum illo collatione authenticata, in dupplici exemplari Promontorio regulato, et Dominio pro observantia extradatur. (Intim. Cons. R. L. H. de 23-a Septembris 1805.) Forma Tabellae hujus exhibetur sub N.

Caeterum Regulatio Juris Montani frequens in Hungaria et Croatia, rarius in Slavonia et Banatu locum habet.

a) Si in Promontorio fundi sessionales existant, dimensio eorum quo tempore Posssessionem rectificandam dimetiri curat dominus temestris, utiliter simul instituitur.

b) Statuta Comitatuum quoque id praecipiunt, sic v. g. in Comitatu Zaladiensi existunt eatenus Determinationes Congregationum ddo. 4-ae Martii 1805 Nro 55/5. ddo 14-ae Jan. 1806 Nro 33/10. ddo 26-ae Aprilis 1810 18/9, ddo 24-ae Novemb. 1811 13/10. ddo 4-ae Jan. 1814 Nro 52/1. Vi penultimae etiam Nobiles si in vineis propriis nobilitaribus degentes, et ibi pecora, et altilia alentes vicinis, aliisque damna inferant, ab intertentione pecorum et altilium inhibendi, nihilominus vero excessus committentes a habitatione in vineis arcendi sunt.

CAPUT III.

DE REGULATIONE SILVARUM, ET PASCUI.

§ 32.

De ratione pertractationis hujus materiae.

Regulatio Silvarum et Pascui hic junctim pertractatur; quia in praxi quoque saepe, dum videlicet pascuum in silvis vel integrum, vel parte saltim majori existit, simul regulantur, et regulari debent. Quae tamen alterutri sunt propria, de illis peculiariter agere non abs re fuerit. Igitur primum de principiis in Regulatione Silvarum, dein de illis in Regulatione Pascui tenendis, demum de Procedura in Regulatione utrorumque observanda.

§ 33.

De Principiis in Regulatione Silvarum tenendis.

Regulatio Silvarum hic non generatim, sed tantum relate ad Lignationem urbarialem Colonis competentem pertractatur. Vera ipsius idea est haec, ut Lignationis Colonis competentis quantitas pro domestica eorum necessitate sufficiens, si melioratio et conservatio silvarum aliorumque ex iisdem participantium necessitates illam admittant, secus vero ea ratione et mensura, quam duo illi respectus quoque desiderant, determinetur. Igitur justitia (legalitas) Regulationis hujus jam in ipsa obligatione Domini Subditos Lignatione providendi fundata est; nisi enim quoad hanc certa norma figatur tempestive, fiet citius aut tardius, ut Dominus obligationi huic aut omnino, aut saltim plene respondere non possit. Sed utique non tantum Subditi, quoad rem omnibus necessariam, neque sine peculiari industria conservandam, considerationem subeunt, verum tota respublica, seu ut dici amat publicum. Hujus, non tantum Colonorum interest, ut Silvae in statu illo conserventur, quo omnium necessitates explere possint. Demum Dominus terrestris, qui proprietatis jure gaudet et ex hac manante inspectione silvarum (etiam per Communitatem, vel singulares Colonos ad sessiones suas possessarum) jam vi ejus jure quoque gaudet secundum ideam praemissam silvas regulandi. – Plures igitur jam sunt rationes naturales, quibus Regulatio haec nititur, etiamsi non respiciamus, quid Urbarium, Instructiones Urbariales, Ordo Silvanalis et Leges ipsae moneant. Verum in

omni Regulatione duo respectus in idea memorata contenti, videlicet meliorationis et conservationis silvarum, ac beneficii ex illis Colono competentis, quoad ejus fieri potest, concilientur, oportet, ipsa quoque Instr. Ex. Mag. Cap. V. § 30 id innuente. Quod tamen in praxi magnis saepe laborat difficultatibus.

Lignatio autem Colonis competens, sive focalis, et aedilis, seu instrumentalis, in Silvis porro sive dominalibus, seu communibus, aut sessionalibus, ad propriam, seu domesticam necessitatem sed et tantum illam sufficiens Colonis competit; quaestus gratia enim solummodo, si sine subsistentiae suae praejudicio illa carere non possint, illis peculiari Resolutione Regia admittitur. Igitur ut Dominus obligationi suae competenti Lignatione Colonos providendi satisfacere, et an ac in quantum satis fecerit, evinci possit, quantitas lignorum necessitati domesticae illorum inserviens praevie determinanda est. Determinatur autem quantitas a) Lignationis aedilis, et instrumentalis ex registris plurium annorum de erogatione lignorum ductis, vel vero his non existentibus, ex datis et regulis generalibus, ad circumstantias locales attemperandis. Maximi momenti est determinatio Lignationis focalis Colonis necessariae, quia ejus consumtio maxima, et Silvis maxime etiam exitiosa, si promiscua, et indeterminata sit; quantitas autem annua secundum circumstantias locales, conditionemque Colonorum his necessaria optime eruitur ex fassionibus juratis vicinorum et commetaneorum (primorum), quae si inter se differant, media proportionalis quantitas sequenda erit.

Si Silvae omnino ita comparatae sunt, ut quantitati erutae annue proferendae pares sint,

praeter quantitatem Dominio, publicis forte usibus, ac reliquis quoque jurisdictionatis, et non jurisdictionatis in gremio Dominii vel etiam extra illud degentibus, et ligna pecunia comparantibus necessariam, praesertim si hi sine magno sui incommodo et praejudicio lignis ex Silvis dominalibus propter adjuncta localia carere non possint; illa, nisi aut exmissis Magistratualibus, aut vero Sedi Dominali notitiam utique adjunctorum localium etiam habentibus, excessiva videatur, stabilienda est. Si vero quantitas annua pro domestica Colonorum necessitate hac ratione defixa, e Silvis territorialibus, vel etiam aliis ejusdem Dominii obtineri non possit, sive ob defectum necessariae extensionis, seu etiam ob statum earum desolatum; illa pro ratione extensionis Silvarum, aut status earum desolati, plus minusve restringenda erit ita, ut conservatio aut melioratio Silvarum penes subsistere possit, aut etiam penitus, ad tempus saltim, Colonis neganda. b)

Si quaestus quoque cum lignis exercendus Subditis concessus fuerit, quantitas annua pro illo Colonis indulgenda, mensuram suam e pretio distractionis supputatis supputandis accipit; pretio nempe hoc pro una orgia vel curru eruto, facile concludi poterit ad quantitatem Colonis pro distractione necessariam, ut ex pretio illius tamquam subsidio una cum reliquis vitae sustentandae mediis subsistere possint.

Si Communitas in concreto, vel Coloni ad sessiones suas Silvas excisas habeant, vel illis exscindendae primum essent, eruderata prius quantitate orgiarum in uno jugero (certo numero org. quad. definito) secanda; tot jugera seu Communitati in concreto sive Colonis singillative pro Lignatione assignanda erunt, quot seu

quantitati lignorum Communitati in concreto, sive Colonis singillativis necessariae procreandae sufficiunt, si videlicet Silvae, et quoad extensionem, et quoad statum suum id patiantur, secus vero aeque restringenda, quantum Silvarum restauratio, et conservatio, ut etiam Domini, et publicis, et reliquorum, qui Lignatione ex Silvis dominalibus carere non possunt, necessitatibus satisfiat, exigunt. c)

Beneficium Glandinationis tanquam accessorium sequitur Regulationem Silvarum, et prout haec desiderat, jam generatim, jam sub restrictione admittitur, jam etiam penitus interdicitur.

Conservatio autem et melioratio Silvarum duplici praeprimis ratione juxta artem silvanalem obtineri potest. – Dividitur nempe Silva prius dimensa (dimensio basis est omnis methodi emendandae, et conservandae silvae) in tot partes, quot videlicet necessariae sunt, ut singulis annis parte ejusmodi caesa, post ultimam prima iterum caedi possit. Haec methodus rarius cum bono successu adhiberi potest, quia videlicet ob promiscuam Lignationem communiter et ante, (et modo etiam) adhibitam, status silvarum rarius in omnibus partibus aequalis est. – Altera methodus longe securior, et aptior est Taxatio, seu determinatio provenientis ex Silva quantitatis lignorum fundamento mensurae orgiarum, qua eruderata in Silvis sectiones regulatae induci, et ratione magnitudinis, formae, orientationis etc. etc. ita adaptari debent, quemadmodum finis naturalis succrescentiae intuitu speciei, statusque Silvarum, qualitatis arborum, et terreni id exigit. Caeterum hujus rei uberior enucleatio intra ambitum artis silvanalis quaerenda est. d)

a) Ad praecavendos abusus praevia ejus relate ad singulares Colonos determinatio nec possibilis facile, nec necessaria est, cum utique casus necessitatis manifeste se prodat, et pro quibus aedium partibus ligna Colonis competant, determinatum sit. Idem quoque intelligendum est de Lignatione instrumentali.

b) Sic videmus pro ratione extensionis, et status Silvarum, necessitatis item Colonorum diversae, Lignorum quoque Focalium quantitatem diversam iisdem ejectatam fuisse, v. g. in Comitatui Castriferrei adjacente, et ad Dominium Vép pertinente Possessione Szőlős cuilibet Colono 9 currus pro anno emensi habentur, quod altioribus quoque locis approbatum est. — In Dominiis Principatus Eszterhaziani, Comitatui Soproniensi adjacentibus, singulis integrae Sessionis Colonis 6 orgiae dantur, tempore hyemali in praestituto termino, locoque designato ab ipsis caedendae, et avehendae; evoluto sectionis termino, citra peculiarem Dominii indultum, fine Lignationis Silvas ingredi cautum est. — In Dominio Csáktornya (Muraköz) in Comitatu Zaladiensi sito, per Sententiam Sedrialem sub praesidio Commissarii Regii in re urbariali ad dictum Comitatum delegati anno 1769 latam, pro quolibet integrae sessionis Colono 4 orgiae, et sic a proportione reliquis; pro una vero domo inquilinari una orgia lignorum focalium per annum determinabantur. Caeterum an Subditi in dumetis virgulta in supplementum necessitatis suae pro foco colligere valeant, ad beneplacitum Dominii referebatur.

c) Ad recursum Comitis Francisci Szétsényi (pl. titt.) ad Universitatem Comitatus Castriferrei fine eo porrectum, ut Universitas Magistratuales pro capienda Oculata Silvae Nagy Erdőd Possessionibus Iván, Ujkér, Lövő, et Kövesd contiguae, et in illa his titulo Lignationis, et Pascui certa plaga exscindenda exmitteret, quo magis in reliqua Silvae parte regulare lignicidium induci, et per id publicum magis provideri possit; Substitutus Vice-Comes, Districtualis Judlium, et Geometra exmittebantur, qui ad quamlibet integram colonicalem sessionem habita silvarum qualitatis, earumque status desolati, mediocris,

et optimi ratione 15—10 et 8, pro Inquilino vero aeque reflexe ad Silvae qualitatem (statum mediocrem et optimum) 2—1 1/2 jugera, exscindebant, quae in Pascuum quoque illis imputata fuerunt.

c) Vide Forsthandbuch oder Anleitung zur deutschen Forstwissenschaft, von Ludwig Wallrad Medicus. Tübingen 1802, pag. 30 et seq. pag. 461 et seq. pag. 500 et seq. Praeter citatum opus legi adhuc eatenus cum utilitate potest Franz Fusz, Unterricht zur Aufnahme, Eintheilung, und Abschätzung der Wälder. Prag, 1794.

§ 34.

De Principiis in Regulatione Pascui tenendis.

Urbarium Hung. et Croat. (C II. § 3) praecipit, „ut Pascuum pro pecoribus Subditorum, in quantum situs territorii admittit, sufficiens ordinetur," idem quoque praecipit Urbarium Slav. (Punct. regulat. 6 to), quam Pascui sufficientiam ductu conscientiae suae, habita pro mensura conservandae contribuentis plebis condigna ratione in facie loci dijudicare obligabantur Exequentes Magistratuales occasione primaevae Regulationis Urbarialis (Instr. Ex. Mag. C V § 22). Regulatio igitur Pascui ideae huic se accomodare, eandemque accuratius adhuc determinare debet, secus fundamento justitiae carebit; accuratius vero determinare non potest secus, nisi numerus pecorum per Colonos secundum qualitatem sessionum intertenendorum prius defigatur, et quidem secundum adjuncta peculiaria cujusvis loci; nam agriculturae, et rei pecuariae ratio, quae in diversis regni partibus diversa est, situs item, extensionis, et fertilitatis Pascuo-

rum discrepans ratio, jam majorem, jam minorem, jam hanc, jam aliam pecorum, pecudumque speciem desiderant et patiuntur. Huic igitur numero, et speciei Regulatio Pascui semet accommodare debet, ut ideam memoratam assequatur. a) Numerus autem pecorum et pecudum pro quavis specie hactenus intertenta (et Regulatione silvanali, vel Resolutionibus Regiis, aut Lege non prohibita) relate ad sessionum qualitatem eruitur e numero pecorum, et pecudum Colonorum v. g. integrae sessionis in unum addito, et eruto inde medio proportionali, qui numerus erit normalis intertenendorum pecorum pro integrae sessionis Colono quovis; eadem ratione pro mediae, quartae, et reliquarum sessionum Colonis, ac respective Inquilinis numerus intertenendorum pecorum, et pecudum cujusvis speciei defigitur. Nonnunquam quantitas pecorum et pecudum pro integrae sessionis Colono determinata regulam quoque ponit reliquis Colonis mediae, quartae, et sic porro sessionum, ita ut media et respective quarta et sic porro pars numeri pecorum pro integrae sessionis Colono definiti, illis interteneri admittatur. Quod tamen non videtur satis congruum, et saepe vix in effectum deduci potest. (vide Determinationem Sedis Dominalis Dominii Veglyes) Quia vero numerus pecorum per Colonos intertentorum variat pro ratione annorum, plures quoque anni et quidem distantes magis ab invicem in calculum sumi, horumque Conscriptiones dicales quoad numerum pecorum, et pecudum excuti solent. Defixo ita numero investigandum est, an omnino Pascuum illi alendo etiam sufficiat? hoc autem non solet implicato aliquo, et subtili calculo b) erui, sed quemadmodum in similibus casibus fieri consve-

vit, per vicinorum locorum primores fide jurata determinari, et quidem relate ad numerum certum, vel singula frusta pecorum ex singula specie (Res. Reg. ddo 4-ae Febr. 1767, et 16-ae Junii 1786), et secundum hanc cynosuram quantitas Pascui vel ad quamlibet sessionem juxta qualitatem ejus et praevie jam determinatum numerum pecorum et pecudum ex qualibet specie ei correspondentem, vel tantum in summa pro communi usu geometrice exscinditur, quo casu tamen Colonis singularibus ultra determinatum numerum ex specie qualibet in communi Pascuo alere vetitum est. Caeterum si Pascuum pluribus, quam ita erutus medius proportionalis numerus exhibeat, pecoribus, et pecudibus alendis sufficiat, solet ille adhuc pro ratione circumstantiarum augeri, et ita largius omnino determinari, quemadmodum ipsa quoque quantitas Pascui pro quovis pecore, et pecude per vicinos adinventa. Si vero Pascuum praevigens alendo hac ratione determinato numero pecorum et pecudum non sufficeret, illud in quantum circumstantiae locales admittunt, augendum est in tantum, ut alendo numero determinato sufficiat. – Nonnunquam numerus pecorum, et pecudum non relate ad qualitatem sessionum in specie, sed tantum in genere, quoad Communitatem in concreto, determinatur, et ita Pascuum, defixa pro quovis pecore, et pecude certa quantitate illius, regulari solet. In Banatu quantitas Pascui secundum qualitatem Sessionis accurate in jugeribus determinata habetur (C 1 § 2.) c)

Ne Pascua alioquin insufficientia sub praetextu plantationis Silvarum restringantur, eatenus Lex (20 1807) curam, et vigilantiam Vicecomitibus, et Jurisdictionibus concernentibus

injungit. Eadem lex determinationem, an et quando in Silvis succisis, aut in culturam secundum artem silvanalem sumtis, Pascuum locum habere possit? iisdem Jurisdictionibus defert, id pro norma statuendo, ut prohibitio Pascui non ultra extendatur, quam apices germinum eam altitudinem attigerint, illudque robur habuerint, ut per pecora depasci amplius non possint, determinationem Jurisdictionis studio excedentem, reum devastationis Silvarum pronuncians; si vero casu pecora in locum prohibitum incurrant, ad damni resarcitionem, et domesticae prohibitionis onus praestandum dominos pecorum obligans. — Admittit porro eadem haec lex, ut proportione inter Compossessores jam inducta, si Silvae nihilominus ob reservatum in iisdem commune Pascuum excoli nequirent, illi ratam suam in sectiones dividere, et eandem juxta memoratam supra normam prohibere possint; in terrenis tamen impopulatis omnem hac ratione praehabiti Pascui usum praecludere, aut illum impeditum reddere vetat, et ita rem attemperari praecipit, ut et usus Pascui, illeque expeditus, et conservatio ac restauratio Silvarum penes subsistere possint.

a) Pro ratione harum circumstantiarum diversam quoque quantitatem Pascui in diversis Comitatibus, diversis item ejusdem licet Comitatus locis Colonis emensam videmus. Ita e. c. pro una integra Sessione, et sic a proportione reliquis Incolarum Kabajensium ad Dominium Derecske Comitatui Bihariensi ingremiatum, spectantium, pro Pascuo fixo emensae sunt 18104 org. quad. (Nro aul. 11101 1809). — In Dominio Mako ad singulam sessionem pro Pascuo obveniunt 25 jugera. — In Magyar Kakuts (Comitatus Bihariensis) praeter arvum, pro Pascuo ter-

ra 12 cubulorum post singulam Sessionem colonicalem excisa est. (Nro loc. 3918 1812) In Dominio Vajszló, Possessionibus Vajszló Hidvég, Samod, Besentze, et Paprad (Com. Barany.) ad integram Sessionem 25—30—35 jugera in silvis secundum Regulationem earundem approbatam, in caeteris Dominiis 9—10—12 jugera assignata sunt. (Nro loc. 9627 1812.) — In Oppido Sárd (Comitatus Simeghiensis) 34 Sessiones integras numerante (pro qualibet 10 jugera et horum singula a 1200 org. quad. calculantur) Pascuum commune harum, et Inquilinorum etiam 355 jugera efficit. (Nro loc. 155 1814.) — In Possessione Papocza (in Comitatu Castriferrei), ubi 31 integrae sessionis Coloni sunt, juxta dimensionem geometricam Pascuum commune facit 2246 vervactum 1153, et prata 602 jugera. (Nro loc. 22284.) (Vide Pauly pag. 60-a seq.) — Idem in bene regulatis cameralibus, ac aliis dominiis competentiam Pascui relate ad unam integram Sessionem colonicalem in 6000 org. quad. defigi solere (?) affirmat.

In Dominio Principatus Eszterhaziani Veglyes Comitatui Zoliensi ingremiato secundum Desisum Sedis Dominalis integrae sessionis, et sic a proportione mediae, quartae, octavae Colonus jugalia pecora 8, vaccas 4, setigeros 10, oves ad beneplacitum Dominii aliquot; Inquilinus vero eundem numerum quem octavae sessionis Colonus intertenere potest. Deciso hoc per Consilium R. L. H. cum modificatione, ut Inquilinus plura quam octavae sessionis Colonus, et pauciora quam quartae sessionis Colonus servare possit pecora, approbato.

b) Vide Grundsätze der rationellen Landwirthschaft von A. Thaer. Für die österreichischen Staaten bearbeitete einzig rechtmässige Ausgabe. Fünfter Theil. Wien. pag. 137 seq.

c) In Processu urbariali Oppidanorum Veszprimiensium (Nro loc. 6926, 1792) excussis 3 annorum 1780, 1789 et 1791 dicalibus Conscriptionibus, erutus ex iis numerus pecorum, et pecudum, in specie: 56 boum, 133 equorum, 103 vaccarum, 26 juvencorum, 7 vitulorum, 7 hinnulorum, 18 setigerorum, e reflexione, quod Oppidum Veszprém sit locus transennis, variisque praejunctu-

ris continuo quasi obnoxius, ad sustentanda facilius onera publica, ad duplum, setigerorum vero ad 100 elevatus extitit. Huic summae 674 frustorum adjectis aliis 337 per Communitatem nobilem intertenendis; (nam beneficium Pascui, a proportione beneficii educilli, Communitati contribuenti aeque in 2/3; nobili vero in 1/3 competentis, regulabatur inter utramque) Ad sustentationem hujus numeri juxta generalem ideam etiam per decisiones curiales approbatam (1749 Urbarium per Sedriam elaboratum, et per Curiam Regiam approbatum in Oppido Veszprém inductum est) pro uno quovis pecorum frusto 3 jugeribus urbarialibus 2 metretarum posoniensium capacibus adeoque pro 1011 pecoribus 3033 jugeribus determinatis, Pascuum praevigens juxta dimensiónem 4222 jugerorum sufficiens, nec augendum amplius adinveniebatur. Ovibus et Capris gremialium nobilium, salvo tamen jure Curialistarum, quemadmodum Subditorum abrogatis.

§ 35.

De Procedura in Regulatione Silvarum et Pascui observanda.

Regulationem Silvarum, et respective Pascui Dominus terrestris vel propria auctoritate instituit, vel exmissionem petit ab Universitate concernentis Comitatus Magistratualium, qui eandem peragant (prout supra memorata Regulatio relate ad silvam Nagy Erdőd perhibet.) Verum Regulatio haec privata vel magistratualis tantum ibi fere locum habet, ubi magna est copia Silvarum, et ideo Subditis etiam large de Lignatione provideri potest, quin illis ansa sit vel minima de non sufficienti Lignationis vel Pascui quantitate querendi, aut querelis ortis etiam, illae tanquam infundatae facile superari possùnt. Ubi autem Silvae vel angustiores, vel

vero non in statu optimo sunt, ita, ut Coloni in Lignatione hactenus exercita, et usu Pascui, vel restringi, vel vero etiam pro ratione circumstantiarum a Lignatione, et beneficio Glandinationis penitus excludi deberent; Regulatio in Sede Dominali suscipienda, Processu summario per Fiscum Dominalem eatenus erigendo, in quo Colonis assistentia quoque Fisci Magistratualis per respectivum Comitatum resolvitur. Ad essentiam hujus Processus pertinet Assumtio, et Dimensio Silvarum regulandarum, quae ante motum Processum terminanda est, ne secus Processus diutius adhaereat, et de qua etiam Mappae accurate juxta regulas artis silvanalis confectae producendae sunt per Fiscum Dominalem. Ex illis et status Silvarum quoad diversas plagas majores, et etiam idea ipsius Regulationis, quam Dominium in effectum deductam (realisatam) habere vult, clare visibilis esse debet. Mappae autenticari debent per exmissum a Sede Dominali Legale Testimonium, et Geometram Comitatus eatenus requisitum (ac etiam juratum Silvarum Magistrum), si earum autenticatio jam ante erectum Processum peracta non fuit. Et quidem autenticatio haec tam quoad statum, et dimensionem generatim, quam et ideam (projectum) Silvarum Magistri, et respective Geometrae Dominalis, vel privati suscipienda est. – Fiscus Dominalis provocando pro fundamento legali petitae Regulationis, Urb. C VIII. § 7, 8; Urb. Ban. C III. § 1, 2-o; Urb. Slav. P. I, 8-o; Ordinis Silvanalis § 47; art. 57 1791, art. 20 1807, calculo arithmetico necessitatem Regulationis Silvarum juxta praemissam ideam evincere conatur, conferendo quantitatem lignorum annuam in Silvis hucusque caesam, cum quantitate illa per Silvarum Magistrum

(Taxatorem) eruta, quae secundum extensionem et statum Silvarum, ut restaurentur, et conserventur, caedi posset; in consequentiam illius petit, ut secundum ideam exhibitam Regulatio Silvarum determinetur. Fiscus Magistratualis difficultates, et reflexiones, quas babet, obmovet contra petitum Fisci Dominalis, et secundum has ideam illam modificari petit. Probis et argumentis ab utrinque exhaustis Sententia fertur, quae more in Processibus urbarialibus consveto ad fora competentia appellatur. a)

a) Faciam forte operae pretium Practicis, exhibendo hic synopsim Processus Regulationis Silvarum, et Pascui Dominii Pétsvárad ad fundum Studiorum pertinentis, et 29 nunerantis Possessiones, 31-a Aug. 1798 Sententia Sedis Dominalis terminati, diligentissime inter omnes, quos vidi, elaborati.

Pro norma Regulationis assumebantur tria principia per Suam Majestatem quoque praevie approbata, haec nempe:

1-o Ut Tonsurae in Silvis capitalibus introducantur; Subditi autem duntaxat Lignatione illa contententur, quam Tonsurae suppeditaverint, omnisque alia extra Tonsuras, exceptis aridis lignis, et his etiam modo per Silvarum Magistrum praescribendo colligendis, interdicatur.

2-o Ut Pascuum pro singula Communitate in facie loci definiatur, (*) et si compertum fuerit, illud etiam extra Silvas sufficiens esse, Silvae penitus reserventur, secus nonnisi pars aliqua, quae ad Pascui sufficientiam requiritur, assignetur.

3-o Ut qualiscunque sit Pascui extensio, illud in plagis, ad quas pecora secundum artis silvanalis regulas impelli non possunt, penitus interdicatur, donec secundum artis peritorum judicium, ad illas pecora rursum immitti possunt.

In consequentiam horum principiorum Silvae et Pascuum Possessionum: Vasas, Pétsvárad, Várkony, Varasd, Rátzmetske, Feked, Vemend, Szür, Liptód, Kis Nyárad, Kékesd, et Berkesd ita regulata exstiterunt, ut pars Silvarum singulae fere Possessionis pro reservata, (pro privato Dominii usu) declararetur, parte altera pro Pascuo, et Lignatione, Possessioni concernenti relicta ita tamen, ut in hac decennales Tonsurae ambulatoriae inducerentur, adeoque pro his certus numerus jugerorum continuo a Pascuo subtraheretur, juxta Schema infrascriptum. — In hoc Schemate 1-a Positio exhibet numerum Jugerorum (a 1200 org. quad.) integrae Silvae Possessionis concernentis, 2-a ostendit numerum jug. reservatae pro privatis Dominii usibus, 3-a notat numerum jug. Silvae et Pascui simul communis pro concernente possessione relicti, 4-a exponit numerum jug. singulo decennio in Tonsuram ambulatoriam convertendorum, adeoque a Pascuo Communi subtrahendum. 5-a designat numerum jug. (detracta Tonsura 4-a Positione occurrente) ad singulam sessionem titulo Pascui obvenientem.

Possessio Vasas 41 5/8 Sessionum.
1675 3/8 — 866 5/8 — 808 6/8 — 169 1/8 — 15 1/8.

Oppidum Pétsvárad 91 6/8 Sessionum.
2654 — 1117 6/8 — 1536 2/8 — 307 — 13 4/8.

Possessio Várkony 47 7/8 Sessionum.
1933 2/8 — 1085 — 248 2/8 — 169 7/8 — 14 2/8.

Possessio Varasd 20 Sessionum.
565 6/8 — 305 3/8 — 260 — nihil — 13.

Possessio Rátz Metske 56 4/8 Sessionum.
3274 4/8 — 1919 4/8 — 1355 — 541 — 14 4/8.

Possessio Feked 39 Sessionum.
579 6/8 — 1233 4/8 — 746 2/8 — 158 2/8 — 14 4/8.

Possessio Vemend 120 4/8 Sessionum.
2689 7/8 — 895 5/8 — 1793 2/8 — 358 4/8 — 11.

Possessio Szür 32 6/8 Sessionum.
441 3/8 — nihil — 441 3/8 — 63 3/8 — 11.

Possessio Liptód 45 Sessionum.
860 7/8 — 51 — 809 7/8 — 120 — 15.

Possessio Kis-Nyárad 35 Sessionum
471 1/8 — nihil. — 474 1/8 — 61 2/8 — 12.

Possessio Kékesd 31 1/8 Sessionnm.
420 7/8 — 147 5/8 — 273 3/8 — nihil — 9.

Possessio Berkesd 84 2/8 Sessionum.
966 6/8 — nihil — 1070 6/8 — 122 6/8 — 10.

Pascuum singularum fere Possessionum in hac Regulatione auctum fuit, plagis etiam nonnunquam extra ambitum Silvae sitis, siquidem illud teste oculata judiciaria in quantitate ante Regulationem susceptam praevigente pro insufficienti compertum fuit.

Ita regulato Pascuo teste oculata judiciaria (Testimonii Legalis) pro sufficienti eo magis adinvento, quod Dominium terrestrale de praesenti cousum Pascui nullibi haberet, et plerarumque Possessionum terrae in tres calcaturas divisae essent; — ut illud sive cespitale, seu silvanale per exscindendas lineas a Silvis capitalibus Sententia mediante pro reservatis declaratis, et alioquin in toto fructiferis, ac nunc primum adolescentibus, adeoque sensu Urbarii Lignationi haud subjacentibus segregetur, determinabatur, Colonis, prout et eorundem pecoribus ab omni prorsus usu tam reservatarum Silvarum, quam etiam in Silvis pascualibus instituendarum decennalium ambulatoriarum Tonsurarum penitus exclusis.

Quoad Lignationem tam focalem quam aedilem et Glandinationem determinabatur:

1-o) Ut non obstante eo, quod oculata judiciaria et projectum Silvarum Magistri Silvas quoque Possessionum Vasas, Pétsvarad, Varkony, Ratz-Meiske, Feked, et Vemend, admodum exiles esse referant; tamen Coloni harum Possessionum velut in radicibus Silvarum habitantes Lignatione focali e remanentibus in Tonsuris ultra necessitatem Dominii arborum frondibus, truncis item evellendis, nec non in pascualibus Silvis ex aridis, et humi jacentibus lignis porro etiam provideantur, ea tamen ratione, ut Lignationem hanc focalem sensu Ordinis silvanalis nonnisi tempore, et modo per Silvarum Magistrum praescribendis instituere valeant; Lignatio vero adilis in Tonsuris tantum sensu Urbarii, in evidenti necessitatis casu; beneficium tandem Glandinationis in regula extra Tonsuras solum, in his vero, si succrescentibus germinibus, et propagationi Silvarum impedimenta per eam non ponerentur, locum habeat.

2-o) Possessiones: Babaratz, Maráza, Kéménd, Versend, Bozsog, Szebény, Fazekas, Boda, Lovász-Hetény, Szilagy, Rumánya, Elénd, Pereked, Hird, Pusztafalu, Monyóród, Szajk, et Szederkén, aut plane nullis, aut vero admodum exiguis, iisque recentius succrescentibus territorialibus Silvis provisae, in praehabito Pascui usu usque eo etiam, donec earundem Silvae territoriales ad maturitatem et statum illum, ut hae quoque regulari possint, pertigerint, relinquantur; quoad Lignationem vero una cum regulatis Possessionibus: Varasd, Szür, Liptód, Kis Nyárad, Kékesd, et Berkesd aeque exiguis, iisque insufficientibus, ac recentius succrescentibus, adeoque pro Lignatione seu focali, sive aedili haud aptis Silvis territorialibus provisis, — Silvis dominalibus, teste oculata judiciaria, et calculo Fisci Dominalis in nexu projecti Silvarum Magistri exhibiti, alioquin extreme desolatis et interitui proximis, — tam ab aedilis, quam et focalis Lignationis beneficio semel pro semper removeantur, simul ab onere sectionis, compositionis item in

orgias, ac vectionis ad rationem Dominii ligno rum urbarialium releventur. Ita Sedis Domina lis Sententia.

Sedes Judiciaria Comitatus Baranyiensis (22-a Jan. 1799) sententiam illam relate ad sufficientian Pascui illo etiam e motivo, quod in singula Pos sessione a proportione Sessionum vervactum (ar vum) quidem a primo vere usque finem mensi Maji, stipuleta a mense Augusto, prata demun post foeni, — et respective cordi — secium pr Pascuo Colonorum subserviant, approbavit; quoa Lignationem vero focalem et aedilem 6 Posses sionum memoratarum: Vasas, Pétsvárad etc. etc quae, ut Sedria asserit, qua territorialibus Sil vis provisae erga onus consectionis, compositio nis, et convectionis lignorum orgialium (Senten tia dominalis de hoc onere tacet) in utraque tan nimirum focali, quam aedili Lignatione praeha bita, sententia dominali mediante relinquuntur ita modificavit, ut si excisae pascuales Silvae et Tonsurae his inclusae, sufficientem Lignatio nem tam focalem, quam aedilem praebitura haud fuerint, Coloni ad reservatas etiam domi nales in sensu Urbarii admittantur.

Tandem Sua Majestas (26-a Aprilis 1799 Nr 4238) opinionem Consilii R. L. H. (19-a Marti 1799 Nro 5801) depromtam, velut in essenti cum deciso Sedis Dominalis, et Sedriae con sentientem eo addito approbavit, ut si succes su temporis per regulationem modernam Silva rum sufficiens provisio beneficii Lignationis fie ri poterit, relate etiam ad contribuentes illarun Possessionum, in quibus actu sufficientes pro hu jusmodi Lignationis beneficio Silvae non existunt iisdem erga consvetam urbarialem obligationen beneficium Lignationis focalis et aedilis suo tem pore tribuatur.

*) Igitur hic Pascuum non a numero pe corum, et pecudum per Colonos intertenendo rum, sed tantum judicio oculorum exmissi Le galis Testimonii determinabatur.

A.

Infrascripti praesentibus fidem facimus, quod
os virtute grasiosae I. Comitatus N. erga suppli-
m N. N. recursum sub Generali die — — — ce-
)rata Congregatione latae determinationis, inque
dem fundati Sedis Dominalis decisi, fine authen-
andae, in praesuscepto per Praetitulatum Domi-
m N. N. in gremio Dominii sui N. Urbarialis Re-
ficationis opere, Dimensionis, atque conformiter
ic elaborandae Tabellae Urbarialis exmissi, anno
die — et subsequentibus mensis — ad faciem lo-
rum eidem Dominio jurisdictionatorum, in spe-
autem ad Possessionem N. exeuntes, convocatis
ievie Possessionis attactae Incolis, et adhibitis ex
inis Possessionibus Primoribus, qualitatem terri-
ii noscentibus, utpote ex Possessione N. — N. N.
lice, N. N. et N. N. Juratis, exmissionisque no-
ae scopo decalarato, ut in effectum hujus justa Di-
nsio geometrica institui, atque subseque per nos
henticari queat; Classificationem Diverticulorum
eodem territorio existentium urbarialiter prius
ndum intervenientem (Classificatione caeterum
ierali totius territorii in respectivo Urbario defi-
, atque ibi attributa ad unam sessionem urbaria-
ı tam ex intra-, quam extra-villanis fundis, agris
ippe, et pratis competentia pro Constitutivo ses-
nali, illibate relictis) sumto respectu ad Quali-
em Glebae, et ad reliqua concomitantia Benefi-
, et Maleficia, ad exigentiam B. Instructionis Ex.
g. Cap. I. § 2, et Cap. II. § 9, in praesentia ex-
ssi Ord. Fisci Magistratualis N. N. Colonis assi-
ntis, auditis sufficienter tam Incolis N., quam et
enominatis Convocatis, juramento praevie obstri-
s, sequenti ratione instituerimus. — Agros in Di-
ticulo N. signanter in parte ejus orientali et se-
ntrionali sitos, tam propter proximam Posses-
ni vicinitatem, ac proinde facilem culturam, quam
im propterea, quod et glebae bonitate se com-
ndent, nec Maleficio alicui obnoxientur, ad 1-am
ssem, in qua Jugerum a 1100 □ defixum habe-
, in parte autem ejus occidentali habitos, etsi hi
im tanquam Possessioni viciniores facile coli pos-

sint, quia tamen gleba modice lapillosa est, ad 2-am Classem Jugerum a 1200 □ exhibentem; — agros porro in Diverticulis N. — N. — N. — N. existentes, etsi secus nulli Maleficio, quam quod a Possessione modice remotiores sint — prout et agros in Diverticulis N. — N. — N. — aeque nulli Meleficio, quam quod pluvioso tempore stagnationi aquae certa in parte subjecti sint, obnoxios, pariter ad 2-am Classem, Jugerum utpote a 1200 □ computando, agros denique in Diverticulis N. — N. — N. — quia non solum a Possessione remotiores sunt, verum insuper glebam etiam magis glareosam continent, et in parte Maleficio siccitatis, in parte vero pluvioso tempore stagnationi aquae obnoxiantur, ad Classem 3-am, a 1300 □ Jugerum assumendo, retulimus. — Postea ad Classificationem pratorum in conformitate B. Instructionis citatae Cap. II. § 3 procedentes, si quidem qualitatem pratorum Possessionis hujus eam esse comperimus, quod in anno semel tantum falcabilia sint, horum in praevie jam extradato B. Urbario intervenientem ad Classem tantum semel falcabilium reductionem, atque huic conformiter singulae sessioni in 8 falcastris admensionem pro futuro etiam defiximus. Quia tamen pro ratione Diverticulorum, respectu sumto ad copiosiorem, fertilioremque graminis procreationem, non modicam differentiam observavimus; ideo, ut justa eruendae capacitatis falcastrorum cynosura haberi, atque id, quotnam orgiae quadratae in respectivis Diverticulis unum falcastrum constituant, adaequate resciri queat, complura in singulo Diverticulo frusta pratorum promiscue assumendo, juxta praescriptam urbarialem normam per eatenus adjuratos partim gremiales, partim extragremiales, vicinos tamen incolas, relate ad quantitatem annue procreandi in iisdem frustis graminis aestimationem instituimus, atque haec pratorum frusta, in quorum singulo pro diversitate Diverticulorum gramen annue in quantitate unius currus commode procrescere iidem fassi sunt, per Geometram Comitatus dimensurari fecimus, ac ex instituta hac ratione proba comperimus, quod in Diverticulis N. — N. — N. — et N. — 1100 □; in Div. N. — N. — N. — 1200 □; in Div. denique N. — N. — N. — et N — 1300 □, falcastrum constituant, ideoque etiam in hac diversa proportione falcastrorum capacitatem in praenotatis Diver

iculis assumendam censuimus. — Et quia in territorio Possessionis hujus Exstripaturae quoque hactenus per Colonos possessae reperiuntur, easdem etiam praemissa ratione ad respectivas Classes revocavimus, atque praedenotatam Classificationem, relate ad tenuta colonicalia sessionalia in agris, et pratis institutam, pro conformium mensurarum observatione, atque elaborandorum Librorum fundualium regula, Officiolatui Dominali extradedimus, relate vero ad Exstrpaturas interventam, pro faciendo in suscipienda per nos ad praescriptum B. Instructionis Urbarialis Cap. II-di §-i 5-i Conscriptione, usu praenotavimus. — Super qua taliter per nos peracta Classificatione hasce damus Litteras Testimoniales. Datum quibus supra N. N. Comitatus N. Ord. Judlium m. p. (L. S.) N. N. Jurassor. m. p. (L. S.)

A. et Nro 1-o.

Infrascripti praesentibus fidem facimus: quod nos etc. etc. (sicut sub A.) sequenti ratione instituerimus. — Agros in Div. N. et N. siquidem Colonorum domibus contigui, facile fimabiles, ac ex natura sua etiam fertiles sint, ad primam Classem, in qua Jug. a 1100 □ computatur, retulerimus, plurimusque in hoc territorio Diverticulis non existentibus, Classificationem hanc nostram Officiolatui Dominali pro faciendo per Geometram Dominalem in elaboratione fundualium Librorum usu extradederimus. — Progressi sumus postea ad Classificationem pratorum, quae siquidem juxta extradatum praevie B. Urbarium ad Classem semel tantum falcabilium relata, competentiaque unius integrae Sessionis cum Falc. exposita fuerit, nec nos alterandae hujus — motivum invenerimus, eadem igitur Classificatione pariter retenta, ut hanc mensurans quoque Geometra dominalis observet, eundem inviavimus. — Super qua etc. etc. N. N. I. Com. N. Ord. Judlium m. p. (L. S.) N. N. adjunctus Jurassor m. p. (L. S.) N. N. I. Com. N. Jur. Geometra m. p. (L. S.)

B

Joannes Gotthár integrae Sessionis Colonus, id est 1 Sessionis													
Nrus		Nomina Diverticulorum	Classis Glebae	Dimensio				Orgiae quadratae	Tenuta				
				Latitudo			Longitudo		Fundi Urbariales			paturae	
Domus	Topographicus			una	alia	media			Fundi intravillani	Agri	Prata	Agri	
				Orgiae					Jugera		Falcastr.	Ju ge	
—	—	Competentia Urbarialis	—	—	—	—	—	—	1	20	6	—	

enutorum Urbarialium Possessionis N. Extractus Summarius

Numerus Domus	Nomina et Cognomina Colonorum.	Sessionis Qualitas	Tenuta Urbarialia			Exstirpaturae	
			Fundi intra-villani	Agri	Prata	Agri	Prata
			Jugera		Fal-caſt.	Jugera	

B Nro 1.

Tempore benigne indroducti Urbarii fundum hunc p[os-]
sedit Andreas Ozimek $\frac{6}{8}$ Sessionis, modo vero pos[si-]
det Emericus Czirkovits $\frac{6}{8}$ Sessionis Nro 5 ***)

Classis **)	Numerus topogr.	Nomen Diverticuli	Orgiae □	Posside[t] in Intravillanis Jug.	$\frac{1}{8}$	in Agris Jug.	$\frac{1}{8}$
		Competentia urbar.	–	–	$\frac{6}{8}$	13	$\frac{4}{8}$
		Intravillanum					
1	26	Fundus Domalis	516	–	$\frac{3}{8}$	–	–
1	26	Hortus .	3019	2	$\frac{6}{8}$	–	–
		Agri					
2	7	In Divert. Ograda	1859	–	–	1	$\frac{4}{8}$
1	69	– Ribnak	2508	–	–	2	$\frac{2}{8}$
1	74	– Ledvenicz	3686	–	–	3	$\frac{2}{8}$
1	244	– Pod rakitu	1380	–	–	1	$\frac{2}{8}$
1	261	– Dolics	1521	–	–	1	$\frac{3}{8}$
1	296	– Dolni dolics	3622	–	–	3	$\frac{2}{8}$
		Prata					
1 *	215	In Div. Tale . .	1968	–	–	–	–
1	223	– – . .	2408	–	–	–	–
1	226	– Pod rakitami	363	–	–	–	–
		Summa		3	$\frac{1}{8}$	12	$\frac{7}{8}$
		Subtracta Competentia habet) supernatantiam		2	$\frac{3}{8}$	–	–
		)defectum		–	–	–	$\frac{5}{8}$
		etc. etc. etc.					

*) 1-a Classis a 1100 □

**) Glebae videlicet.

***) Numerus Domalis.

1.

…quuntur Inquilini Domiciliati qui I. Dominio N. robotas praestant

…	Nomen Diverticuli	Orgiae □	Possidet					
			in Intravillanis		in Agris		in Pratis	
			Jug.	$\frac{1}{8}$	Jug.	$\frac{1}{8}$	Falc.	$\frac{1}{8}$
	In Urbario inscriptus est Nic. Pechek, huic successit Georg. Pechek Nro 3-o.							
5	Fundus Domalis	385	–	$\frac{2}{8}$	–	–	–	–
5	Hortus	485	–	$\frac{3}{8}$	–	–	–	–
9	In Div. Dolnyi Dolics	1653	–	–	1	$\frac{4}{8}$	–	–
	Summa		–	$\frac{5}{8}$	1	$\frac{4}{8}$	–	–
	etc. etc. etc.							
	Sequuntur Inquilini Domiciliati, qui post introductum Urbar. venere, Mart. Minarics Nro 26-o.							
17	Fundus Domalis	350	–	$\frac{2}{8}$	–	–	–	–
	Summa		–	$\frac{2}{8}$	–	–	–	–
	etc. etc. etc.							

B Nro 1.

Numerus Possessoris	R e c a p
	Nomen Possessoris, et Constitutivum ejus Urba
5	Emericus Czirkovits $\frac{6}{8}$ Sessionis . .
6	Michaël Verbanecz $\frac{5}{8}$ Sessionis . .
7	Georgius Korunek $\frac{3}{8}$ Sessionis . .
	Summa Summarum $1\frac{6}{8}$ Session
	Assumptum et calculatum per N. N. per Regnum Hungariae adprobatum et In. I minii N. juratum Ord. Geometram. (L. S.)
	Sequitur Authenticationis recognitio.

l a t i o															
etentia urbar.				Supernatantia						Defectus					
Agri		Prata		Intra-vill.		Agri		Prata		Intra-vill.		Agri		Prata	
Juger.	1/8	Falc.	1/8	Juger.	1/8	Juger.	1/8	Falc.	1/8	Juger.	1/8	Juger.	1/8	Falc.	1/8
13	4/8	6	–	2	3/8	–	–	–	–	–	–	–	5/8	1	7/8
11	2/8	5	–	2	6/8	1	–	–	–	–	–	–	–	–	3/8
6	6/8	3	–	1	5/8	–	1/8	2	2/8	–	–	–	–	–	–
31	4/8	14	–	6	6/8	1	1/8	2	2/8	–	–	–	5/8	2	2/8

B Nro 2.

Conspectus Supernatantiarum et Defectuum															
Secundum antiquam Tabellam Urbarialem					Secundum Dimensionem Geometricam					Supernatantia			Defectus		
Nrus Domus	Nomina et Cognomina Colonorum	Fundi intravil. in Jugeris	Agri in Jugeris	Prata in falcas.	Nrus Domus	Nomina et Cognomina Colonorum	Fundi intravil. in Jugeris	Agri in Jugeris	Prata in Falcas.	Fundi intravil. in Jugeris	Agri in Jugeris	Prata in falcas.	Fundi intravil. in Jugeris	Agri in Jugeris	Prata in falcas.

C.

Infrascripti fidedigne attestamur, quod nos virtute etc. etc. (sicut sub A.) exmissi, 1818 die 30-a 8-bris. atque subsequentibus ejusdem, et 9-bris diebus ad faciem Possessionis N. exeuntes, convocatis praevie Possessionis attactae Incolis, ac exmissionis nostrae merito declarato, authenticationem Dimensionis Geometricae in praesentia Domini N. N. antelati I. Comitatus, et pro assistentia Colonorum exmissi Ordinarii Fisci Magistratualis, modo, et ordine sequenti peregerimus. Exhibita quippe nobis per Geometram Dominalem fundorum tam sessionalium status antiqui, quam et exstirpatitiorum memoratae Possessionis N. Conscriptione, et Dimensione territoriali, Classificationi Diverticulorum, et Aestimationi pratorum jam praevie judicialiter per nos institutae conformatis, cunctos Possessionis ejusdem Incolas provocavimus; an aliquis eorum, et in quo Diverticulo fundorum suorum intravillani, agrorum, et pratorum authenticatoriam Remensurationem institui, ac experiri velit, factaque hac declaratione erga postulata Colonorum remensurationem, et probam medio coexmissi Magistratualis Geometrae N. N. sequenti serie instituendam procuravimus: primo remensuratus est fundus intravillanus N. N., sub Nro domali 1, topographico 140, Jugeri 1; porro sub Nro dom. 20 Viduae N. N. terra arabilis in Div. N. sub Nro top. 71, Jug. 3 4/8; porro suprafati N. N. sub Nro dom. 1 ager sessionalis in eodem Div. N. sub Nro top. 72, Jug. 3 4/8; porro ejusdem N. N. ager exstirpatitius in Div. N. sub Nro top. 65, Jug. 3/8; porro sub Nro dom. 3 N. N. ager, in Div. N. sub Nro top. 61, Jug. 6 1/8; ejusdem porro N. N. terra arabilis in Div. N. sub Nro top. 157, Jug. 3 1/8, porro N. N. sub Nro. dom. 6, ager in Div. N. sub Nro top. 154 Jug. 4; tandem N. N. sub Nro dom. 4. ager in Div. N. sub Nro. top. 151 Jug. 5 2/8, et N. N. sub Nro dom. 5, ager in eodem Div. N. sub Nro top. 150 Jug. 3 5/8. Quoad prata autem normam occasione institutae Classificationis pratorum defixam observando, nimirum, quotnam orgiae quadratae unum falcastrum prati, sumta ad copiosiorem, et fertiliorem graminis procreationem reflexione, constituant, probam instituimus, pratumque N. N. sub Nro dom. 1, in Div. N.

sub Nro top. 351, (cohaerenter aestimationi unius currus ad 1300 □) falcastrorum 1 2/8, porro N. N. sub Nro dom. 5, in Div. N. sub Nro top. 347, (eadem aestimationis norma) falc. 7/8 remensuratum est. In quibus praesusceptis probis Dimensionem Geometricam pro reali, sinceraque deprehendentes, eandem supra attacta modalitate authenticavimus. Sign. etc. (ut sub A. et Nro 1.)

C Nro 1.

Infrascripti fidem facimus, et attestamur, quod nos etc. etc. (sicut sub A) exmissi, anno — die vero — — ad faciem locorum eidem I. Dominio jurisdictionatorum, in specie vero ad Possessionem N. exeuntes, etc etc. (sicut sub C) peregerimus.

Exhibita nobis per Geometram Dominalem fundorum Possessionis hujus Conscriptione et Dimensione, ac Mappa territorii, Classificationi Diverticulorum praevie jam judicialiter institutae, conformatis, omnes Possessionis hujus Incolas provocavimus, quis eorum, et in quo Diverticulo magistratualem fundorum suorum remensurationem institui, et hanc ipsemet in nostri praesentia experiri velit? Itaque primum remensurata est per coexmissum infrascriptum magistratualem Geometram terra arabilis N. N. in Div. N. sub Nro top 164, Jug. 1 3/8; item N. N. in eodem Div. N. sub Nro top. 179, Jug. 2 7/8; item N. N. in Div. N. sub Nro top. 48; denique N. N. in eodem Div. sub Nro top. 47, Jug. 1 1/2; et defectus, in Dimensione fundorum per I. Dominium peragi procurata, nullus repertus est.

Postea ad revisionem Dimensionis, et Conscriptionis pratorum urbarialium processimus, quae siquidem occasione primitus extradati pro hac Possessione B. Urbarii, pro una integra sessione colonicali cum 7 falc. exposita, adeoque pro semel tantum falcabilibus adinventa, comperimus, competentia hac porro quoque relicta; tentamen ejus, num pratorum frusta per individuos Colonos tenta, quantitatem curruum seu falcastrorum per Geometram Dominalem in Conscriptione, et Dimensione Urbariali expositam rite proferant, instituendam judicavimus. Hoc fine adsumtis penes nos, et in facie Loci adjuratis vicinarum Possessionum Incolis, nomina-

tim vero: N. N. — N. N., et N. N. ex Possessione N. — item N. N. et N. N. ex Possessione N. — porro N. N. et N. N. ex Possessione N. denique N. N. et N. N. ex Possessione N. aestimationem pratorum sessionalium in diversis Diverticulis, in specie autem: N. N. sub Nro top. 199 ad falc. 2, et N. N. sub Nro top. 202 ad falc. itidem 2 expositorum, num videlicet capacitatem falcastrorum per Geometram Dominalem in Conscriptione expositam reapse contineant? institui curavimus, atque comperimus, utrumque hoc pratum expositae capacitati adaequate correspondere. Dimensione Geometrica taliter, et Mappa eatenus confecta pro authenticis compertis, authenticitatem eandem in respectivis Funduali Libro, Exstirpaturarum Conscriptione, et Mappa, sub fidedignitate officiorum nostrorum recognovimus. Super qua taliter peracta Dimensionis tenutorum antelatae Possessionis N. Authenticatione hasce dedimus Litteras nostras Testimoniales, quibus supra N. N. etc. etc. (sicut sub A et Nro 1.)

D.

Quod Mappa haec topographica Possessionis N. ad I. Dominium N. Domini N. N. spectantis Libro Funduali ejusdem Possessionis, tenuta Colonorum urbarialia in se complectenti, per nos in praesentia Colonorum antelatae Possessionis, in facie loci authenticato conformis, sincera, et authentica sit, praesentibus testamur. Sign. etc. etc. (ut sub A. et Nro 1.)

E

Joannes Gotthár integrae Sessionis Colonus, id est 1 Sessionis.													
Nrus		Nomina Diverticulorum	Classis Glebae	Dimensio				Orgiae quadratae	Tenuta				
				Latitudo			Longitudo		Fundi Urbariales			Fundi adjustationales	
Domus	Topographicus			una	alia	media			Fundi intravillani	Agri	Prata		
				Orgiae					Jugera		Falcastr.	Jugera	
—	—	Competentia Urbarialis	—	—	—	—	—	—	1	20	6	—	—

[T]enutorum Urbarialium Possessionis N. Extractus Summarius.

Numerus Domus	Nomina et Cognomina Colonorum.	Sessionis Qualitas	Tenuta Urbarialia			
			Fundi intra-villani	Agri	Prata	Fundi adjustationales
			Jugera		Falcast.	Jugera

E Nro 1.

Tempore benigne indroducti Urbarii fundum hunc p…sedit Andreas N. Nro 10, Sessionis $\frac{3}{8}$, modo vero possidet Emericus N. Sessionis $\frac{3}{8}$

Classis	Numerus topogr.	Nomen Diverticuli	Orgiae □	Tenet: in Intravillanis Jug.	$\frac{1}{8}$	in Agris Jug.	$\frac{1}{8}$	in Prat… Falc.
		Competentia urbar.		–	$\frac{3}{8}$	7	$\frac{4}{8}$	3
1	2	Intravillanum .	1096	–	$\frac{3}{8}$	–	$\frac{4}{8}$	–
		A g r i						
2	103	Poredje . .	4224	–	–	3	$\frac{4}{8}$	–
1	196	Preprutnicza .	3877	–	–	3	$\frac{4}{8}$	–
		P r a t a						
3	158	Stefancsicza .	3977	–	–	–	–	3
		Summa		–	$\frac{3}{8}$	7	$\frac{4}{8}$	3

1.

...pore benigne introducti Urbarii Fundum hunc ...sedit Georgius N. Sessionis $\frac{4}{8}$, Nro 33-o, modo vero possidet Thomas N. Sessionis $\frac{4}{8}$

	Nomen Diverticuli	Orgiae □	Tenet: in Intravillanis Jug.	$\frac{1}{8}$	in Agris Jug.	$\frac{1}{8}$	in Pratis Falc.	$\frac{1}{8}$
	Competentia urbar.		–	$\frac{4}{8}$	10	–	4	–
5	Intravillanum .	1567	–	$\frac{4}{8}$	–	–	–	$\frac{7}{8}$
	Agri							
15	Poredje . .	5070	–	–	3	$\frac{4}{8}$	–	$\frac{5}{8}$
00	Duzsicza . .	5657	–	–	5	$\frac{1}{8}$	–	–
54	Pusztyák . .	1625	–	–	1	$\frac{3}{8}$	–	–
	Prata							
53	Vostsák . .	3312	–	–	–	–	2	$\frac{4}{8}$
	Summa		–	$\frac{4}{8}$	10	–	4	–

E Nro 1

Inquilini Domiciliati, qui Robotas Inclyto Dominio N. praestant

Classis	Numerus topogr.	Denominatio Possessoris, et Diverticuli	Orgiae □	Posside… in Intravillanis Jug.	$\frac{1}{8}$	in Agris Jug.	$\frac{1}{8}$	Falc.
		Jacob. Hatlák Nro 20						
1	35	Fundus Domalis .	1211	1	–	–	–	
		Summa		1	–	–	–	
		Martinus Zseleszny ák Nro 21						
1	22	Fundus Domalis . .	798	–	$\frac{5}{8}$	–	–	
		Summa		–	$\frac{5}{8}$	–	–	

ta Parochialia ad Parochiam N. spectantia Nro 58.

Nomen Diverticuli	Orgiae quadratae	Tenet in Intravil. Jug.	1/8	Agris Jug.	1/8	Pratis Jug.	1/8	Dumetis Jug.	1/8	Pascuis Jug.	1/8
Intravillanum	—	3	6/8	—	-	—	-	—	-	—	-
A g r i											
avertje	—	—	-	5	6/8	—	-	—	-	—	-
oredje	—	—	-	55	1/8	—	-	—	-	—	-
Prata et Dumeta											
avertje	—	—	-	—	-	17	7/8	5	-	—	-
oredje	—	—	-	—	-	—	-	2	5/8	—	-
olenitza	—	—	-	—	-	4	1/8	—	-	—	-
Summa .		3	6/8	60	7/8	22	-	7	5/8	—	-
enuta Ludimagistri Nro 59											
ntravillanum	—	—	5/8	—	-	—	-	—	-	—	-
Summa .		—	5/8	—	-	—	-	—	-	—	-
enuta Ecclesiae Nro 60											
ntravillanum	—	—	3/8	—	-	—	-	—	-	—	-
A g r i											
oredje	—	—	-	11	2/8	—	-	—	-	—	-
Summa .		—	3/8	11	2/8	—	-	—	-	—	-
enuta Communitatis N. Nro 61											
ornye Traten	—	—	-	—	-	—	-	—	-	10	4/8
olnye Traten	—	—	-	—	-	—	-	—	-	24	2/8
olvine	—	—	-	—	-	—	-	—	-	1	6/8
Summa .		—	-	—	-	—	-	—	-	35	4/8

ndi Parochi, Ludimagistri, et Ecclesiae stricte huc ertinent. Numerus Classis, topographicus, et org. r spatii angustias eximissus est.

E Nro 1.

Recapitulatio Fundorum, et Tenutorum Possessionis N.

Numerus Domalis	Nomina Colonorum	Pagina	Constitutiv. Sess.	Fundi Sessionales: Intravil. Jug.	Intravil. 1/8	Agri Jug.	Agri 1/8	Prata Falc.	Prata 1/8	Dumeta Jug.	Dumeta 1/8
	I. Coloni Dominales										
1	Emericus N. .	1-2	3/8	—	3/8	7	4/8	3	-	—	-
1	Thomas N. .	3-4	4/8	—	4/8	10	-	4	-	—	-
	II. Inquilini Dominales										
20	Jacobus Hatlak	5-6	—	1	-	—	-	—	-	—	-
21	Martinus Zseleszńyák	5-6	—	—	5/8	—	-	—	-	—	-
	Sequuntur Tenuta :										
58	Parochialia .	7-8	—	3	6/8	60	7/8	22	-	7	5/8
59	Ludimagistri .	7-8	—	—	5/8	—	-	—	-	—	-
60	Ecclesiae . .	7-8	—	—	3/8	11	2/8	—	-	—	-
61	Communitatis .	7-8	—	—	-	—	-	—	-	—	-
	Summa Summarum			7	2/8	89	5/8	29	-	7	5/8
	Calculatum per N. N. per I. Regnum Hungariae adprobatum et I. Dominii N. jur. Ord. Geometram. (L. S.)										

F.

Infrascripti fidedigne attestamur, quod nos etc.
c. (ut sub A) exmissi scopo authenticationis neo
cisorum medio tempore urbarialium tenutorum,
fundorum dimensionis anno — die vero — — ad
ciem Possessionis N. exeuntes, etc. etc. (ut sub
peregerimus. Fundorum in praefata Possessione
Colonis urbarialiter neo excisorum in Libro hoc
nduali expressa Dimensione, Mappaque territorii
ssificationi diverticulorum, et pratorum, aesti-
tioni jam praevie judicialiter per nos institutae
nformatis, etc. etc. (ut sub C) procuravimus.

Primo remensuratum est Intravillanum N. N.
b Nro domali 12, topograph. 34, Jug. 2, — N.
sub Nro dom. 13, top. 35, Jug. 1 4/8, — N. N.
Nro. dom. 14, top. 36, Jug. 1 5/8; — dein re-
ensurati sunt agri Sessionales in Div. N. — N. N.
Nro dom. 14, top. 278, Jug. 1 6/8, — N. N. sub
o dom. 4, top. 279, Jug. 1 6/8, — Div. N. — N.
sub Nro dom. 13; top. 291, Jug. 5, — N. N. sub
o dom. 12 top. 292, Jug. 3 2/8, — et N. N. sub
o dom. 14, top. 295, Jug. 4 5/8; — tandem men-
ratum est pratum Sessionale in Div. N. — N. N.
Nro dom. 14, top. 28, falc. 1 6/8. In quibus etc.
. ut sub C.

G.

Quod Mappa haec topographica — Possessionis
ad I. Dominium N., Domini N. N. spectantis Li-
Funduali ejusdem Possessionis Tenuta colono-
n Urbarialiter iisdem excisa in se complectenti
. etc. sicut sub D.

H

F u n d i U r b a r i a l e s
a) Colonorum Sessionatorum
Joannes Gotthár integrae Sessionis Colonus, id est 1 Ses

Nrus Domus	Nrus Topographicus	Nomina Diverticulorum	Classis Glebae	Dimensio: Latitudo una (Orgiae)	Dimensio: Latitudo alia (Orgiae)	Dimensio: Latitudo media (Orgiae)	Dimensio: Longitudo (Orgiae)	Orgiae quadratae	Tenuta: Fundi Urbariales: Fundi intravillani (Jugera)	Tenuta: Fundi Urbariales: Agri (Jugera)	Tenuta: Fundi Urbariales: Prata (Falcastr.)	Tenuta: …nales (Ju-ger…)
—	—	Competentia Urbarialis	—	—	—	—	—	—	1	20	6	—
		b) Inquilinorum Domiciliatorum										
		c) Communitatis										

…us Topographicus	Nomina Diverticulorum	Classis Glebae	Dimensio: Latitudo una	alia	media	Longitudo	Orgiae quadratae	Tenuta: Fundi intravillani	Agri	Prata	Silvae	Pascuum commune
			Orgiae					Jugera		Falcastr.	Jugera	
	Sequuntur:											
	Fundi Ecclesiae											
	Fundi Parochi											
	Fundi Ludirectoris											
	Extraserialistae, et horum Fundi											

II

Intravillanorum Fundorum, Agrorum, Pratorum, et reliq

Nrus Topographicus	Nomina Fundorum intravillanorum, Villarum et Diverticulorum	Classis	Dimensio		Orgiae quadratae	Fundi intravillani		Agri		Prata	
			Longitudo	Latitudo		Jug.	□Org.	Jug.	□Org.	Jug.	□Org.
			Orgiae								

ssessione sitorum Tenutorum Dominalium dimensiones															
Pascua separata	Pascuum commune		Silvae		Dumeta		Lacus, Paludes et Canales		Plateae, viae publicae et aliae		Loca usui minus apta		Omnium horum Summa		
□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	Jug.	□ Org.	

H.

Totius Dime

Numerus	Nomen Possessionis	Dominii Fundi Allodiales						Tenuta Ur[illegible]		Sess nes bari des[illegible]
		Fundi inaedif.	Agri	Prata	Horti oler.	Pomar.	V[illegible]	[illegible]	Prata	Fundi inaedif.
		J[illegible]						Jug.	[illegible]	

m a r i u s

…	Horti Olerag…	Pas…	Dun…	Lacus Palud…	Plateae, viae publicae et aliae	Loca usui minus apta	Horum omnium Summa	Reflexiones
							…g.	

II.

Totius Dime													
Nume	Nomen ssessionis	Dominii Fundi Allodiales						Tenuta rbaria- impo- lata			Sessio- nes Ur- bariale deserta	
		Fundi intravil.	Agri	Prata	Pomaria et Horti oleracei	[illegible]	[illegible]	i intravil.	Agri	Prata	Fundi intravil.	Agri
		J u						Jug.		Falc	Jug.	

ert fold or

He

II.

Totius Dime													
Numerus	Nomen Possessionis	Dominii Fundi Allodiales							Tenuta Urbarialia impopulata			Sessiones Urbariales desert	
		Fundi intravil.	Agri	Prata	Pomaria et Horti oleracei	Vineae	Silvae	Pascua privata	Fundi intravil.	Agri	Prata	Fundi intravil.	Agri
		Jugera							Jug.		Falc.	Jug.	

sionis Extractus Summarius

Fundi intravillani Inquilinorum	Fundi Communitatis				Fundi Ecclesiae			Fundi Parochi			Fundi Ludirectoris			Tenuta Extraserialistar.			Vineae 10-ae vel 9-ae vel Juri montano obnoxiae	Subvineta	Vineae liberae, una cum subvinetis	Canabeta	Horti Oleracei	Pascua communia	Dumeta	Lacus Paludes et Canales	Plateae, viae publicae et aliae	Loca usui minus apta	Horum omnium Summa		Reflexiones
	Fundi intravil.	Agri	Prata	Silvae	Fundi intravil.	Agri	Prata	Fundi intravil.	Agri	Prata	Fundi intravil.	Agri	Prata	Fundi intravil.	Agri	Prata													
Jugera																											Jug.	□ org.	

Combinatorium

…ionls N. I. Comitatui N. adjacentis, in quo Tenuta
…alia antiquae Tabellae Urbarialis cum illis novae,
rectificatae Tabellae Urbarialis comparantur.

…dum antiquam Tabel- Urbarialem					Secundum novam rectificatam Tabellam Urbarialem					
…omina et …nomina …olono-rum	Qualitas Sess.	Fundi Intravill. in metretis pos.	Agri in Jugeris	Prata in Falcast.	Numerus Domus	Nomina et Cognomina Colonorum	Qualitas Sess.	Fundi Intravill. in metretis pos.	Agri in Jugeris	Prata in Falcast.
	Numero						Numero			

K

Tauf- und Zunamen	Eigenschaft der Ansässigkeit	Bestimmung der Ansässigkeit			Jährliche Robathen		9-tel	Zins und Gaben							Neunt frey ist. — Joch
		innere	äussere												
		Grund													
		Presburger Metzen	Joch Acker	Tagwerk Wiesen	Zugrobath	Oder statt derenselben Handrobath		Zins	Brennholz	Gespunst	Schmalz	Kapauner	Hühner	Eyer	
		Nro			Täge			Guld.	Klaft.	Pfund	Halbe	Nro			
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	

L.

Anno 1810 9-a et subsequentibus Mensis Julii
:bus in Arce, Oppido etc. N. Dominio N. I. Co-
tatui N. ingremiato adjacente in praesentia ex Pu-
co exmissorum Legalis Testimonii. Dominorum
m Ordinarii Fisci Magistratualis N. N. et Geome-
e ejusdem I. Comitatus, nec non aliorum Convo-
orum celebrata est Dominii N. Sedes Dominalis
oarialis, occasione cujus

ssumptus est Processus Urbarialis Rectificatorius
N. Domini Comitis, velut antelati Dominii N. a-
ialis Proprietarii et Perpetui Domini Terrestris

respectu

Possessionum suarum N. — N. etc. etc. cuncto-
mque Incolarum et Jurisdictionatorum suorum
Possessionibus his, eidem Dominio N. subjectis
gentium

o Praetitulato N. N. Domino terrestri Egregius N.
Ordinarius dicti Dominii N. Fiscalis Procurator
ram Sede Dominali comparendo etc etc.

M.

Numerus Topographicus	Nomina Possessorum	Habitatio Possessorum	Latitudo						Longitudo	
			Una		Alia		Media			
			Org.	Ped.	Org.	Ped.	Org.	Ped.	Org.	Ped.
1	Lambert Franciscus	Keszthely	Fi	gu	ra	Ir	re	g	u	l.
	detto	detto	—	—	—	—	—	—	—	—
2	Pipe Franciscus $\frac{1}{3}$	detto	Fi	gu	ra	Ir	re	g	u	l.
	detto $\frac{1}{3}$	detto	—	—	—	—	—	—	—	—

etc. etc.

Sign. N. die 2-a Aprilis 1814

neae im- antand.			Subvineta		Dumeta		Silvae		Fossores	Praestationes obvenientes								
										a vinetis			a subvinetis				In Summa Jus montanum a vineis et subvinetis	
Agri	Prata									Jus montanum		Nona vel Decima	Jus montanum		Census			
8/8	Jug.	8/8	Jug.	8/8	Jug.	8/8	Jug.	8/8	Nro	Urnae	med.		Urnae	med.	fl.	xr.	Urnae	med.
—			5	5/8														
—			3	4/8														

etc. etc. etc.

. N. Geometram Dominalem (L. S.)

N.

Numerus currens	Numerus Topographicus	Nomina Possessorum	Habitatio Possessorum	Dim. Fun. promont.				Praestationes obvenie[ntes]							
				vitibus implantatorum		Subvinetorum		a vineis			a subvinetis				
								Jus montanum		Nona vel Decima	Jus montanum		Census	
				Jug.	8/8	Jug.	8/8	Urnae	med.		Urnae	med.	fl.	xr.
1	1	Lampert	Keszthely	—	5/8	5	5/8	—	40	—	5	40	—	—
2	2	Pipe	—	—	4/8	3	4/8	—	32	—	3	32	—	—
3	2	Banitz	—	—	4/8	3	4/8	—	32	—	3	32	—	—
4	2	Vass	—	—	4/8	3	4/8	—	32	—	3	32	—	—
5	10	detto	—	—	5/8	6	2/3	—	40	—	6	16	—	—
6	3	Fejér	—	—	2/8	5	3/8	—	16	—	5	24	—	—
7	4	Kavási	—	—	5/8	1	4/8	—	40	—	1	32	—	—
8	5	Bedő	—	1	3/8	3	-	1	24	—	3	—	—	—
9	6	Vastag	—	—	4/8	3	5/8	—	32	—	3	40	—	—
10	7	Szalay	—	1	.	4	2/8	1	—	—	4	16	—	—
		etc.	etc.											

O

Tabella Praestationum urbarialium ad pecuniam reductarum. a) in Hungaria, et Croatia.

Sessio	census	Nona		Filatura		Robotae manuales			Longa vectura		Lig. org. vectura		Butyrum		Capones		Pulli		Ova		Vitul.	In Summa	
Nro	fl.	fl.	xr.	Lib.	xr.	Nro	fl.	xr.	Nro	xr.	Org.	xr.	Med. pos.	xr	Nro	xr.	Pulli Nro	xr.	Nro	xr.	xr.	fl.	xr.
1	1	4	–	6	54	104	17	20	1	40	1	20	1	21	2	18	2	6	12	3	3	25	5
$\frac{7}{8}$	1	3	30	$5\frac{1}{4}$	$47\frac{2}{8}$	91	15	10	$\frac{7}{8}$	35	$\frac{7}{8}$	$17\frac{1}{2}$	$\frac{7}{8}$	$18\frac{5}{8}$	$1\frac{6}{8}$	$15\frac{6}{8}$	$1\frac{6}{8}$	$5\frac{2}{8}$	$10\frac{4}{8}$	$2\frac{5}{8}$	$2\frac{5}{8}$	22	$4\frac{3}{8}$
$\frac{6}{8}$	1	3	–	$4\frac{2}{4}$	$40\frac{4}{8}$	78	11	20	$\frac{6}{8}$	30	$\frac{6}{8}$	15	$\frac{6}{8}$	$15\frac{7}{}$	$1\frac{4}{}$	$13\frac{4}{8}$	$1\frac{4}{8}$	$4\frac{4}{8}$	9	$2\frac{2}{8}$	$2\frac{2}{8}$	19	$3\frac{6}{8}$
$\frac{5}{8}$	1	2	30	$3\frac{3}{4}$	$33\frac{6}{8}$	65	10	50	$\frac{5}{8}$	25	$\frac{5}{8}$	$12\frac{1}{2}$	$\frac{5}{8}$	$13\frac{2}{}$	$1\frac{2}{}$	$11\frac{2}{8}$	$1\frac{2}{8}$	$3\frac{6}{8}$	$7\frac{4}{8}$	$1\frac{7}{8}$	$1\frac{7}{8}$	16	$\frac{1}{8}$
$\frac{4}{8}$	1	2	–	3	27	52	8	40	$\frac{4}{8}$	20	$\frac{4}{8}$	10	$\frac{4}{8}$	$10\frac{5}{}$	1	9	1	3	6	$1\frac{4}{8}$	$1\frac{4}{8}$	13	$2\frac{4}{8}$
$\frac{3}{8}$	1	1	30	$2\frac{1}{4}$	$20\frac{2}{8}$	39	6	30	$\frac{3}{8}$	15	$\frac{3}{8}$	$7\frac{1}{2}$	$\frac{3}{8}$	$7\frac{7}{}$	$\frac{6}{}$	$6\frac{6}{}$	$\frac{6}{8}$	$2\frac{2}{8}$	$4\frac{4}{8}$	$1\frac{1}{8}$	$1\frac{1}{8}$	10	$1\frac{7}{8}$
$\frac{2}{8}$	1	1	–	$1\frac{2}{4}$	$13\frac{4}{8}$	26	4	20	$\frac{2}{8}$	10	$\frac{2}{8}$	5	$\frac{2}{8}$	$5\frac{2}{}$	$\frac{4}{}$	$4\frac{4}{}$	$\frac{4}{8}$	$1\frac{4}{8}$	3	$\frac{6}{8}$	$\frac{6}{8}$	7	$1\frac{2}{8}$
$\frac{1}{8}$	1	–	30	$\frac{3}{4}$	$6\frac{6}{8}$	13	2	10	$\frac{1}{8}$	5	$\frac{1}{8}$	$2\frac{1}{2}$	$\frac{1}{8}$	$2\frac{5}{}$	$\frac{2}{}$	$2\frac{2}{}$	$\frac{2}{8}$	$\frac{6}{8}$	$1\frac{4}{8}$	$\frac{3}{8}$	$\frac{3}{8}$	4	$\frac{5}{8}$
*	1	–	–	-	-	18	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	4	-
**	-	–	–	-	-	12	2	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	2	-
b) in Slavonia																							
1	-	3	-	-	-	48	8	-	–	–	1	20	-	–	–	–	–	-	–	–	–	11	20
$\frac{1}{2}$	-	1	30	-	-	24	4	–	–	–	$\frac{4}{8}$	10	–	–	–	–	–	–	–	–	–	5	40
$\frac{1}{4}$	-	-	45	-	-	12	2	–	–	–	$\frac{2}{8}$	5	–	–	–	–	–	–	–	–	–	2	50
*	1	-	-	-	-	12	2	–	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	2	[illegible]

Sessio	Classis	Census annuus	Nona *)		Robotae manuales			Media poson. Butyri, 2 Capones, 2 Pulli, 12 ova, et 3 xr. pro vitulo.		In Summa	
Nro	Nro	fl.	fl.	xr.	Nro	fl.	xr.	fl.	xr.	fl.	xr.
1.	1-ae	1	3	36	104	17	20	–	51	22	47
	2-ae	1	3	36	78	13	–	–	$38\frac{1}{4}$	18	$14\frac{1}{4}$
	3-ae	1	3	36	$62\frac{1}{2}$	10	25	–	$30\frac{1}{2}$	15	$31\frac{1}{2}$
$\frac{1}{2}$	1-ae	1	1	48	58	9	10	–	$28\frac{1}{2}$	12	$26\frac{1}{2}$
	2-ae	1	1	48	$43\frac{1}{2}$	7	15	–	$21\frac{1}{2}$	10	$24\frac{1}{2}$
	3-ae	1	1	48	35	5	50	–	17	8	55
$\frac{1}{4}$	1-ae	1	–	54	34	5	40	–	$16\frac{1}{2}$	7	$50\frac{1}{2}$
	2-ae	1	–	54	$25\frac{1}{2}$	4	15	–	$12\frac{1}{2}$	6	$21\frac{1}{2}$
	3-ae	1	–	54	$20\frac{1}{2}$	3	25	–	10	5	29
$\frac{1}{8}$	1-ae	1	–	49**	$21\frac{1}{2}$	3	35	–	$10\frac{1}{2}$	5	$34\frac{1}{2}$
	2-ae	1	–	49	16	2	40	–	8	4	37
	3-ae	1	–	49	13	2	10	–	$6\frac{1}{2}$	4	$5\frac{1}{2}$
Inquilinus		1	–	–	8	1	20	–	–	2	20
Subinquilinus		–	–	–	6	1	–	–	–	1	–

*) a proportione 4 fl. titulo Nonae in Hungaria, et Croatia.

**) Si videlicet Colonus 3 jugera praeter domalem fundum et pascuum ut agro utatur.

P

Conscriptio Abaestimationis Exstirpaturarum Possessionis N.

Nomen et Cognomen Possessoris	Nomenclatio Diverticulorum	Nrus Topographicus	Classis impensi laboris	Agri	Prata	Tempus Exstirpationis	Habet ne Indultuales	Quid Dominio hucusque praestiterunt	
				Jugera	Falcast.			fl.	xr.
Martinus Sulya e Possessione	Pieszki	225	4-ae	1 3/8	—	3o anni	non habet	—	17
Andreas Tislerits detto	Gregoricze	291	4-ae	4/8	—	Immemoriale	non habet	—	3o
Mathias Dobsa detto	Putine	115	4-ae	5/8	—	non scitur	non habet	—	—
etc.	etc-								

P Nro 1

Conscriptio Exstirp:

Nomina et Cognomina Possessorum	Nomina Diverticulorum	Classis Glebae	Numerus Topographicus	Terrae Arabiles Jugera	Ab his pra bant hact annu: In parata pecunia		In Ro bo tis Jugalibus
				Nro	fl.	xr.	Di
a) Intraneorum							
Georg. Resetar	Dolits	1	136	5/8	—	—	—
Georg. Matsek	Veliki Stuk	2	218	1 7/8	—	—	—
Philip. Horváth	Velike Szrednitze	1	93	3/8	—	—	—
b) Extraneor.							
ex Oppido N.							
Josephus Pipe	Komárka	2	28	3 5/8	—	—	—
Mich. Kovalik	Kertspod Gmaj.	3	38	3 7/8	—	—	—
ex Possess. N.							
Nicolaus Szlávi	Pod Jalse	3	33	5/8	—	—	—
Simon Vertsits	Pod Kratko	2	224	—	—	—	—
	Summa	—	—	11	—	—	—

Assumptum et calculatum per N. N. per Inclytum Re
metram m. p. (L. S.)

m Possessionis N.

...sdem praestant annue: In Robotis: Jugalibus	...sdem praestant annue: In Robotis: Manualibus	In Naturalibus	Prata Falcastrorum	Ab his praestabant hactemus annue: In parata Pecunia		Ab his praestabant hactemus annue: In Robotis		Ab his praestabant hactemus annue: In Naturalibus	Ab iisdem nunc praestant annue: In parata Pecunia		Ab iisdem nunc praestant annue: In Robotis		
						Jugalibus	Manualibus				Jugalibus	Manualibus	
Dies			Nro.	fl.	xr.	Dies			fl.	xr.	Dies		
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	15/8	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	7/8	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	24/8	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—

ae adprobatum, et Inclyti Dominii N. jurat. Ord. Geo-

Q.

Infrascripti praesentium per vigorem recognoscimus, quod nos in consequentiam Gratiosae Exmissionis et Determinationis in I. Comitatus N. Generali Congregatione anno 1798 die 17-a Septembris celebrata interventae; ad faciem Possessionis N. ac eo pertinentia superiusque uberius descripta Diverticula fine abaestimationis Exstirpaturarum, una cum convocatis ejusdem Possessionis Incolis, Exstirpaturas seu in Agris seu in Pratis praenuncupatorum Diverticulorum possidentibus, exeundo, in praesentia N. N. Ord. Fisci Magistratualis Colonis assistentis debitum Examen ac Investigationem instituerimus, ad qualem nimirum Classem memoratae Exstirpaturae referendae venirent? et cum deprehendissemus, nec montosum, saxisque refertum terrarum situm, nec montes planitie quadam temperatos, et saxorum compage occupatos, neque ad tollenda ingentia robora difficiles operas adhibitas fuisse, sed in plano omnia frusta Terrarum, solum a vepretis et virgultis, iis etiam raris repurgata exstitisse; igitur ob praestitam nimis facilem operam omnes Exstirpaturas ab intus specificatas sensu B. Gratiosi Ex. Consilii sub 22-a Aprili 1771 sub Nro 2179 emanati Intimati, ad 4-tam Classem ponendo, mercedem Colonorum pro ratione impensi laboris pro uno Jugero in 2 florenis per Dominium solvendis defiximus, eo hic loci praenotato, quod juxta Testimoniales Domini Processualis Ord. Judlium N. N. in Processu sub Nro productas nullae Exstirpaturae in Dominio isthoc Dicalem Conscriptionem subingressae sint, consequenter titulo Contributionis ab iis nihil dependerint.

Super quali abaestimatione praesentes Subscriptione ex Sigillo usuali munitas damus Litteras Testimoniales. Sign. N. etc. etc. etc.

N. N. I. Comitatus N. Ord. Judlium (L. S.)
N. N. ejusdem I. Comitatus Jurassor. (L. S.)

Q Nro 1.

Praemissa Conscriptione

Infrascripti vigore praesentium recognoscimus, quod posteaquam nos virtute Gratiosae Exmissionis publicae e Generali I. Comitatus N. anno 1798 die 17-a Septembris celebrata Congregatione quoad Ur-

barialem Dominii N. Rectificationem nobis elargitae Classificationem glebae seu Diverticulorum Possessionis hujus N. 10-a Augusti 1812 perhibentibus Testimonialibus nostris sub dato eodem extradatis in facie territorii ad praescriptum B. Urbarialis Instructionis finem in eum peregissemus, ut sciatur, quotnam orgiae quadratae in hoc vel in illo Diverticulo ad unum Jugerum computari debeant, quot item orgiae quadratae unum falcastrum prati constituant; porro tam Conscriptionem hanc Exstirpaturarum in calculo, et expositione Jugerorum innuente superius inserta Classis glebae rubrica modo memoratae Classificationi nostrae debite conformatam, quam etiam Librum Fundualem super tenutis Urbarialibus confectum perhibentibus Testimonialibus nostris eidem Libro funduali subnexis opera coexmissi Magistratualis Geomtrae N. N. in praesentia assistentis Ord. Fisci Magistratualis D. N. N. 1812 die 17-a mensis Augusti suo modo authenticassemus: Anno 1812 die 12-a Octobris ad faciem Possessionis hujus N. fine aestimationis mercedis Exstirpaturarum itidem exeuntes, convocatis praevie ibidem ejusdem loci Incolis, Exstirpaturas, seu in Agris, seu in Pratis praeexpositorum Diverticulorum tenentibus, praesente D. N. N. I. Comitatus Ordinario Fisco Magistratuali Colonis assissente debitum examen, et facta praevie investigatione combinationem instituerimus, ad qualem nimirum Classem respectu mercedis praefatae Exstirpaturae referendae venirent? et auditis sufficienter Colonis, atque D. assistente Fisco, siquidem deprehendissemus, nec montosum, saxisque refertum terrarum situm, nec montes planitie quadam temperatos, aut saxorum compage occupatos, neque ad tollenda ingentia robora difficiles operas adhibitas fuisse, verum in plano omnia, et singula terrarum frusta solum a vepretis, et virgultis, iis etiam raris expurgata exstitisse; igitur propter adhibitam nimis facilem operam omnes Exstirpaturas in hac Conscriptione specificatas sensu B. Gratiosi Exc. Consilii L. R. H. sub Dato 22-ae Aprilis 1771 Nro 2179 circulariter ad universos Regni Comitatus emanati Intimati ad Classem 4-am ponendo, Mercedem Colonorum pro ratione impensi laboris, pro uno Jugero in duobus florenis per Dominium exolvendis defixerimus, quod juxta Testimoniales etiam D. Processualis Ord. Jud.

lium coram nobis reproductas, nullae Exstirpaturae in toto isthoc Dominio N. Dicalem Conscriptionem ingressae sint, et Coloni titulo Contributionis nil unquam ab iis dependerint, et nec de praesenti quidpiam dependeant. Super quali aestimatione et abaestimatione praesentes nostras extradamus Literas Testimoniales Sign. N. die 13-a Octobris 1812 N. N. m. p. exmissus I. Comitatus N. Ord. Judlium (L. S.) N. N. Adjunctus Jurassor m. p. (L. S.)

R.

Infrascriptus praesentium per vigorem fidem facio, et recognosco, quod facta Conscriptionum Dicalium respectivorum locorum Processus hujus N. accurata combinatione, evidenter compererim, Terras Exstirpatitias arabiles, et falcabiles per Jurisdictionatos I. Dominii N. erga Censum tentas, nullibi pro objecto Contributionis conscriptas exstitisse; verum has, veluti Reluitioni Dominali, ex praescripto B. Urbarii, dum et quando obnoxias, ex Dicali Conscriptione semper exmissas, sessionaliaque duntaxat Constitutiva pro fundo Contributionis, quotannis assumpta fuisse. — Super cujus realitate, praesentes eorum, quorum interest, pro Cautela deservituras extradedi Literas Testimoniales. Datum N. 6-a Novembris 1803 I. Comitatus N. et Processus N. Ord. Judlium m. p.

S.

Infrascriptus sub fidedignitate officii praesentibus recognosco, et attestor, quod erga legitimam requisitionem I. Dominii N. ddto — — Anni — medio N. N. praefati Dominii Directoris litteratorie factam, ad universos ejusdem Dominii Colonos, duplicis ordinis sub diversis datis, ac speciatim primo ddto 9-ae Julii anni ejusdem, dein vero de subsequo etiam dato Currentales, quarum omnium Originalia apud Communitates exhaeserunt, tenoris sequentis dimiserim, et quidem:

Ab extradatione B. Urbarii, ac in specie per Regulationem ejusdem praecautum est, ne Subditus sine positivo Dominii indultu sub amissione mercedis laboris sui exstirpare ausit. Ast ultra hanc publicam Legis Urbarialis prohibitionem nomine actualis Dominii N. Proprietarii N. N. peculiaris

etiam hoc in merito facta est Inhibitio; nihilominus experientia constat, non tantum Exstirpaturas pluribus in territoriis indultu sine omni fieri, quin potius easdem per hujates dominales Jurisdictionatos excessivo, et illegali pretio vendi . ex quo agendi modo non est possibile aliud consequi, quam, ut in casu eo, quo Dominium, quod juxta Leges Regni integrum est, abaestimationem Exstirpaturarum institui procuraret, plurimi emptores damnificarentur: quapropter antelatum I. Dominium provocatam Legis, et Dominii Prohibitionem innovat, sine indultu Officiolatus sui positivo, et speciali, sub amissione mercedis laboris, nullus Jurisdictionatorum suorum Exstirpaturas quaspiam facere, vel illas vendere, et inonerare praesumat; nam quantumvis aliquis positivum Officiolatus Dominalis ad Exstirpationem instituendam indultum legitimare posset, non tamen Dominium aliam suam in Exstirpaturarum reluitione, et sibi fienda applicatione recognoscit obligationem, quam, ut mercedem laboris juxta clavim, et morem I. Comitatus hujus, juxta numerum Jugerorum bonificare obstrictum sit.

Currentales hae, ubi circulum suum permeaverint, lectae, publicatae, et Protocollis Communitatum per extensum illatae fuerint, per Communitatem postremam in origine mihi veniunt referendae. Super quibus praedeclarata modalitate, praevioque in merito ad respectivos Colonos effective dimissis Currentalibus, et taliter tam de attentanda ulteriori Exstirpatione, quam vero Exstirpaturarum Venditione subsecuta Inhibitione praesentes pro futura I. Dominii securitate deservituras extradedi Literas Testimoniales. Sign. N. 1-a Jan. 1798 — N. N. I. Comitatus Ord. Judex Nobilium m. p. (L. S.)

S Nro 1

Infrascripti vigore praesentium fidem facimus et attestamur quibus expedit Universis: qualiter nos anno recenter evoluto 1801 atque anno modo currente 1802 mensibus, et diebus infrasertis erga legitimam requisitionem N. N. qua tamen Dominii N. actualis haereditarii Domini Terrestris ad universas Possessiones, et Oppida antelato Dominio I. Comitatui N. adjacenti ingremiata excurrerimus, ibidem.

que constitui in praesentiam nostri universos respectivarum Possessionum, et Oppidorum Incolas convocari fecerimus, ac comparentes immediate, comparere vero ob absentiam domo nequeuntes medio attactorum comparentium in, et super sequentibus nomine praetitulati N. N. qua Domini Terrestris, ex Jure Dominali Terrestrali eidem virtute Legum Regni B. item Urbarii, et aliarum B. Urbarialium Regiarum Resolutionum circa indulgendam, vel non indulgendam Subditis Exstirpaturarum efformationem, atque jam efformatarum concedendam, vel non concedendam venditionem competente judicialiter in, et prohibuerimus, et quidem.

primo: ne a modo, in posterum quibuscunque temporibus, et occasionibus ullus eorum, seu Dumeta aliqua dominalia exstirpare, seu in communibus pascetis Exstirpaturas aliquas formare (pro ratione circumstantiarum) sub poena B. Urbarii Puncti 8-i §-i 6-i dictata sub amissione ut pote citra omnis mercedis laboris refusionem ita efformatae Exstirpaturae, atque bonificatione damni talismodi Exstirpatione causati praesumat, atque ausit.

secundo: siquidem Exstirpaturae sint Tenuta dominalia, et nonnisi eousque sensu B. Urbarii, atque B. Resolutionum Regiarum per subditos possideri quirent, donec eas Dominus Terrestris instituta legali impensi in earundem efformationem laboris abaestimatione ad se recipiat, atque adeo ex praescripto B. Urbarii Puncti 2-di §-phi 2-di bonificato hoc subditis Exstirpaturas tenentibus exstirpationis aestimationali labore, easdem dum, et quando recipere, et in suos usus convertere possit; subditis e contra virtute B. Urbarii Puncti 8-i §-i ultimi sub amissione pecuniarum cujusvis nominis tenuta tanto magis autem exstirpatitia tanquam Dominalia absque consensu, et indultu Domini Terrestris positivo vendere, inonerare, vel cambiare, aut legare prohibitum sit, consecutive in arbitrio solius Domini Terrestris stet, ejusmodi tenutorum emptionem, venditionem, aut permutationem indulgere, vel prohibere; ex eo nomine supratitulati terrestris Domini subditos suos Exstirpaturas tenentes, pro sua dominali erga eos propensione a subsequenda ex ejusmodi venditionibus, emptionibus, aut permutationibus eorundem damnificatione cautos reddere, et praeservare volentes, ne a modo in-

posterum quispiam Exstirpaturas per se tentas alteri vendere, aut alter ab eodem emere, vel ad invicem permutare, inonerare, ac altima voluntate cuipiam legare ausit, omnis, et singulus sub nullitate actus, et Poena eodem B Urbarii Puncti 8-i §-o ultimo expressa in, et prohibentur.

Quam in praeviis punctis, et sub ibidem exposita legali Comminatoria cautela contentam praetitulati N. N. medio nostri judicialiter instituendam In, et Prohibitionem convocatis in praesentiam nostri in singula Possessione, et Oppido Ejusdem suae Illustritatis jurisdictionatis loci Incolis, lingva eorum vernacula pro munere nostro Magistratuali publicavimus, et explanavimus, atque relate ad omnia in praeviis Inhibitoriis Punctis contenta juxta sequentem temporis, et locorum seriem, de loco, ad locum exeundo, in praesentiam nostri statutos infrasertos, ac medio horum reliquos etiam locorum Incolas pro tunc domo absentes judicialiter in, et prohibuerimus, et quidem:

anno 1801 die 13-a Novembris in Oppido N.

Emericus Baráth.	Stephanus Richtarecz.
etc. etc.	etc. etc.

anno 1802 die vero 14-a Jan. in Possessione N.

Georgius Igretz	Thomas Szterbad
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 15-ta Jan. in Possessione N.

Michael Blagusz	Michael Grabovits
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem die vero 26-a Jan. in Possessione N.

Nicolaus Meszár	Josephus Palics
etc. etc.	etc. etc.

anno et die eodem in Possessione N.

Mathias Novák	Josephus Hosnyarics
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 28-a Jan. in Possessione N.

Nicolaus Perkovits	Mathias Markovits
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 29-a Jan. in Possessione N.

Thomas Novák	Paulus Pollyák
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 30-a Jan. in Possessione N.

Joannes Oresky	Martinus Jellusits
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 31 Jan. in Possessione N.

Andreas Jallsovez	Martinus Szokács
etc. etc.	etc. etc.

anno eodem, die vero 20-a Febr. in Possessione N.
Georgius Marchus Georgius Prelosnyak
etc. etc. etc. etc.

Super quibus praevio modo, et tempore per nos peractis judiciariis In, et Prohibitionibus praesentes nostras propriis chyrographis, et sigillis munitas futura pro Ejusdem Illustrissimi D. Comitis in, et prohiberi curantis jurium cautela deservituras extradedimus In, et Prohibitorio Litteras Testimoniales in Possessione N. expeditionis die 8-a Mensis Aprilis 1802 N. N. I. Comitatus V. Judlium m. p. (L. S.) N. N. Jurassor m. p. (L. S.)

T.

Infrascripti tenore praesentium fide digne recognoscimus, et attestamur, quod nos vigore gratiosae Determinationis I. Comitatus hujus Zaladiensis sub generali die 14-a Aprilis a. c. 1817 in Oppido N. continuative celebrata Congregatione, ad Numerum Protocolli latae, et nobis extradatae, hucque sub ·/. reacclusae, ex incidenti eo, quod Coloni gremialium Possessionum N. N. aliarumque Processui Urbariali Rectificatorio Domini N. N. qua Dominii N. actualis, ac perpetui Domini Terrestris, contra Colonos suos, Incolasque Possessionum antelatarum Exstirpaturas in territoriis his tenentes una ad harum etiam Reluitionem anno 1806 28-a Octobris suscitato, ac tam in Sede Dominali Urbariali, quam etiam sede Judiciaria antelati Comitatus terminato inclusarum, summas pro Exstirpaturis ab antelatarum Possessionum Colonis per Dominium Terrestrale relutis, levare recusantes, eatenus ad I. Comitatus Universitatem Recursus formassent, in conformitate Benignae Resolutionis Regiae in ordine adlatas, in praevio Processu Urbariali sententias Judiciarias per Ex. Consilium R. L. H. anno 1815 die 7-a mensis Novembris sub Nro 30085 I. Comitatui N. intimatae, ex Publico exmissi. Anno, mense, et die infra denotatis, summas pro relutis, ac per Dominium receptis Exstirpaturis, tam titulo inhaerentium Investitionum, quam vero titulo abaestimationalis pretii Colonis Exstirpaturas tenentibus obvenientes, et in conformitate praeallatarum Sententiarum erutas, Colonis isthic denotatis, ex Cassa praeallati Dominii N. defectu absque omni persolvi procuravimus, utpote:

T

Numerus Currens	Cognomen Nomen et Habitatio Possessoris	Exstirpaturarum situatio		Exstirpaturae qualitas		Pretium Exstirpaturarum effective exolutum, et per infranotatos Jurisdictionatos levatum			
		In Territorio	In Diverticulo	Agri	Prata	Abaestimationale		Investitionale	
				Jugera		fl.	xr.	fl.	xr.
1	Mihalinits Michael ex Felső Pusztakovecz	Felső Pusztakovecz et Vidovecz	Glosdie	—	1 7/8	3	45	—	—
2	Derk Andreas ex Felső Vidovecz	detto	Dolits	1	—	2	—	15	30
3	Korábi aliter Novák ex Vularia	detto	Fraterszky Kerese	—	2/8	—	—	—	—

Super qua, et quidem in florenis nonaginta quinque, x-ris 9 exoluta, in florenis autem mille, sexcentis vigintis sex xr. 9 ad manus nostras Indicarias recepta, et per nos Cassae I. Comitatus illata Summa, praesentes nominum nostrorum subscriptione, et usalium Sigillorum appressione roboratas, pro futura praetitulati Domini N. N. Jurium Cautela deservituras extradamus Litteras nostras Testimoniales. Sign. N. die 20-a Octobris 1817 (L. S.) N. m. p. I. Comitatus N. Ord. Judlium (L. S.) N. N. m. p. Jurassor.

NB. Exempla Documentorum exhibitorum desumta sunt et studio quidem e Processibus coram foris concernentibus terminatis. Solum quae omnino superflua erant, vel minus recte expressa, rescidi mutavique, ut aliquam formam pro imitatione praebere possent. Tabellam sub O proprio marte confeci. Quoad Tabellam ultimo loco (pagina 173 et 174) positam, quae Constitutiva Sessionum colonicalium integrarum exhibet, hoc notare debeo, quod tantum ad Hungariam excepto Banatu, Slavonia et Croatia referatur, uti e contextu ipsius patet, Constitutiva Banatus et Slavoniae suo loco (Part. 1, § 7 huj. op.) exponebantur, Constitutiva vero Croatiae praeter illa Comitatus Varasdinensis a quibus illa mihi submitti petieram, adhuc impetrare non potui. Comitatus Varasdinensis autem sunt haec: in locis montosis Sessio integra primae Classis 14 jugera, secundae 16, tertiae Classis 18 jugera agrorum, pratorum vero prout cordum semper, raro, vel nunquam falcatur 5, 7, 9 falcastra; in locis planis vero jugera agrorum, juxta Classes memoratas 16, 18, 20, et falcastra pratorum 6, 8, 10 complectitur. Jugerum prout falcastrum in 1-a Classe a 1100, in 2-a a 1200, in 3-a a 1300 orgiis □ computatur.

Liquidatorium Instrumentum Summarum Exstirpaturis in Territorio Possessionis N. N. situatis inhaerentium.

Numerus Documenti	Possessor Exstirputurae	Diverticulum	Ager	Pratum	Inhaerens summa		Reflexiones
			Jugerum		fl.	xr.	
1	N. N. etc.	N. N. etc.	1 1/2	—	38	—	v. g. Produceans emtionales litteras est filius emtoris. vel: Exstirpaturam hanc Mater producentis in Divisione obtinuit. vel: Hanc Exstirpaturam N. N. filio suo N. N. in Testamento legavit. etc. etc.

Tabella Constitutivorum Se

Pro Comitatu	Ex Terris arabilibus pro Classe 1-a	2-a	3-a	4-a	5-a	Ex pratis ubi Cordum falcatur semper	raro	nunquam	Vigore B. Resc tionis intimat Die	Mense
	Jugera 2 Metretarum pos. capacia					Falcastra				
	Numero									
Abaujváriensi	22	24	26	—	—	6	6	8	20	7-bris
Albensi	22	24	26	—	—	8	10	12	20	Maji
Arvensi	24	26	32	40	—	6	6	8	26	Aug.
Aradiensi	26	28	30	32	—	8	10	12	14	7-bris
Bácsiensi	32	34	36	38	—	22	22	22	9	8-bris
Barsiensi	18	20	22	24	—	6	6	8	15	Jan.
Baranyiensi	22	24	26	—	—	8	10	12	4	X-bris
Békessiensi	34	36	38	—	—	22	22	22	8	Maji
Bereghiensi	18	20	22	24	28	8	10	12	2	Aug.
Bihariensi	26	28	30	32	—	8	10	12	24	X-bris
Borsodiensi	26	28	30	32	—	8	10	12	12	8-bris
Castriferrei	18	20	22	—	—	6	6	8	21	Julii
Comaromiensi	20	22	24	—	—	6	8	10	16	Mart.
Csanadiensi	36	38	—	—	—	20	20	20	20	Febr.
Csongradiensi	34	36	38	—	—	22	22	22	6	Maji
Cömöriensi	24	26	28	32	—	8	10	12	18	7-bris
Hevesiensi	26	28	30	32	—	8	10	12	6	8-bris
Honthensi	18	20	22	—	—	6	6	6	28	Maji
Jaurinensi	20	22	24	—	—	6	8	10	2	April.
Liptoviensi	18	20	24	—	—	6	6	8	29	7-bris
Marmarosiensi	22	24	26	30	—	8	10	12	30	7-bris
Mosoniensi	20	22	24	26	—	6	8	10	14	8-bris

Colonicalium Integrarum

…omitatu	Ex Terris arabilibus pro Classe					Ex pratis ubi Cordum falcatur			Vigore B. Resolutionis intimatae		
	1-a	2-a	3-a	4-a	5-a	semper	raro	nunquam	Die	Mense	Anno
	Jugera et Metretarum capacia					Falcastra					
	N u m e r o										
…diensi	20	22	24	26	—	6	8	10	11	Aug.	1770
…si	16	18	20	22	24	6	6	8	2	Jan.	1760
…si	24	26	28	30	—	8	10	12	28	8-bris	1768
…ensi	16	18	20	22	—	6	6	8	8	X-bris	1767
…nsi	20	22	24	26	—	6	6	8	19	Aug.	1772
…iensi	22	24	26	30	—	8	10	12	2	Maji	1768
…iensi	22	24	26	—	—	8	10	12	28	April.	1773
…iensi	16	18	20	22	—	6	6	8	19	Jan.	1767
…niensi	20	22	24	—	—	6	8	10	4	Maji	1768
…csensi	28	30	32	—	—	8	10	12	28	April.	1773
…iensi	18	20	22	—	—	6	6	8	31	8-bris	1765
…náriensi	26	28	30	32	—	8	10	12	6	7-bris	1773
…isi	22	24	26	—	—	8	10	12	8	X-bris	1766
…nsi	26	28	30	32	—	8	10	12	7	8-bris	1771
…niniensi	16	18	20	22	—	6	6	8	26	Aug.	1771
…tziensi	16	18	20	—	—	6	6	8	30	X-bris	1771
…iensi	20	22	24	—	—	8	10	12	25	April.	1774
…riensi	20	22	24	26	—	8	10	12	1	Maji	1773
…rémiensi	22	22	26	—	—	6	8	10	4	Maji	1768
…iniensi	20	22	24	26	—	6	8	10	24	Maji	1778
…si	18	20	22	24	—	6	6	8	16	9-bris	1770

Errata notabiliora Partis I.

Pag. 1	linea	6	loco Banatus	lege Banatus,
— 5	—	14	(vide notam sub 2)	(vide not. sub 1)
— 7	—	15	post omnino est	addatur vim et po-(testatem.
— 15	—	4	antevertandamque	lege anteverten-(damque.
— 16	—	36	1) deleatur.	
— 21	—	4	usufructus	lege ususfruotus
— 29	—	15	tamentidem	— tamen idem
— 31	—	9	frequentes	— sequentes.
— 32	—	6	caetsrum	— caeterum
— 58	—	19	innundatione	— inundatione
— 81	—	40	3)	— 5)
— 82	—	11	4)	— 3)
— —	—	22	5)	— 4)
— 95	—	10	sulditi	— subditi
— 105	—	26	5)	— 6)
— —	—	28	spitituosus	— spirituosos
— 110	—	—	in fine addatur	signum notae 7)
— 111	—	29	exraneis	lege extraneis
— 114	—	10	al in grosso	— all' in grosso
— 126	—	20	in fine addatur	signum notae 4)
— 131	—	19	secundum	— secundam
— 136	—	12	12)	— 11)
— 141	—	4	condutorem	— conductorem
— 146	—	5	relique	— reliquae
— 152	—	31	vedendum	— vendendum
— 156	—	10	prductorum	— productorum
— 157	—	—	Gabrielem Báth et	— Gabrielem Báth
— —	—	18	ax	— ex (etc. etc.
— 158	—	26	scircumstantiae	— circumstantiae
— 159	—	16	ab	— ob
— 160	—	45	4)	— 7)
— 163	—	11	accipnnt	— accipiunt
— 164	—	25	secundem	— secundum
— 172	—	—	deinei	— deinde
— 184	—	1	animaliam	— animalium
— 186	—	11	expositivum	— expositum
— —	—	21	nofors	— nefors
— 189	—	26	avere	— a vere
— 198	—	9	annni	— anni
— 199	—	33	didstantiam	— distantiam
— 200	—	4	quator	— quatvor
— 201	—	33	da	— ad
— 206	—	13	praentensivus	— praetensivus
— 206	—	16	pasciscendo	— paciscendo
— 207	—	20	superogandas	— supererogandas

Pag. 224 linea 36 loco amorum lege annorum
— — — 26 6) — 3)
— 246 — 6 Colonums uscepta — Colonum susce-
— 253 — 17 temparatis — temperatis (pta.
— 268 — 24 terresiri — terrestri
— 269 — 7 post Jurisdictionis addatur dominalis
— 315 — 35 deteminent lege determinent
— 316 — 14 hyieme — hyeme
— 327 — 28 respositionem — repositionem
— 336 — 24 statuendam — statuendum
— 341 — 17 pupillorm — pupillorum
— 342 — 6 Canditatione — Candidatione
— 349 — 14 quaererent — quaerere
— 349 — 27 posint — possint.

Errata notabiliora Partis II.

Pag. 9 linea 8 loco Subinquilionorum lege Subin-
(quilinorum.
— 14 — 1 Revolutionibus lege Resolutionibus
— 15 — 14 eefctui — effectui
— 25 — 15 Constitusivi — Constitutivi
— — — 22 uberiorum — uberiorem
— 28 — 27 redintegratlo — redintegratio
— 30 — 13 extra-villavorum — extravillanorum
— 42 — 23 constituvorum — constitutivorum
— 43 — 8 Dimensiouis — Dimensionis
— 46 — 32 de-dein — dein
— 57 — 5 quoad — quod
— — — 24, 25, 26, „Rubricae vacuae in hac forma (sub B et Nro 1-0) pro Exstirpaturis conscribendis deserviunt.“ deleatur.
— 63 (debet esse 62) linea 14 loco coosiderationem lege considerationem
— 62 (debet esse 63) — 35 a deleatur.
— 69 linea 11 loco hyemalidus lege hyemalibus
— 71 — 22 habenti-tium — habentium
— 80 — 11 Processus — Processu
— 107 — 3 temestris — terrestris
— 113 — 23 obligabantar — obligabantur
— 117 — 24 Desisum — Decisum
— 118 — 27 Magistratnalium — Magistratualium
— 120 — 15 nunerantis — numerantis
— 123 — 17 adilis — aedilis
— 123 — 19 benefIcium — beneficium
— 125 — 2 grasiosae — gratiosae
— 164 — 17 Geomtrae — Geometrae
— 168 — 3 altima — ultima
— 171 — — vigintis — viginti